

ACTA
ERUDITORUM

ANNO
M DCC V

publicata.

*um S. Cæsareæ & Regiæ Poloniæ Ma-
jestatum Privilegiis.*

LIPSIÆ.

Prostant apud JOH. GROSSII Hæredes,
&
FRID. GROSCHUE.

Typis CHRISTIANI GOEHL.
A. M DCC V.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

A C T A ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Januarii, Anno MDCCV.

ΚΑΤΑ ΤΟΝ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ ΚΥΡΙΛΛΟΥ ΙΕΡΟΣΟΛΥΤΜΩΝ
Ἀρχιεπισκόπου τὰ Σωζόμενα.

SANCTI PATRIS NOSTRI CYRILLI HIEROSOLY-
mitanorum Archiep. Opera, quæ supersunt, omnia. Quorum qua-
dam nunc primum ex Codd. MSS. edidit, reliqua cum Codd.
MSS. contulit, plurimis in locis emendavit, notisque
illustravit THO. MILLES, S. T. B. ex
Æde Christi.

Oxonæ, e Theatro Sheldoniano, 1703. in fol.
Constant Alphab. 4 cum dimid.

IN Cyrillum Hierosolymitanum, ejusque opera edenda atque
exornanda, jam olim plures industriam sat accuratam impen-
derunt, & *Catecheses* imprimis ejus emendate sistendas sibi
elegerunt. Præterquam enim, quod easdem Viennæ anno
1560 editas fuisse, Catalogus Græcorum codicum Bibliothecæ
Augustanæ memorat, circa idem fere tempus *Jacobus* quidam
Melchanski, Archi-Episcopus Gnesnensis, Regni que Poloniæ Pri-
mas, *Catechesion* ex Macedonia nactus exemplar, Slavorum idio-
mate conscriptum, eas in linguam Polonicam transtulit. Paulo
post *Johannes Grodecius*, Decanus Glogoviensis, ex Græco
codice, quem cum eo communicaverat Cardinalis Hosius, omnes
Catecheses tam illuminatorum, quam mystagogicas, in Latinum
sermonem vertit, & A. 1564 ex typographeo Christophori Plan-
tini Antverpiæ edidit, præmissa de Cyrilli vita & scriptis Disserta-
tuncula. Eodem anno *Guilielmus Morellius*, Caroli IX Galli-
æ Regis typographus, quasdam illuminatorum *Catecheses*, ut-

pote quartam, sextam, octavam, nonam, decimam, undecimam & decimam octavam, una cum quinque mystagogicis, Parisiis Græce edidit. Ex isto tempore doctorum virorum hac in parte industria paululum conquievit, usque dum *Johannes Prevotius* A. 1609 eadem Parisiis in lucem publicam emisit, maximum inde doctorum & bonorum omnium applausum consecutus. Ope namque codicum MStorum notæ præstantissimæ, quos Bibliotheca Vaticana ei suppeditavit, non solum Catechesæon a Morellio editarum lacunas supplevit, mendasque correxit, verum etiam alias nunquam forte antehac Græce vulgatas typis submitit, interpretationem Grodecii plurimis in locis emaculavit, & Cyrilli demum *ad Constantium epistolam* mantissæ loco sub finem adjecit. Quæ hanc fecutæ sunt A. 1631 & 1640 duæ Catechesæon editiones Parisienses, Prevotii editionem pene ad amissim referunt. *Orationem de Domini occursum, deque Simeone, qui Deum suscepit*, primus Græce & Latine dedit *Laurentius Sifanus*, Coloniae A. 1568, una cum Orationibus Chrysostomi, Gregorii Nysseni, Timothei Presbyteri Hierosolymitani & Amphilochoi in idem festum, quod occursum istum respicit. Tum vero *Pontanus* eam nova editione donavit, & postea *Fronto Duceus* hac oratione, & aliis quantivis pretii antiquorum scriptis, Bibliothecam Patrum adauxit. Omnium autem novissime *Combesius*, pluribus codicibus MStis instructus, eam adeo emendatam, suisque notulis locupletatam, in novo Auctario edidit, ut propemodum nil quicquam aliorum curæ aut industriæ reliquisse videatur. *Historiam Ecclesiasticam & Mystagogicam* primus & solus vulgavit *Fronto Duceus*, *Epistolam autem ad Augustinum* inter opera tum Hieronymi, tum Augustini, reperire facile licet.

Utut vero singula hæc probe cognita perspectaque habuerit, ex cujus fide eadem hæctenus retulimus, celeberrimus *Thomas Milles*, non deesse tamen sibi ansam, accuratiorem adhuc editionem evulgandi ratus est, ac præsentem idcirco adornavit, quæ nitore pariter ac diligentia, qua exornata est, antecedentibus omnibus palmam reddere dubiam omnino poterit. In ejus præfatione Cyrilli vitam ante reliqua breviter recenset, quam & hic delineatam ex ipsius relatione exhibere, dividiæ haud fuerit. Videlicet quibus parentibus, quove anno natus fuerit Cyrillus, incompertum reliquisse ait *Historiæ Ecclesiasticæ*

sticæ scriptores; de patria vero ejus licet altum ubique pariter silentium sit, e Palæstina tamen, atque ipsis forsitan Hierosolymis, ortum fuisse, vero simillimum judicat. Macarium, Maximumque ipsius in Episcopatu Hierosolymitano antecessores facit, quorum ille Diaconum, iste vero Presbyterum eum constituerit. Catechistæ etiam munus postremis maxime temporibus in Ecclesia Hierosolymitana eum exercuisse, & singulis fere diebus, per totum Quadragesimæ intervallum, præcipua fidei capita catechumenis, ad festum Paschatos baptizandis, luculenter exposuisse refert. Mortuo Maximo, vel ut aliqui referant, in exilium pulso, in sedem Hierosolymitanam Cyrillum successisse dicit, favore & auxilio Acacii Cæsareæ, & Patrophili Scythopoleos Episcoporum, qui Arianorum sectæ faverint, præcipue adjutum, hac quidem cum conditione, ut repudiato Presbyteratus honore, quo ornatus a Maximo fuerat, Diaconi loco & gradu aliquantisper in Ecclesia contentus viveret; id quod Hieronymum affirmare notat Noster, qui tamen ei hac in parte adstipulari minus sustinet, quandoquidem Patres secundæ Synodi generalis Constantinopolitanæ, in Epistola ad Damasum, Cyrillum rite & canonice ab Episcopis provinciæ ordinatum declarent, & ab Arianorum factione adeo abhorruisse testentur, ut plurima, dum fidem orthodoxam tueretur, mala variis in locis ab iis perpeffus fuerit. Interim cum Acacio amicissime eum vixisse, non negat. Ast rebus Ecclesiæ Hierosolymitanæ per duos tresve annos summa cum laude curatis, lis ipsi gravissima cum eodem de jure metropolitico Ecclesiæ Cæsariensis intercessit, Cyrillo Primatum provinciæ Palæstinæ Ecclesiæ Hierosolymitanæ vindicare satagente, quippe quam omnium Ecclesiarum Matrem a Christo ipso institutam, ab Apostolis fundatam, ab omnibus omnium temporum Christianis maximo honore semper habitam fuisse, jactitabat. Ex hac Acacium inter & Cyrillum simultate, dissidii semina late per Ecclesiam Orientalem sparsa fuere, dum Episcopi, qui idem cum Arianis sentiebant, se Acacio junxerunt saniolem vero fidem profitentes a Cyrilli steterè partibus. Verum Acacius Cyrillum, æquale jus sibi suæque Ecclesiæ vindicantem, diutius ferre haud valens, congregatis Palæstinæ Episcopis, eum ab Episcopatu deposuit, multisque criminum objectionibus ab adversariis oneratum urbe expulit.

Hierosolymis ergo Cyrillus profugus Antiochiam pervenit, & cum hanc Ecclesiam Episcopo orbatam invenisset, Tarsum ire perrexit, ibique cum Silvano Episcopo diutius commoratus est. Acacius, ut primum de ejus adventu ibidem factō inaudivit, literis ad Silvanum missis, eum certiolem fecit, Cyrillum de sede Episcoporum suffragio dejectum, ab Ecclesiastico ministerio, simul & a communione arcendum esse. Silvanus autem, quia videbat, populo placere, quas Cyrillus habebat, conciones, Acacii monitis obtemperare noluit. Tum demum fremere Acacius, & Cyrillum, ut coram Episcopis Palæstinæ compareret, per biennii spacium indefinenter citare. Hisce minis territus Cyrillus, appellationis libello ad Episcopos misso, ad majus judicium, nempe Imperatoris Constantii, provocavit. Hinc Synodus Episcoporum Orientalium circiter CLX Seleuciæ in Isauria congregata est, A. C. 359, in qua in duas partes Episcopi se divisere, stantibus hinc Acacio Cæsariensi, Georgio Alexandrino, Uranio Tyrio, Eudoxio Antiocheno, una cum triginta aliis; inde vero Georgio Laodiceno, Eleusio Cyziceno, Sophronio Pompejopolitano, & Cyrillo Hierosolymitano, quos longe major pars Episcoporum secuta est. Duabus hisce factionibus acriter inter se concertantibus, Leonas, Synodi Præfectus ab Imperatore missus, cum Episcopos inter se convenire haud posse perspiceret, Concilium dimisit, ita tamen, ut Episcopis liceret in Ecclesia convenire, deque suis controversiis tractare. Convenientibus ergo Episcopis Cyrillo faventibus, Acacium hi cum suis accersivere, ut tam de Cyrilli, quam aliorum etiam Episcoporum causis judicaretur. Illi vero, sæpius licet citati, venire recusantes, a cæteris abdicati fuere. Quibus peractis, Synodoque iterum dimissa, decem Legatos ex suis Constantinopolim miserunt, qui Imperatorem de omnibus rebus certiolem facerent; Acacius vero se celeriter e Seleucia proripiens, Constantinopolin prius venit, auresque Imperatoris præoccupavit, qui & alioqui in Acacium propensior ejus hortatu conciliabulum Constantinopolitanum indixit, convocatis ex Bithynia circiter L Episcopis, qui Cyrillum una cum Silvano Tarsensi aliisque pluribus deposuerunt. Cyrillus autem ab Hierosolymis relegatus, exul usque ad mortem Constantii Imperatoris permansit, cui cum Julianus circa finem anni

361 succederet, Episcoposque, dira Arianorum persecutione fugatos & exules, ad sedes suas revocaret, Cyrillum quoque Hierosolymas rediisse, & Episcopalem dignitatem capessivisse, vero Noster simile existimat, atque una sequentibus Juliani temporibus nihil adeo memoratu dignum de Cyrillo occurrere, fatetur. De iis quoque rebus, quas Cyrillus sub imperio Valentis gesserit, Ecclesiæ Annales filere observat, quamvis credibile existimet, eum ab Arianis, qui tunc omnia loca compleverint, admodum gravia fuisse perpeffum. Sub Theodosio autem inconcussum omnino Episcopatum illum tenuisse autumat, & tertio Theodosii anno, qui Christi fuit 381, Synodi quartæ earum, quas vocant œcumenicas, Constanti-nopoli congregatæ, Patres Cyrillum pro rite & legitime ordinato declarasse narrat. Post hoc Concilium, quinque circiter annis superstes Cyrillus fuit; nam die Martii decimo octavo A. 386, si Græcorum Menæo fides adhibenda, grandævus jam curisque confectus, placide obdormivit.

Hæc postquam de vita Cyrilli Noster in præfatione retulit, ad scripta ejus recensenda perguit, & eorum plura olim extitisse, quam quorum vel fragmenta ad nos pervenerint, haud dubitat. Cum enim diutius Ecclesiæ Hierosolymitanæ præfuerit, plurimasque ad populum habuerit conciones, vix ambigendum venire statuit, quin pro more istius seculi, Auditores eas calamo exceptas in vulgus dederint. Sed harum concionum temporis injuria memoriam quoque intercidisse, dolet. Quod autem Anastasius Nicænus (quem verius Simaitam dici posse censet,) Commentariorum Cyrilli in Marcum, & Epistolæ ad Olympium Monachum meminerit, id ex eo contigisse arbitratur, quod Cyrillum Alexandrinum a Cyrillo Hierosolymitano non satis caute discriminaverit. Scripta igitur Cyrilli hodie extantia, & solertissima Nostri cura nitidiora, quam antehac unquam, vultu edita, hæc sunt: *Catechetica Lectiones XXIII*, quarum XVIII Quadragesimæ tempore ad competentes, sive eos, qui ut baptizarentur petebant, habitæ præclarum continent totius doctrinæ Christianæ compendium. Quamvis autem Catecheses istæ suum satis autorem prodant, & primævæ Ecclesiæ simplicitatem orationis contextu pulchre referant, non defuisse tamen, nec deesse adhuc, ostendit, qui eas non modo Cyrillo abjudicent, verum

sequioris etiam ætatis foetum esse asserant; inter quos agmen ducere Rivetum ut animadvertit, sic ejus potissimum argumentis satisfacere, & Cyrillo istas vindicare studet. Catecheses sequitur *Epistola*, quam statim, ac Episcopatum Cyrillus adeptus est, *ad Constantium* scripsit, de signo crucis, & lumine denso valde & coruscante, quod Hierosolymis die Pentecostes A. 353 quamplurimis videntibus apparuerit. Apparitionis hujus Epistolæque Cyrilli de eadem scriptæ, cum non solum Theophanes & Michael Glycas, verum etiam Sozomenus meminerit, satis mirari Autor vix potest, quid Rivetum impulerit, ut eam aut non a Cyrillo, aut Cyrillo Ariano scriptam, tam audacter asseruerit. Epistolam ad Constantium excipit *fragmentum Homiliæ in Paralyticum ad Bethesdæ piscinam sanatum*, quod nunc primum in lucem ex codice manuscripto Bibliothecæ Bodlejanæ Noster edit, eamque Cyrilli opus genuinum esse nullus dubitat; quippe cum stylus ejus conveniat cum Cyrilli stylo, & quod in Catechesibus fieri solet, orationis continuïtas frequenti S. Scripturæ citatione sit intercisa, & quasi tessellis quibusdam pulchre variegata. Comparet hinc *Oratio de occurſu Domini*, quam inter opera, quæ Cyrillo nostro falso tribuantur, reponere notat eruditissimum D. Cave. At licet modum quidem loquendi laxiorem esse in hac oratione, quam in Catechesibus, & impetu quodam verborum filum decurrere (id quod Cyrillo alias familiare haud sit) fateatur, plurimos tamen viros doctissimos eam Cyrillo tribuere superaddit, quibus etiam tot codices manuscripti suffragentur. Proxime accedit *Historia Ecclesiastica & Mystagoga*, quam Cyrilli nomine prænotatam in codice manuscripto Bibliothecæ Bodlejanæ Editor noster invenit; tractatum vero illum, longo post Cyrilli tempora intervallo, autorem nactum fuisse dicit *Germanum* quendam ejus nominis secundum, Patriarcham Constantinopolitanum, qui circa annum 1226 sedem occupasse perhibeatur. Postremo denique loco *Epistola* comparet *ad Augustinum de miraculis Hieronymi post mortem celebratis*, quam Cyrilli nomen immerito præ se ferre, Noster palam asserit. Præterquam enim, quod insigni anachronismo triginta annorum, quibus Cyrilli mors Hieronymi mortem antecesserit, satis constat, a Cyrillo eam scribi neutiquam potuisse, tam futilibus insuper scatere fabel-
lis, &

lis, & propter styli infantiam ac barbariem, adeo deformem & foedam esse innuit, ut a maleferiato & infulsissimo Monacho, ante ducentos forte annos, fictam fuisse, probabile admodum videatur.

Singula interim hæc scripta nunc exhibenda doctissimus Editor censuit, ac circa eadem id sibi præcipue negotii datum intellexit, ut textum, præsertim Catecheseos, purum, integrum & ab omni labe purgatum exhiberet. Ipsum quoque Prevotii textum, ex codicibus manuscriptis emendatum ab ipso plurimum plurimumque suppletum, adhuc magis emendatum ut daret, cum cum cæteris omnibus, quas conquirere licuit, editionibus contulit, & hoc modo plurima sphalmata cum typosetarum, tum ipsius Prevotii, facile sustulit. Postea Catecheses omnes, Epistolamque ad Constantium, cum duobus codicibus manuscriptis, aliquas autem, nempe quartam, sextam, octavam, nonam, decimam, decimam quintam, decimam sextam & decimam octavam, cum tribus diligenter contulit. Parilem in Orationis de occurso & partis Historiæ Mystagogicæ collatione industriam adhibuit, cumque codices istos omnes cum Prevotii textu comparaverit, religioni sibi duxit, ullam omnino, etiam minutissimam, lectionem prætermittere; quin singulas potius in ima pagina ponendas arbitratus est. Variantibus lectionibus adjunxit annotationes quasdam, quibus id unum efficere allaboravit, ut ritus, mores & fidem primævæ Ecclesiæ, ex antiquissimorum Patrum monumentis explicaret atque confirmaret. Versionem demum Grodecii, multum jam ante a Prevotio correctam, plurimis in locis emendatiorem adhuc reddidit; quam tamen si quis omnibus suis numeris perfectam & absolutam optaret, novam prorsus reddendam venire judicat.

Ex istis autem, quas diximus, annotationibus nonnulla ut decerpamus, & Lectori benevolo in gustum propinemus, nostrarum merito partium esse existimamus. Sic v. g. pag. i observat, quod ii, qui nondum erant baptizati, quales fuerint, quos alloquatur in Catecheseon præfatione Cyrillus, *Φωτιζόμενοι* nuncupentur, aliquibus forsan inusitatum videri posse, quandoquidem vocabula *Φῶς, Φῶσιμα, Φωτισμός & Φωτίζω* ad baptismum frequenter referantur. At enimvero *Φωτίζειν* apud veteres non solum significare respondet, *illumino lumine Baptismi*, sed etiam *doceo*, per
insti-

institutionem Catechetica ad Baptismum preparo. Pag. 4. apud primævos Christianos sacri cultus non minimam partem fuisse lectionem sacrarum Literarum, indigitat. P. 6. de Baptismi repetitione ab aliquibus perverso consilio suscepta; ibidemque de rebaptizatis iis, quos Hæretici baptizarint, disserit. De Exorcismis in Baptismo veteris Ecclesiæ temporibus observatis p. 7; de Samaritis, p. 8; de Homiliis seu concionibus, post lectionem Evangelii, in cœtibus primævorum Christianorum, a Presbyteris & Episcopo ad populum habitis, p. eadem; de disciplinæ arcani vestigiis & apud Ethnicos reperiundis, p. 9; de virorum sedibus a mulierum subselliis in veterum Christianorum templis, intermediis quibusdam tabulatis separatis, p. 10 agit. *Αναγνώσεις* sive lectiones sacrarum literarum post collectam institutas, p. 15; confessionem omnium peccatorum Baptismo semper præmissam p. 18; rebellium Angelorum principem ac ductorem omnibus creatis spiritibus longe antecelluisse, a pluribus e Patribus creditum, p. 22; diversas de peccato, ob quod primus malorum Angelorum, cæterique cum eo Dæmones de cœlo dejecti sint, diversorum Patrum sententias, p. 22; sententiam Origenis, Olympiodori, Hieronymi, aliorumque, Angelos posse etiamnum peccare, & faciem Dei Patris non alia conditione videre, quam si parvulos suæ fidei commissos ad salutem perduxerint, velut Cyrillo etiam arridentem, p. 26; Jesaiam ferra lignea dissectum, p. 29 commemorat. Quantopere Astrologiæ & Genethliacorum vanitatem Patres perstrinxerint, p. 30; quomodo baptizatos statim, ut ascenderant ex aqua, alba veste induerint veteres, p. 34; ut baptizandi crebris se jejuniis ante baptismum exercuerint, p. 38; qua ratione antiquitus jam baptismum diviserint, p. 39 edocet. Quæstionem, an jejunium quadraginta dierum, jam inde ab Apostolorum temporibus in Ecclesia fuerit usitatum, p. 43. s. tangit, & quæ ab utraque parte quæstionis dici solent, Lectori ob oculos proponit. De errore Docetarum & Phantasiatarum, qui veritatem humanæ naturæ in Christo negarint, Apostolorum ævo jam exorto, p. 51; de templo in monte Calvariæ, prope Hierosolymas, a Constantino, seu potius ab Helena matre ejus, Imperatoris auspiciis extracto, p. 52; de secundis nuptiis a Patribus nonnullis damnari solitis, p. 60; de numero librorum, ex quibus Veteris Testamenti codex quarto seculo compactus fuerit,

p. 65 erudite commentatur. Pag. 67 allegat Photii Historiam Manichæorum nondum editam, quam secum communicatam dicit, & orbi erudito propediem datum iri sperat, a V. C. Jo. Frider. Winklero, Hamburgensi. De ordine librorum Novi Testamenti, deque Jacobi & Judæ Epistolis, ac secunda Petri, una cum secunda & tertia Johannis, a Cyri'lo iis libris annumeratis, quos veteres Ecclesiæ Doctores ac Episcopi tanquam sacros posteris tradiderint, curiosa sunt, quæ p. 67 annotat. De Archelao ejusque disputatione cum Manete p. 95; de verbis, *γίνεσθε τραπεζίται δόκιμοι*, an pro Scripturæ dicto habendis? p. 101; de conjugio olim haud interdicto, p. 161; de domo Caiphæ, quam summorum Pontificum palatium fuisse existimat, p. 185; de Hebraico Matthæi Evangelio, a Patrum non unis approbato, p. 195; de Jacobo, Domini fratre, p. 199; de Hæreticis quibusdam, se pro Christo venditantibus, p. 207; de signo Filii hominis, ad illustrandum locum Matth. XXIV, 30, p. 216 erudita lemmata accumulatur. Tacemus, quæ affert de proportione numeri angelorum ad hominum numerum, p. 218; de vigiliis Paschatis & Pentecostes, in ordinaria baptismi tempora olim electis, p. 277; de baptisteriis veterum, p. 278; de renunciatione Satanæ in Baptismo facta, p. 279; de Catechumenis oleo quodam sacrato ante Baptismum inunctis, p. 285; de more baptizandos ter in aquam immergendi antiquissimo, p. 286, atque alia.

Quod superest, Veterum de Cyrillo Hierosolymitano ejusque scriptis testimonia operibus illius præmisit, doctorum vero Virorum, *Roberti Coci, Andrea Riveti, ac Edmundi Albertini* judicia iisdem subnexuit; & ut ne quidpiam deesset, Indices locupletissimos Locorum Scripturæ, Auctorum & Rerum superaddidit.

HISTOIRE CRITIQUE DES DOGMES ET DES Cultes &c.

h. e.

HISTORIA CRITICA DOGMATUM ET CULTUUM bonorum malorumque, in Ecclesia ab Adamo usque ad Christum receptorum, Autore PETRO JURIEU.

B

Amste-

Amstelæd. apud Franc. L' Honoré & Socios, 1704. 4. ch. maj.

Constat Alph. 4. plag. 15.

VEræ religionis & divinitus institutæ dogmata & cultus, in parte I & II, quas mense superioris anni Novembri pag. 481 seqq. prolixè recensuimus, ubi expendisset Clarissimus Autor, historiam apostasiæ in sequentibus duabus partibus persequitur; in quibus, occasione cultuum dogmatumque depravatorum, quorum in sacris monumentis mentio, omnem Orientalium Theologiam, & derivatas inde Græcorum Romanorumque superstitiones explicat. Non deterre-ri se ab isto labore debere judicavit magnorum Virorum, Seldeni Vossique, de illo argumento scriptis, cum & defectus eorum & παραράματα quædam fuerint corrigenda, & tam copiosa novarum conjecturarum messis in eo se obtulerit, ut novum plane studium hic collocatum videri queat. In diversos vero tractatus abeunt tertia ista pars atque quarta, quorum primus, parti tertiæ liminis quasi loco inserviens, de ipsa idololatria, Gentiliumque Theologia, agit in genere. Ubi primo de nomine idoli & idololatriæ varia. Vocem εἰδῶλγ diminutivam esse, contra Rainoldum defendit, sed diminutionis significatum obtinere non habita molis extensionisque ratione, sed perfectionis veritatisve internæ respectu, ut quæ *formam minus perfectam* significet, & pro externa, apparente, picta, non vera specie, (cum εἶδος internam formam atque essentialem notet,) usurpetur. In voce vero idololatriæ εἰδῶλον quamcunque rem, cui divini honores proterva impietate tribuuntur, significate. Origines idololatriam, quæ Cyrilli Alexandrini quoque sententia fuit, post diluvium demum habuisse, eique occasionem dedisse communem hominum in calamitatibus magnis indolem, qua in extrema fere prolabuntur præcipites. Scilicet severa Dei in Atheismum antediluvianum animadversione, mortalium mentes externatas, in contrarium superstitionis & idololatriæ vitium proruisse. In eo vero Cyrillum aberrare, quod Belum primum idolum fuisse arbitretur, cum, quod multis veterum locis monstratur, ab astrorum cultu haud dubie idololatria initia ceperit. Stolidissimam vero esse Theologiam Gentilium, quæ vastissimum Deorum numerum, eosque horrendissimorum criminum reos, immortales, & aliorum tamen hominum more genitos sistat, eosque cul-

P. III. Tr. I.

c. I.

c. II.

c. III.

tibus

tibus impuris & abominandis honorare doceat. Ipsos puduisse Gentiles istius furoris, qui in inventa in Theologiam *μυθικήν, Φυσικήν & πολιτικήν* distinctione, infucare fuerint conati; quem docte tamen abstergat fucum Augustinus de C. D. L. I. c. 7. 8. Nec excusari eam posse eo, quod symbolice res naturales earumque genesin repræsentet, cum multa in ea sint, quæ plane respuant symbolicum illum sensum: nec eo denique, quod ista Deorum multitudine plura unius Dei, quem agnoverint omnes, repræsententur attributa; namque & paucissimos fuisse ita sentientes, & ipsos eos, qui ita sentire volunt videri, astratamen in numero Deorum habere, & Numina cætera adorare, & in plurali numero de Diis loqui. Vastum illum Deorum numerum in varias classes divisisse varios. Ex illis memorat divisionem Clementis Alexandrini in classes VII; Servii in *animales & naturales*, quam optimam Autor censet, omniaque Gentilium Numina vel hominem, vel rem naturalem significare, & utrumque simul notare aliquando existimat; Jamblichi porro in octo ordines Deorum distinctionem; Romanorum in *majorum & minorum gentium* Deos, quorum illi & *Electi* dicebantur & *Consentes*, suoque numero *Deos Samothraces & Cabiros* complectebantur. Cum *Samothracibus* eosdem fuisse *Penates* Deos Urbis & Imperii Romani, idque probare tum hoc, quod Trojanorum, a quibus orti Romani, Dii fuerint *Samothraces*, tum quod clam habita eorum nomina fuerint: hoc enim ex *Samothracum* disciplina esse, non vero inde, ut ne evocari possent ex urbibus, quod fieri potuisse, ut ut ignotum esset nomen Deorum *Penatium*, ex Macrobio constet. Hancque de *Penatibus & Samothracibus* Diis sententiam Varronis quoque fuisse. *Penates* illos Castorem & Pollucem, quod ex Dionysio duas statuas Deorum Trojanorum militari habitu describente, cum inscriptione *Δένατες*, colligant nonnulli, esse haud potuisse, cum juniores sint Castor & Pollux Diis Trojanorum *Samothracibus*, probabileque sit, magis Diis *Samothracibus*, primi ordinis Numinibus, quam Castori & Polluci, *Heroibus*, Imperii sui tutelam commisisse Romanos. Probabilissimum esse, eos fuisse Jovem, Junonem & Minervam; illos enim esse *magnos Deos* apud Macrobius, quod nomen Cassius Hemina *Penatibus* quoque dederit. Cum *Penatibus publicis, familiarum Penates* h. e. *Lares*

c. IV.

& Deos *Viales* confundendos non esse. Speciem Penatum esse Deos *Indigetes*, in quorum tutela erant certæ regiones, illis tamen aliquanto inferiores, inque iis fuisse *Curetes*, qui cum *Corybantibus* & *Dactylis Idæis* sint iidem. Nomen eorum esse conjugatum vocis *indigena*, Deumque patrium notare, quod mirum viros doctos non vidisse. Infimum Deorum genus *Lares* Deosque *Manes* esse, & *Genios*, de quibus in primis ex Apulejo de Deo Socratis, & Jamblichio de Mysteriis agit. Porro cum omnis apostasia & idololatria Israelitarum, ex Phœnicum seu Chananæorum Ægyptiorumque Theologia, suas repetat origines, dilata in alium locum de horum superstitionibus dissertatione, hic quidem Phœniciæ Theologiæ ex Sanchoniathone exhibet compendium, & ingeniose ostendit historiæ Mosaicæ in iis, quæ de originibus rerum commentatus Sanchoniathon fuit, vestigia. Quæ inter alia ille de *adoratis* a primis hominibus *plantis* dicit, ex male acceptis illis, quæ habet Moses de Adamo, quem in Paradiso constituerit Deus לעברה, esse putat: vocem enim Ebræam *culturam terræ* pariter, ac *cultum religiosum* notare. Creationem hominis apud eundem ita exponit, *ventum Colpia* esse קל פיה *Spiritum vocis oris Dei*, i. e. omnipotentia verbum, vel ut Davides loquitur, *Spiritum oris Dei*, qui ex uxore sua *Baan* בהן h. e. materia rudi, genuerit *Protogonum* בכור i. e. primum hominem, & *Aiōva* i. e. uxorem ejus, cujus nomen sit ex mala interpretatione vocis עלמה quæ *virginem* notet, & sit foeminina forma עולם quod *aiōva seculum* significet. *Usum*

c. VI. *Cunum*, *Hypsuranium* Abelem fuisse putat, sic dictum, quod Deo cœlorum esset acceptus. Quis sit γήινος αὐτόχθων, quem Adamum statuit esse Bochartus, se quidem ignorare, sed & in cæteris multum perturbatam hanc Sanchoniathonis historiam se invenire. De *Agrote* Deo obscura omnia. Per simulacrum vero hujus adeo venerabile arcam Mosis, & per templum a bobus bajulari solitum, tabernaculum facile intelligi: nam pro Levitis boves ab Autore monstrorum adeo fabularum pleno substitui, non esse mirandum. *Schaddai* eum inter Titanas referre, quod Deastris omnibus bellum intulerit verus Deus. Eum Phœnices Θεὸν μέγιστον *Deum maximum* appellare, quod dicit Sanchoniathon, id spectare ad Palæstinos, qui ejus excellentiam in templo Dagon experti fuerint. Eo etiam pertinere nomen *Misfor*, quod *dimissum* notet, quia arca a Palæstinis fuerit dimissa.

Taautum Mosen esse: *Sydyk Melchisedecum*, ut alibi monstratum. Ex istis Phoeniciis vero Græcos omnes fabulas suas & Theogonias derivasse, pro sua fingendi licentia, innumeris rebus five additis five mutatis: quod in sequenti tractatione universa passim uberius ostenditur. Hisce vero generalibus de idololatria, succedit specialior de Syrorum & Hebræorum idololatria tractatio. Hic perlustrantur ante omnia Scripturæ loca, in quibus *Teraphim* mentio. Hinc rejectis Eliezeris, Mosis Nachmanidæ & Bechai, Salomonis Jarchii & Aben-Esræ, Moncæi & Gaffarelli, Spencerique de *Teraphim* sententiis: ipse quidem tanquam certissimum supponit, figuram humanam eos habuisse, quod patere putat ex historia Davidis, in cuius lecto *Teraphim* collocavit Michal, ut ipsius præsentis præberent speciem. Hoc vero etiam certum esse, instrumenta magica illos fuisse, ad indagandas res vel futuras vel alias obscuras: non fuisse tamen magiæ instrumenta eos in prima sua origine. Vix enim probabile esse, vel Jacobum, probatæ pietatis virum, in domo Labanis fuisse tam diu commoraturum, si magicis hujusmodi abominationibus cum *Teraphim*, quos ibi fuisse constat, peragendis, quotidie illa fuisset conspurcata; vel Rachelem horrendæ istius impietatis instrumenta fuisse asportaturam: fuisse ergo eos nil aliud initio, quam imagines, in quibus colere Deos suos solerent Gentiles. Imagines autem non fuisse magnorum istorum Deorum, *Baalis*, *Astartes*, *Molochi* & aliorum, sidera cœli repræsentantium; hos enim humana forma, qualis *Teraphim* extiterint, cultos a Syris nunquam fuisse: homines itaque repræsentasse eos, in numerum Deorum reatos, ipsosque adeo Latinorum *Lares* familiarum tutelis præfectos. Ut certe privatos, non publicos hos fuisse Deos, probare id primum, quod solus Laban, non omnis illa gens, eorum ablatione fuerit commotus. Ipsum porro probare nominis etymologiam, quæ a **רפא** *sanare* descendat, ut *Deos* adeo *servatores hospitatoresque* **תרפים** significent, unde & Græca vox *Ἱεραπευτής* originem habeat. Imo porro, ut Latinorum *Lares* compitis quoque præerant, *Viales Dii* inde nominati, sic *Teraphim* quoque manifeste id tribui Ezechielis 21. Hoc porro, istis evictis, quod Servius *Lares* dicit esse *animales Deos*, h. e. animas consecratas, ad originem *Teraphim* primam nos deducere. *Lares* enim fuisse animas progenitorum, illustriumque in

Tr. II.
 c. I.
 c. II.
 c. III.

familia virorum : tales ergo *Teraphim* fuisse , qui Noam forte Semumque repræsentaverint. Duos nempe fuisse, Auctori probabile ; quod plures uno prodat oratio Labanis Deos illos appellantis, duobus vero plures non fuisse, Rachelis occultatio indicet. Hincque esse, quod Ovidius *duos Lares* faciat , *Larunda* genitos , quorum numerum multiplicaverit superstitiosa credulitas. Hinc patere , unde Michal in domo Davidis *Teraphim* nacta sit , a quo scilicet, ut & ab aliis Israelitis, majorum imagines , procul amandata superstitione , asservari potuerint. Has majorum imagines primum in honorem tantum majorum asservatas , inde adoratas, & , ut nunquam subsistit superstitio , ita interrogatas postremo de rebus obscuris fuisse : dignumque notatu , quod in Scripturis , quoties magiæ species recensentur, nulla sit *Teraphim* mentio ; ubi vero interrogatio mortuorum commemoretur , versaque vice de hac nihil inveniatur , ibi de *Teraphim* dictum ; argumento luculento, *Teraphim* cultum, & interrogationem mortuorum, pro eadem re haberi. Formam cultus illam fuisse , ut *κενοτάφια* in ædium recessibus construerent , quorum extremitatibus adderent imagines majorum , speciemque adeo illa habuisse arcæ Mosis : atque inde evocasse Manes homines male credulos , cujus superstitionis vestigia passim apud Gentiles ; sic enim Andromacham apud Virgilium Hectoris Manes ad sepulcrum ejus evocare : inde oracula prodiisse , sicut ex arcæ medio. Hinc clarum esse, cur LXX Senes in historia Michal *Teraphim* verterint *κενοτάφια* , & cur iidem in Josiæ, falsos cultus destruentis , historia voci *θεραφίμ* vocem *θελητάς* addiderint, qui sint incantatores Manes evocantes. Patere item, cur Oseas dicat, Israelem *nec Ephod, nec Teraphim* per plures dies habiturum. *Ephod* nempe significare *Urim & Thumim* : *Teraphim* vero arcam, cum impositis *Cherubim*, inter quos oracula ex arca prodibant, speciem *Teraphim*, ut modo monitum , ferentem. Atque adeo minime quidem eosdem esse *Teraphim* & *Cherubim*, quod Moncæo, Spencero, Gaffarello visum : illos enim humanam speciem, hos quatuor Ezechielis animalia repræsentasse. *Teraphim* tamen apud idololatrias locum tenuisse eum, quem *Cherubim* in sanctuario. Utut vero *Teraphim* antiquiores fuerint arca, tamen istam formam cultus modo descriptam, exemplum *κακοζηλία* diabolica ab arca accipiente, invaluisse demum, cum antiquioribus

us temporibus nudæ imagines fuerint *Teraphim*. Loci libri
 iudicum, ubi *Teraphim* Michæ mentio, hunc sensum esse, quod du-
 s imagines, alteram ex ære conflata, alteram cælo elaborata, sibi
 onfici curaverit, indeque oraculum *Teraphim* composuerit, (iis
 nempe cenotaphio impositis) cui filium suum præfecerit sacerdotem.
 Deo autem vero hunc cultum Micham instituisse, sanctificari *Tera-*
phim posse eorumque cultum credentem, si Deo eos dedicaret; quæ
 fuerit Israelitarum quorundam illius temporis superstitio, idololatri-
 os cultus, modo ad Deum referantur, nihil mali habere existiman-
 tum. Probabile autem non esse, oracula ipsas istas statuas edidisse,
 quod visum Bellarmino; nam rarissima esse statuarum loquentium
 exempla, prætereaque cum nihil aliud quam Manium evocatio fue-
 rit *Teraphim* consultatio, verosimilius esse, vel speciem e terra lo-
 quentis edidisse Diabolum, vel excitasse ipsam consultoris phantasi-
 am ad oracula huiusmodi proferenda. Aliam *Necromantia* speciem a-
 pud Syros fuisse eam, quæ Hebraica voce **כּוּן** designatur, quam ma-
 gice *Spiritum Pythonis* reddant interpretes, hoc vero obsessos ex ven-
 tre loqui credant, pro iisdemque habeant cum *ἐγγασμύθοις*. Nam
 hoc falsum primum esse, quod idem sit *Spiritum habens Pythonis* &
ἐγγασμύθος, patere ex historia ancillæ Act. XVI, quam *Pytho-*
em habuisse constat, non tamen ex ventre edidisse vocem mur-
 murantem: ut probabile sit, *Pythonis Spiritum* nihil aliud esse, quam
 spiritum divinationis, qui *ἀπὸ τῆς πυθιάνας*, *Python* & *Pythius*,
 quod erat Apollinis cognomen, fuerit appellatus: atque id qui-
 em fieri potuisse, ut *ventriloquus* haberet *Spiritum Pythonis*, o-
 mnem vero *Pythonis Spiritu* actum *ventriloquum* haud fuisse. De-
 inde magis falsum etiam esse, quod **כּוּן** iidem sint cum *Pytho-*
is Spiritu præditis vel *ventriloquis*. Hos enim proprie *Necromantas*
 fuisse carmine Manes evocantes, eosque in magno vase aqua pleno repræ-
 sentantes, accedente voce, quæ ex terræ visceribus prodire videretur.
 Nempe **כּוּן** apud Hebræos significare *vas* huiusmodi *profundum*,
 nec alias istam speciem magiæ esse ignotam, quæ Græcis *λεκανομαντεία*
 vocetur. Eam exercitam fuisse a quodam Mago in loco quodam, ubi
 se Autor tum commorabatur, doctus ea de re a testibus *αὐτόπταις*,
 Magum illum vitro aquæ pleno pecuniam tam diu injici jussisse, donec
 convexam superius figuram acciperet, tum in aqua apparuisse desidera-
 tam

c. V.

deratam imaginem. Specula frequentius adhibere magos his nostris temporibus; ejusque rei exemplum allegat ex Historia Henrici VII R. Angliæ, idque luculenter magis in quadam ad illustrem Cuperum epistola exponit, ex *Sigismundo Freibergero* in Germania Perturbata & Restaurata, *Christoph. Pelleri* in Politico Scelerato impugnato, atque aliunde, etsi circumstantiis paulum variatis, notissimum. Qua occasione illustris Cuperus, in quadam ad Autorem epistola, aliud vaticinium commemorat Angliæ itidem res spectans, quod ante sex hos annos in Bibliotheca Jesuitarum Leodiensi, quo Roma allatum fuisse dicebatur, se vidisse ait, ad imitationem prioris haud dubie a quodam Religioni Romanæ addicto, ut illud a Protestante quocunque confictum. Cæterum Reverendus Autor noster suam de **כּוּן** sententiam ex historia Sagæ Endorensis firmat, cui Saulus dixerit, *divina mihi per כּוּן & fac adscendat, quem tibi dicam*: unde manifestum, ventriloquam eam non fuisse, ut quarum non sit evocare Manes; divinationem vero per **כּוּן** commodissime intelligi eam; quæ fiat per vas aquis repletum, cui sententiæ faveat domicilium Sagæ **עֵינַן דָּר** *Endor*, i. e. *fons perennis*; puras enim aquas Diabolum in hujusmodi ritibus affectasse. Vocem vero comitari solitam esse Diabolicas hujusmodi nugas, locum Esaïæ XXIX, 4. & VIII, 19 luculenter firmare. Quod autem LXX senes **כּוּן** *ἐγγασφισυύθης* passim vocent, causam esse, quod hoc nomine omnes magi, vocem obscuram & murmur obtusum producentes, fuerint appellati: id quod inde pateat, quod ipsi illi Senes vocem **כּוּן**, quam *ἐγγασφισυύθης* vertunt alibi, Es. VIII, 19 *Φωνῶντες ἐκ τῆς γῆς*, *ex terra vocem edentes*, fuerint interpretati, cui loco accedunt non dissimilia Esaïæ XIV, 3, & XXIX. 4. Atque hæc de Syrorum & Ebræorum idololatricis superstitionibus, in ipsis originibus suis spectatis. Succedit inde de originibus simulacrorum tractatio, quæ idololatria ætate censet esse posteriora. Primo enim Deos naturales animalesve esse adoratos, paulo post etiam inventum fuisse modum, cultorum cogitationes per objecta hujusmodi sensibus obnoxia, atque in templis conspicua, excitandi. Probat hoc inde quod Persæ, Chaldæi, Ægyptii, idololatriæ inventores, nullas habuerint primis temporibus imagines, id quod etiam de Phœniciis Græcisque, Platonis & Porphyrii testimonio probet Euse-

Eusebius Præpar. I, 9, de Romanis, Germanis, aliisque populis evincant alia vetera monumenta. Inventas vero statuas & simulacra in Chaldæa primum fuisse, Nimrodi temporibus, quæ etiam sit Cyrilli sententia, indeque esse Labanis *Teraphim*: hinc porro cum coloniis in cæteras orbis partes esse derivatas. Eas initio non adorationis, sed memoriæ causa factas esse, cœpisseque adeo illam per simulacra idololatriam in simulacris hominum, non cœlestium corporum, quæ ipsa primum fuerint adorata sine imagine. Inde vero successu temporis evenisse, ut degenerantibus in cultum Divinum mortuorum honoribus, antiquis suis Diis, astris, mortuorum jam in Deos converforum nomina tribuerint, Baalis, Astartes &c. sicque imagines consecraverint astris hominibusque defunctis communes. Præterea phantasiæ excitandæ commodissimum deprehendentes, ob oculos habere imaginem; si non simulacra, emblemata saltem Deorum cœlestium conficere homines instituisse, indeque natas boum, ovium cæterorumque animantium formas, mistasque imprimis illas ex variis corporum formis figuras, emblematicè omnes Solem et astra repræsentantes. Privatum primo, non publicum, istum cultum fuisse. In Chaldæa enim primis temporibus Solis tantum ignisque cultum publice fuisse receptum, qui & postea diu reliquis cultibus omnibus prævaluerit; quod ex Chaldææ Persicæque religionis cognatione, et loco Ruffini in libro II Hist. Eccles. probatur. Invaluisse autem statuas publice una cum templis, quæ a sepulcris habeant origines, quod testentur Patres ubique: nata vero templa ex facellis, in quibus privatim primo in ædium penetralibus asservabantur majorum reliquiæ & imagines, luxu paulatim loca magis ampla magisque exornata quærente. Materiam simplicissimam fuisse primo terram coctam; sic fictilem Jovis Capitolini statuam a Varrone commemorari: inde lignum, metalla postea, argentumque & aurum. Artem initio fuisse in iis rudem, unde *caudicaria Numina* Tertulliano appellentur. Opiniones de hisce simulacris suis diversas omnino fovisse diversos. Eos, qui optime adhuc scaperent, non pro ipsis Diis, sed repræsentationibus memoriam Deorum provocantibus, ea habuisse. Sic Varronem sensisse, sic Senecam, sic Maximum Tyrium, sic ipsum Platonem, Celsumque & Dionem Chrysostomum, eamque sententiam in Gentilibus agnoscere & confutare

E. III.

c. IV. Arnobium, Origenem & Augustinum cum cæteris : adeoque verum esse, quosdam ita sensisse, ut ne quidem *Φύσιν* Deorum imaginibus istis representari, sed symbolice virtutes indicari crediderint. Alios tamen longius progressos, consecratione huiusce imaginibus conciliari ipsorum Deorum personalem, ut ita loquamur, præsentiam credidisse, ut adeo non statuas, sed Deum in statu præsentem coluerint, hancque sententiam Arnobium L. 6, p. 103, & Lactantium Institut. II, 2. confutare; ut alia taceamus eruditissimum, quibus ea illustratur. Atque hanc certe eandem esse Pontificiorum de suis imaginibus opinionem, quibus peculiari modo præsidere credant eum, cui imago est dedicata, virtutemque insignem in illis diffundere, ex qua affricu participent alia corpora, ut sacras peregrinationes proinde ad eas instituere, variisque eas superstitionibus colere, sit operæ pretium: quæ omnia certe credentes atque patrones, intentatum sibi idololatriæ crimen non facile valeant deprecari. Sed & tertiam esse de huiusmodi simulacris sententiam, quam ex Mercurio Trismegisto proponat Augustinus de C. D. VIII, 23. Nempe Deum consecratione evocatum, in simulacrum ceu corpus, animæ ad instar immigrare, unumque cum eo totum componere, homini simile ex anima & corpore constanti. Quartam denique opinionem esse hominum plane stupidorum, qui ipsa simulacra, ut sensibus eorum patebant, Deos arbitrabantur. Quibus ita positis, temeritatis facile revinci Bellarminum, qui nullam aliam Gentilium de statu suis, quam postremam istam agnoscat sententiam, contra quem Calvinii argumenta, reliquas quoque species idololatriæ adstruentis, diligenter a Cl. Autore vindicantur. Denique cum inter simulacra celebratissimum sit Israelitarum vitulus aureus in deserto conflatus, peculiaris ipsi opera impenditur. Ubi primo figmenta, quibus Judæi horrendum illud crimen excusant, adducuntur. Inde de figura huius idoli disquiritur, moneturque, dubiam eam reddere varia nomina, dum modo *בַּיִט* vitulus, modo *תַּוְרִי* taurus, modo *קַבְּלִי* caput bubulum, quod nomen apud Patres frequens, vocetur. Pro tauri figura pugnat Noster, quod Ægyptiis moribus, apud quos plures boves fuerint adorati, sit convenientissima; nec repugnare putat Ebr. *בַּיִט* quod bovem æque ac Latinorum *vitula vaccam* notare potest, imo & *caput bubulum* idem quod *bovem* notare, bonorum scriptorum

auctoritate. Causam hujus figuræ contra Monacum cum plerisque Vi-
 ris doctis defendit esse, quod in Ægypto illi fuissent alluefacti, quod
 ex Jos. XXIV, 14. Ezech. XXIX, 16. XXIII. 3. Act. VII, Eusebio item
 & Lactantio pateat. Inde, quæ animalia coluerint Ægyptii, ostendit,
 errareque illos, qui Ægyptios & lanam averfatos esse omnino
 statuunt, & animalium esum, quod Herodotus, sibi ipsi tamen hic con-
 tradicens, affirmet. Nempe boves & mactare, & edere, & sacrificare
 licuisse coloris ejus, qui fuerit Typhonis, Deorum Ægyptiorum hostis
 jurati, id est ruffos. Inter Boves, qui in honore erant & adorabantur,
 eminuisse *Apin* & *Mnevin*, de quibus diligenter Melæ, Plinii, Herodoti,
 Æliani, Ammiani, Plutarchi allegantur loca, ut qui omnia eo spectantia
 tradiderint. Peculiarior illa & hodie in nullo bove facile obvia signa,
 quæ requirebantur in *Api*, magicis incantamentis, quæ Augustini
 quoque fuerit sententia, deberi. Causis cultus prima facie tam ab-
 surdi ab aliis allatis rejectis, veram esse eam, quod his animali-
 bus symbolice Dii eorumque virtutes repræsentarentur, quod-
 que adeo idem esset eorum, quod apud ceteras gentes statuarum
 officium; cui rei firmandæ oppido illustra Herodoti in Euterpe p.
 128, Clementis Alex. e Protreptico, & Plutarchi de Iside & Osiride c.
 38, 39 & 40 loca adducuntur. Hinc contra Pontificios rursus corollare
 conficit, qui non in symbolis tantum panis & vini Christum, sed &
 in imaginibus Sanctos adorent, quæ tamen repræsentationi rei alicu-
 jus Divinæ, minus quam animantia, vita & spiritu vigentia, idonea
 existant. Utque huic consecrario plus roboris accedat, fusius probatur,
 non pro ipsis Diis, sed repræsentationibus Deorum animantia illa ab
 Ægyptiis fuisse habita. Inde *Apin* minime fuisse consecratum Græ-
 corum Epapho; multo minus *Serapin* & *Apin* esse eundem, & Jo-
 sephum Patriarcham designare, ad quem proinde omnis iste tauri,
 quem *Apin* vocant, spectet cultus, quod doctissimo Vossio verosi-
 mile visum, ostenditur. Esse vero *Apin* Isidis Deæ symbolum, *Mne-
 vin* Osiridis, quibus nominibus cum, juxta antea præstructa, junctim
 naturales Dii & animales, h. e. & astra, & homines præclare de huma-
 no genere meriti, designentur, in Isidem & Osiridem paulo penitius
 inquiritur, ut hac ratione ad eos spectare symbola Apidis & Mne-
 vis intelligantur. Osiridem itaque ex Deorum naturalium classe So-

c. II.

c. III.

c. IV.

c. V.

c. VI.

c. VII.

lem esse, quod ex Plutarcho imprimis, Macrobio & Diodoro ostenditur: Isidem *Naturam universalem*, utcunque aliter aliis videatur. Probatur hoc, quoniam in gemino hoc Numine, per universam Ægyptum, quod nulli alii Deo Deæve contigit, culto, haut dubie principia omnis generationis venerari Ægyptii voluerint, inter quæ non *Luna*, bene tamen *Natura universalis* locum obtineat, quæ matris ad instar se habeat, *Sole* patris vices gerente. Porro inde etiam, quod Isidi primas in cultu suo sacrisque religionibus deferant in omnibus Ægyptii, ipsi quoque Osiridi eam anteferentes, quod in *Lunam* certe non competat, vel aliam quamcunque ex naturalibus rebus. Argumentum quoque ipsum nomen *Isidis* suppeditare, quod *antiquitatem* Diodoro teste notet; hoc vero in *Naturam universalem* optime quadrare videri, quam Gentiles omnes æternam crediderint. Sed melius adhuc rem evincere veras nominis rationes, ex lingua Hebræo-Chaldæa, cum ab istis gentibus omnium religionum repetenda veniant initia, derivandas. Esse itaque *Isis* nil aliud quam *אִשֵׁר* *Ipsa est*, vel *אִשֵׁר* *Est est*. Indequè simul patere originem verbi *es, tu es*, Apollinis Delphici templo inscripti. Nempe esse illud ipsissimum *Isidis* nomen, cujus commentarium habeat inscriptio ad pedes Isidis, in urbe Sais Minervæ nomine cultæ, insculpta apud Plutarchum: *Ego sum omne quod fuit, quod est, quodque futurum est*; cui oppido conveniat cum inscriptione Capuensi, in qua est: *Te tibi jura, quæ es omnia Isis*. Hancque veram esse nominis *Jehovab* interpretationem, quod *Nature universali* tribuerint Ægyptii, mania, quæ postea Spinofam aliosque profanos homines invasit, jam occupati. Sed & quartum argumentum pro hac sententia omnia *Isidis* simulacra suppeditare, atque illud imprimis, quod in explicatione gemmæ Augustæ Illustris Cuperus exhibuit p. 252. In eo *turrim capiti impositam* terram, *duas cannas*, quarum radices tridentem representent, mare, *flammas* ex cavitatibus cannarum prodeuntes aerem & ignem notare. Præterea *turrim in capite*, Cybeles quoque Cererisque esse signum, itemque *mammarum*, vim alendi notantium, multitudinem; Isidem enim, Cererem, Vestam, Cybelem, Matrem Deorum, nil aliud esse, quam diversa Numinis ejusdem nomina. Illius rei si Illustri Cupero in mentem venisset, miraturum cum non fuisse, inter Boissardi imagines Isidis inveniri figuras *mul-*
timarum

timammias, cum inscriptione $\Phi\upsilon\sigma\iota\varsigma\ \pi\alpha\nu\alpha\iota\omicron\lambda\omicron\varsigma$, *Natura universalis*. Nec obscurum ipsi futurum fuisse $\kappa\epsilon\nu\tau\rho\omicron\Phi\omicron\rho\varsigma$ epitheton, quod Vestæ Eusebius tribuit. Ideo nempe hoc fieri, quod Vestæ, Cybele, Ceres, quæ cum Iside sint eadem, *Naturam universalem, eamque in centro mundi*, utpote in principali parte sua *residentem*, significant. Huic Doctissimi Autoris conjecturæ ingenii laudem concessit, soliditatem in dubium vocavit, in quadam ad eum Epistola, Illustris Cuperus. Si enim in centro resideat, eoque contineatur *Natura universalis*, quæ est Autoris nostri sententia, non posse eam dici $\kappa\epsilon\nu\tau\rho\omicron\Phi\omicron\rho\varsigma$, quod significat *centrigeram* vel *centrifera*. Vocem itaque $\kappa\epsilon\nu\tau\rho\omicron\Phi\omicron\rho\varsigma$ significare aliquid, quod $\Phi\upsilon\sigma\iota\varsigma$, *Natura*, *terra* vel *Vestæ* producat; quemadmodum $\chi\lambda\omicron\nu\Phi\omicron\rho\varsigma$ & $\kappa\alpha\rho\pi\omicron\Phi\omicron\rho\varsigma$ etiam dicatur, inde quod *ferat* vel *producat herbas & fructus*; atque alia quoque diversa a variis rebus, quas producit vel efficit, nanciscatur nomina, $\tau\rho\omicron\Phi\delta$ scilicet *altrici*, $\pi\epsilon\lambda\rho\omicron\pi\omicron\iota\delta$ *petrificæ* &c. Nihil itaque convenientius videri, quam labem esse in voce $\kappa\epsilon\nu\tau\rho\omicron\Phi\omicron\rho\varsigma$, & pro ea apud Eusebium legendum $\delta\epsilon\nu\delta\rho\omicron\Phi\omicron\rho\varsigma$, *arborum ferax*: indeque simul patere, cur etiam $\pi\alpha\rho\theta\epsilon\nu\omicron\varsigma$ dicatur eodem loco, quoniam scilicet *Terra virgo*, h. e. *quæ non sensit aratrum, vel in cuius viscera quærendorum metallorum gratia nondum descenderat quisquam*, arbores protulerit: vel quoniam cum arboribus virgines comparari soleant. Nomen denique $\acute{\epsilon}\varsigma\iota\alpha\varsigma$, apud eundem Eusebium, ad firmam *terre stabilitatem* pertinere videri. Et istam vocis quidem $\kappa\epsilon\nu\tau\rho\omicron\Phi\omicron\rho\varsigma$ emendationem atque explicationem, facile Autor noster in responso ad Cuperum admisit: inque observatis ab eo, confirmationem se invenire eorum, quæ de eodem Isidis, Vestæ, Ceres, Cybeles, Matris Deorum Numine, antea affirmaverat, existimavit: imo & *Venerem Syriam*, quæ *Urania* Græcis audit, *Naturam universalem* notare, & cæteris unius rei nominibus diversis addendam esse putavit. Hinc vero omnino rationem reddi posse animadvertit diversorum attributorum soli huic Deæ adscriptorum: quæ & tot celebretur nominibus, diversas Naturæ universalis partes respicientibus. *Vestam* appellari, quod *ignis* ejus sit pars, *calore* suo principium generationibus rerum largiens, idque disertè Ovidium in *Fætorum VI* indicare. $\Theta\acute{\epsilon}\mu\iota\nu$ & $\chi\epsilon\eta\sigma\mu\omega\delta\omicron\nu$ vocari ob spiritum æter-

num & immensum, Universi molem penetrantem, eam moderantem, omniaque cognoscentem: σπερματικὸν λόγον, quod principium omnium rerum esset; τροφὸν, quod aleret omnia. Sic κεντροφόνου etiam eam dici posse, non quod *ferat centrum*, a quo potius *feratur*, sed quod sit κερταῖσα centri, illique præsit: quamvis tamen omnino inhærendum sit Cuperi emendationi, modo observetur, vim δένδροφόνου & χλοηφόνου esse virtutes Φύσεως παντασίας, *Natura universalis*. Hanc namque, sicuti ἑστία *Vesta*, focus, viva flamma appellatur, in respectu ad coelos, ubi residet pura illa flamma; δένδροφόνου quoque vocari & χλοηφόνου in respectu ad terram, *herbarum arborumque feracem*. Poetas vero, quando in terra *Vestæ* nomen quæsiere, causam eam habuisse, quod terræ, emolumentorum suorum causæ, maxime inhæserint, quæ pars tamen *Natura universæ* existat. Παρθένης *Virginis* nomen, *Nature universæ* adscriptum, optime Cuperum explicuisse. Sed ut ad filium tractationis Autoris nostri redeamus, quintum argumentum ejus rei, quod Isis sit *Natura universæ*, suppeditant symbola Isidis, inter quæ maxime emineat ipse *Apis*. Hunc enim ad Isidem pertinuisse, non Osiridem, hinc colligit, quod in maxima veneratione *Apis* fuerit; symbolum autem præ ceteris venerabile, ad Numen haut dubie pertinuisse, cujus summa in Ægypto religio; hoc autem Isidem fuisse. Præterea consentire omnes, *Mnevin* bovem, symbolum Solis, fuisse Heliopoli adoratum: verosimile igitur haut esse, duos boves Osiridi vel *Soli*, nullum Isidi fuisse consecratum. In *Apide* itaque omnes esse *Nature universæ* characteres: mare illum esse, ad masculam ejus vim significandam; nomen *Apis* ἰσὶν parentem significare; alendis hominibus plurimum bovem, præcipuum culturæ terræ instrumentum, conferre: τὴν θήνην vero atque *altricem* esse *Naturam*. Signa totius Naturæ impressa huic bovi fuisse, *Lunam* in dextro atere, *aquilam* Jovis alitem, symbolum cæli, in dorso, *scarabeum* in lingua Solis ænigma. Omnes vero conjecturas illas tantum accendere luminis celebri Amosi Prophetæ loco: *portastis tabernaculum Regis vestri, Kijoun, imagines vestras, & sidus Deorum vestrorum, quos vobis fecistis*, ut ille novum vicissim robur addat sententiæ illi, quod Isis *Natura sit universæ*. Prophetam nempe delineare idololatriam in deserto. *Apin* enim

Regem haut dubie fuisse religionis Ægyptiæ ; *Kijun* esse Numen, cui ille sacer erat : id autem esse *Naturam universam* : כִּיּוֹן *ke-*
iono enim Syris esse *genium Naturæ*, a quo diversum non sit *Kijun*, nisi terminatione Chaldæo-Syra. Nec male hic sentire Judæos, qui *Kijun* velint esse *Saturnum*: illum enim esse *genium Naturæ univer-*
sæ, totam naturam comprehendere, omnem felicitatem donare, per-
 ficere omnia, ut diserte Lib. I Dionysius Halic. testetur. Genium ve-
 ro naturæ esse ἀγγελὸς ἡλίου, utroque sexu potentem, quod nomen
 & Isidi hæreat, eumque adeo a sexum masculinum maxime spectan-
 tibus *Saturnum*, a cæteris *Isidem* vocari. Verba vero Prophetæ, &
Sidus vestrorum Deorum, eo pertinere, quod *Apis* non unam solam
 particularem Divinitatem, sed *Naturam* referat, quæ omnia com-
 plectatur sidera ; unde & Stephanus Act. VII dixerit, exerci-
 tum cæli Israelitas adorasse. Sic investigatis, quos Isis refere-
 bat & Osiris, quorum symbolicæ imagines erant *Apis* & *Mnevis*,
 Diis naturalibus, Typhonem esse quodcunque generationibus re-
 rum adversum principium docet, atque sic ad investigandos, qui latent
 sub Isidis Osiridisve nomine, Deos animales, Reges scilicet & Viros
 illustres progreditur. Principes vero inter Deos animales, Patriarchas
 nationum haut dubie fuisse, dicit, & quidem in ista Theologia
 Ægyptiaca, Noæ, Chami & Mitsraimi esse vestigia ; Noæ imprimis,
 quem multa in Apide, fabulaque Isidis & Osiridis, referre videantur,
 nunc brevitatis causa prætereunda. Mosen sub Typhonis nomine la-
 tere. Russum enim fuisse Typhonem: Mosen, egregiæ hominem for-
 mæ, comam probabiliter ahuisse affinis, i. e. flavi coloris. Nomen
Typhonis esse Syrum *Tbuphon* תְּבֻפּוֹן quod inundationem notet,
 qua pessunderit Moses Pharaonem cum Ægyptiis; quo pertineat et-
 iam, quod Plutarchus mare & marina omnia abominari Ægyptios Sa-
 cerdotes, & sal *Typhonis spumam* appellare dicit. Typhonem hostem
 Deorum Ægyptiorum judicari, quod judicia sua per Mosen contra
 omnes eos Deus exercuerit, ut est Exod. XII, 12. Numer. XXXIII, 4.
 Typhonem LXXII sibi junctis hominibus Osirin interficientem, Mo-
 sen significare, regimen post egressum ex Ægypto cum LXXII senio-
 ribus partitum. Typhonem fratrem Osiridis Regis Ægypti: Mosen
 filium Natæ Pharaone creditum esse. Typhonem Æthiopiæ Regi-
 nam habuisse adjutricem: Æthiopiassam Mosis fuisse uxorem. Ty-
 pho-

c. VIII.

- Typhonem asinæ insidentem in Ægyptum venisse, ut Isidi & Osiridi bellum inferret: & Mosen simili vectura usum Exod. IV, 20. Denique Typhonem, teste Plutarcho, acie victum, septiduana fuga asino vectum discessisse, posteaque Jerosolymum & Judæum genuisse: quod ipse Plutarchus eo spectare animadvertat, ut Judæi in partem fabulæ Typhonis veniant. Et certe septidui fugam spectare sabbatum, post exitum ex Ægypto a Mose institutum; Jerosolymi & Judæi natales, constitutam a Mose Judaicam Rempublicam. Hæc de Ægyptiorum Theologia, usque boum in ipsorum religionibus, Apidis inquam & Mnevis. Jam porro Israelitas, vitulum adorantes, non id egisse, ut Deos adorarent Ægyptios, Apin Isidemque vel Osirin, sed verum Deum in Ægyptio isto symbolo voluisse honorare, quæ Calvinii & Protestantium plerorumque sententia est, contra Romanæ Ecclesiæ Doctores diligenter Autor defendit. Festum celebratum Vitulo Exod. XXXII, 5. dedicationis fuisse, in quo ritus in Isiacis recepti observati fuerint, quorum nonnulli ex Herodoti Euterpe, quibus festum Isidi Bubaste celebratum describit, recensentur. Nec dubium Autori videtur, in eo festo in thensa vitulum illum circumgestatum fuisse, eoque spectare locum Amosi: *portavistis tabernaculum Moloch vel Regis vestri*. Mosen autem solennibus illis intervenientem, vitulum per calcinationem, quousque licuerit, in cineres rede gisse. Cum idololatria populi in deserto, & formæ & materiæ cognationem habere idololatriam Jeroboami. Illum vitulorum cultum ex Ægypto, ubi diu versatus fuerat, attulisse. Dicitur autem idola illius diserte *δαμάλεις, junices*, in Scriptura passim: alibi rursus *vitulos*: quod suspitioni locum dat, utrumque sexum gemina vacca Jeroboamum representasse, quia, ut supra dictum, *ἄρρενὸς Θελυσ* Isis crederetur. Deum verum hoc symbolo Jeroboamum colere voluisse, & ceremoniis quidem a Mose præceptis: quod imprimis clarum sit ex relatis 2. Reg. XVII, 28, ubi dicitur, novos Salmanassarum colonos Samariam tuto habitare non potuisse, donec discerent cultum Dei Israelis; quem proinde retinuisse hucusque necesse sit Israelitas, nisi quod vitulorum adhiberent symbola. Ex loco Osee XIII, 2. male cum Judæorum magistris quosdam colligere, homines vitulis hisce fuisse immolatos; sensum enim verborum esse: *quicumque inter homines sacrificat, osculum figet vitulis;*
- c. IX.
- c. X.
- c. XI.

vitulis. Id tamen inde constare, osculo honoratos illos fuisse, quod & in aliis religionibus observatum; ut ex Jobi XXXI, 27, & Apulejo in Apologia pateat. Sacerdotes Jeroboami male quosdam inter Eruditos putare ex fæce plebis delectos; quod parum conveniens fuisset ad conciliandam novæ religioni auctoritatem. Ebræa verba מקצות העם non *ex infima plebe* notare, sed simpliciter *ex medio populo*: id indicare tantum volente sacro Historico, quod ex tribu Levi scripti non fuerint Sacerdotes, sed ut fors ferret, ex populo. Peccatum denique illud Jeroboami illis, qui imagines & εἰδωλοθεσίας suas cultui divinitus præcepto miscere gaudeant, ne utiquam cavere. Ut ut enim minus fuerit Jeroboami peccatum crimine ultionum Israelis Regum, a veri Dei cultu penitus ad Baalim deficientium: peccatum tamen nihilominus fuisse. Nec illi excusando inservire, quod Elias tamen Elisæusque, veri Prophetæ, perpetuo in illa gente fuerint versati: hoc enim placuisse sapientiæ Divinæ, ut aliqua tamen adhuc, licet corrupta, in illa gente servaretur Ecclesia. Atque hæc Autor doctissimus de cultibus falsis inter Israëlitas ex Ægypto oriundis. Jam libro IV ad eos pergit, qui Syriæ & Chananææ natales debent. Sed ejus quidem justum recensum nemo a nobis requiret; cum in prioribus tribus enarrandis, jam tum in tituti nostri limites longe fuerimus supergressi.

THESAURUS ANTIQUITATUM GRÆCARUM,
contextus & designatus a JACOBO GRONOVIO. Vo-
lumen sextum, septimum, & octavum.

Lugduni Batavorum apud Petrum van der Aa, 1699, fol.

Volumen VI constat Alphab. 6. plag. 19.

VII Alphab. 8. plag. 11.

VIII Alphab. 7. plag. 17.

Primum Voluminis sexti locum obtinet Joachimi Stephani, Pomerani, J. U. D. *de Jurisdictione veterum Græcorum liber*. Pronunciat de eo celeberrimus Gronovius, satis quidem scite conderavisse utramque urbem, vel potius generatim patefecisse universam Græcorum indolem istuc quidem ferentem, ut δίκην colet; ast nihilominus nimium Alexandro ab Alexandro & Cœlio Rhodigino in hoc libro tributum esse: doletque præterea, non ma-

jori cum cura librum istum in editione prima fuisse administratum. Sequuntur p. 2755 Joachimi Perionii, Hebraicarum & Græcarum litterarum Lutetiæ Interpretis Regii, *de Magistratibus Græcorum & Romanorum libri tres*, a Francisco fratris filio editi, quorum tertium librum adeo Romanis rebus obrutum Gronovius dicit, ut nequaquam explicet impleatque inscriptionis promissum ac materiam. Proxime abest Heraclidæ Pontici *de Politis Græcorum libellus, cum interpretatione Latina Nicolai Cragii*, quem si integrum dare potuisset, totius instar Thesauri futurum fuisse existimat. Ast temporum injuria fragmentum solum dare coegit, cujus tamen nec editores, nec interpretes, exquisitam rationem habuerunt. Hunc excipit pag. 2835 Jo. Adami Osiandri *de Asyis Gentilium dissertatio*, quam p. 2855 Jo. Baptistæ Crophii *Antiquitates Macedonicae*, hisque p. 2939 adjuncta Petri Hendreich *Massilia* comitantur. Inde pag. 3007 comparet Burcardi Niderstedii *Melita vetus & nova, Hephæstia insula, Melita subterranea*, de qua in præfatione dum verba facit Gronovius, miratur in simul, inter *σεβασματα* hujus insulæ, non nisi Herculem & Junonem celebrari, quum & Dea Proserpina, & templum ejus, in inscriptionibus apud Gualterum tam aperte nominetur. Hac occasione, Jacobi de Wilde, cui hæc studia mirum quantum debent, beneficio monetam in ære ΜΕΛΙΤΑΙΩΝ, prout erat, expressam accuratissime ex quinque fidelissimæ notæ ætypis adducit, deque *κυνή* & rosa Meliteni ibi occurrentibus præcipit, & contra Sponium aliosque disputat. Inde pag. 3087 conspiciuntur Petri Gyllii, quem in primis laudat, *de Bosporo Thracio libri tres*, & p. 3219 ejusdem *de Topographia Constantinopoleos, & de illius Antiquitatibus libri quatuor*. Hos excipiunt Georgii Doufæ *de Itinere suo Constantinopolitano Epistola*. Accesserunt *Veteres Inscriptiones Byzantio & ex reliqua Græcia cum quibusdam doctorum Virorum epistolis* p. 3343: Leonardii Aretini *Commentaria rerum Græcarum*, p. 3387. Wolfgangi Lazii *Græciæ Antiquæ variis numismatibus illustratæ lib. II* p. 3419: Josephi Laurentii *Disquisitio de Rebus publicis, suffragiis, conciliis, accusationibus, tormentis, &c. veterum*, p. 3651: Everardi Feithii *Antiquitatum Homericarum libri IV*, in quibus fere omnes eorum temporum per Græciam ritus, ceremoniæ & mores, tam in sacris quam profanis, exponuntur & illustrantur, p. 3711.

Nicolai Damasceni *de moribus Græcorum aliarumque Gentium libellus*, cum interpretatione Latina Nicolai Cragii, p. 3843. De Jos. Laurentio censet, nimis breviter instituto defunctum, versus peregrina & aliena statim deflexisse. Præclarius de Feithio existimat, & nonnullos in hoc opere occurrentes nævos non ab ipso, sed editorum negligentia profectos arbitratur.

Volumen septimum ad Sacra præsertim Græca & Festivitates spectat, & librorum hoc Antiquitatis caput persequentium haut contemnendam seriem repræsentat. Primum ex his locum occupat Danielis Clasenii *Theologia Gentilis, seu demonstratio, qua probatur, Gentilium Theologiam (ceu tenebras) Deos, sacrificia & alia ex fonte Scripturæ (ceu luce) originem traxisse, in tres partes divisa*. Hinc p. 133 Josephi Laurentii *Varia Sacra Gentilium*, & p. 253 Abrahami Ortelii *Deorum Dearumque capita, ex antiquis numismatibus collecta, Historica Narratione illustrata a Francisco Swertio* conspiciuntur. Reliqui libri hoc ordine exhibentur: Julii Cæsaris Bulengeri *de Oraculis & Vatibus liber* p. 1. Idem *de Templis Ethnicorum* p. 50. Jo. Henrici Eggelingii *Mysteria Cereris & Bacchi, in vasculo ex uno onyche, cum figuris* p. 57. Joannis Meurfii *Panathenea, sive de Minervæ illo gemino festo, liber singularis, nunc ex ipsius auctoris chirographo auctus*, p. 77. Ejusdem *Eleusinia, sive de Cereris Eleusiniæ Sacro, ac Festo, liber singularis, nunc ex ipsius auctoris chirographo auctus*, p. 109. Jo. Nicolai *de ritu antiquo & hodierno Bacchanaliorum commentatio*, p. 173. Jo. Jacobi Hellerei *Exercitatio de Deo ignoto Atheniensium*, p. 221. Jacobi Sponii *ignotorum atque obscurorum quorundam Deorum Aræ, notis illustrata, cum quorundam Eruditorum epistolis ad eam rem pertinentibus*, p. 233. Stephani Byzantini Grammatici *de Dodone fragmentum, quo tota veterum doctrina & fabulatio de per antiquo Oraculo isto continentur, cum exercitationibus recognitis Jacobi Gronovii, cum figuris*, p. 269. Jacobi Triglandii, J. F. J. N. *Conjectanea ad quadam obscura fragmenti de Dodone loca*, p. 321. Jo. Antonii Vernerii *de Oraculis & Divinationibus Antiquorum, tractatus succinctus & exquisitus*, p. 325. *Symbolica Diane Ephesiæ Statua a Claudio Menetrejo exposita, multis novis additionibus, nummis & monumentis antiquis illustrata*, p. 357. Lucae Holstenii *epi-*

stola ad Franciscum Cardinalem Barberinum, de Fulcris seu Verubus Dianæ Ephesiæ simulacro appositis, cum figuris, p. 393. Jo. Petri Bellorii notæ in Numismata tum Ephesia, tum aliarum urbium, Apibus insignita, cum figuris, p. 401. Ejusdem expositio Symbolici Deæ Syriæ simulacri cum figuris, p. 425. Marmorea Basis Colossi Tiberio Cæsari erecti, ob civitates Asiæ restitutas, post horrendos terræ tremores: cujus Colossi fides a Jo. Meursio oppugnata defenditur, tantum non oculis exhibetur, & venusta proponitur: tempus, numerus & nomina civitatum restitutarum ubique falsus & varius a recentibus commentatoribus traditur; verus & certus ex marmorea basi, publico instrumento, feliciter probatur. Ad Ser. ac Rev. Principem Franciscum Mariam Mediceum, &c. Primus trans Alpes vulgavit, revocavit, notis & observationibus illustravit Laurentius Theodorus Gronovius, cum figuris, p. 433. Laurentii Pignorii Magnæ Deum matris Idææ & Attidis initia, ex vetustis monumentis eruta, cum figuris, p. 433. Jo. Fazoldi Græcorum veterum ἹΕΡΟΛΟΓΙΑ, p. 521. Petri Castellani ΕΡΟΤΟΛΟΓΙΟΝ, p. 597. Jo. Meursii Græcia Feriata, sive de Festis Græcorum libri VI, cum notis & marmore Ταυροκαθάρσιον, pag. 701. Nempe Gronovius non aliquoties tantum in ima ora ad Meursiana polienda aliquid addidit, sed etiam p. 854 interposuit, ad fidem summæ suæ erga Oxoniense marmor reverentiæ, & nomen, & conspectum festi ΤΑΥΡΟΚΑΘΑΡΣΙΑ. Jo. Jonstoni de Festis Græcorum schediasma, p. 871. Julii Cæsaris Bulengeri de Ludis veterum liber unicus, p. 901. Jo. Meursii de Ludis Græcorum liber singularis, p. 941. Danielis Souterii Palamedes, sive de Tabula lusoria, Alea & variis ludis, libri tres p. 997. Andreæ Senftlebi de Alea veterum liber singularis, p. 1121. Coelius Calcagninus de Talorum ac Tesserarum & Calculorum Ludis ex more veterum, in gratiam Lillii Gregorii Gyraldi, p. 1213. De singulis fere in præfatione eruditissimus Gronovius nonnulla monet, & verperperam dicta indicat, vel prolata illustrat, auget & dilucidius exponit. Ita de Symbolica Dianæ Ephesiæ statua a Menetrejo exposita differens, temperare sibi non potest, quin marmoream ejusdem Dianæ, quam in arcis Heemstejana propylæo deprehendit, statuam ex longinquis locis advectam repræsentaret, & hoc modo Menetrejo lucem afferret. Quæ uti nullis aliarum, judice Gronovio

novio, pulchritudine artis & elegantia cedit, ita ab omnibus diversa est, seu manuum elevationem consideres, seu septem fascias, in quibus unice convenit cum ea, quam Leonardus Augustinus ex gemma edidit, seu *πετροπυὰς* equorum in aliis parum observatas, cum tanta canum multitudine Hecaten suam justissime cingente, ut mereatur certe hoc marmor inter reliqua spectari. Miratur cæterum quin, cur non Menetrejus nummos illos omnes, quos citet, collectos apposuerit, vel qui factum fuerit, ut ex hac Dianæ in nummis gloriosæ pompa, ab Holstenio collecta, omissus sit nummus Claudii, eam perinde in æde tetrastylo stantem & veribus innixam exhibens, cum ipsis literis DIANEPHE, ut est in serie orbium Crojanorum. Hanc vero Dianam ex suis sacris illustratam vult, non admixtione nunc Cereris, nunc Isidis, nunc Cybeles, adeoque discedit ab illis, qui has ad partes vocaverint.

Volumen Octavum cætera Ludrica & Amœnitates Græcas persequitur, & p. 1234 sistit Jo. Meursii *Orchestram, sive de Saltationibus veterum librum singularem*. In hoc non probat, neglectum adeo fuisse Scaligerum nomen, ut ne meminisse quidem dignatus fuerit, præsertim cum reperias apud Scaligerum (capite nempe XIV de Comœdia) quæ omissa Meursio. Inde repræsentantur Jo. Baptistæ Casalii *de Ritu Nuptiarum, ac de Jure Connubiali veterum dissertatio*, p. 1302. Josephi Laurentii *de Sponsalibus & Nuptiis antiquorum libellus*, p. 1330. Barnabæ Briffonii *ad legem Juliam de Adulteriis liber singularis*, p. 1346. Josephi Laurentii *de Adulteris & Meretricibus tractatio*, p. 1402. Jo. Meursii *de Puerperio syntagma*, p. 1418. Josephi Laurentii *de Natalitiis Conviviisque, quæ in iisdem agitabantur, exercitatio*, p. 1430. Ejusdem *de Praconibus, Citharædis, Fistulis ac Tintinnabulis collectio*, p. 1459. Lillii Gregorii Gyraldi *de Comœdia, ejusque apparatu omni & partibus commentarius*, p. 1474. Julii Cæsaris Scaligeri *de Comœdia & Tragœdia, ejusque apparatu omni & partibus commentatio*, p. 1494. Ejusdem *de Versibus Comicis tractatus*, p. 1550. Joachimi Camerarii *de Comicis versibus diatriba*, p. 1578. Jo Baptistæ Casalii *de Tragœdia & Comœdia lucubratio*, p. 1598. Alberici Gentilis *de Actoribus & Spectatoribus Fabularum non notandis disputatio*, p. 1826. Evanthii & Donati *de Tragœdia & Comœdia commentatiuncula*, p. 1682. *De Fabularum, Ludorum, Theatrorum, Scenarum ac*

Scenicorum antiqua consuetudine, libellus, p. 1694. Jo. Ludovici Fabricii *de Ludis Scenicis ΔΙΑΛΕΞΙΣ casuistica quinquepartita*. Petri Fabri *de re Athletica, Ludisque veterum Gymnicis, Musicis atque Circensibus spicilegiorum tractatus*, tribus libris comprehensi, opus tessellatum, cum ejusdem paralipomenis, p. 1758. *Inscriptiones Athleticae nuper repertae, editae & notis illustratae* ab Octavio Falconerio, quibus accesserunt aliae ex Africanis marmoribus recens descriptae, p. 2290. Barnabae Briffonii *commentarius ad L. Dominico de Spectaculis, in C. Theodosiano, & L. omnes dies Cod. de Feriis* p. 2358. Josephi Laurentii *de Agyrtis, Histrionibus, Acclamationibus, & Osculis investigatio*, p. 2434. Jo. Meursii F. *collectanea de Tibiis*, p. 2450. Musonii Philosophi *opus de Luxu Graecorum, in quo de belluonibus, bibacibus, generibus poculorum, vino, coronis, quibus in conviviis veteres utebantur, unguentis, musicis instrumentis, bellariis, saltationibus, parasitis, generibus placentarum, ac meretricibus insignibus*, a Stephano Nigro congestum, p. 2466. Petri Bellonii *de admirabili Operum antiquorum & rerum suspiciendarum praestantia*, libri tres, p. 2530. Philo Byzantius *de septem Orbis Spectaculis, Graece, cum notis & interpretatione Leonis Alatii*, p. 2642. Phlegontis Tralliani *de rebus mirabilibus liber, Graece, cum interpretatione Latina Guilielmi Xylandri, ac recensione notisque Jo. Meursii*, p. 2690. Ejusdem *de Longaevis libellus, Graece, cum interpretatione Latina Guilielmi Xylandri, ac recensione notisque Jo. Meursii*, p. 2727. Jo. Frederici Gronovii *de Museo Alexandrino exercitationes Academicae, habitae anno M DCLXVII post caniculares ferias, ab filio ejus exceptae, & nunc primum editae*, p. 2738. Ludolphi Neocori *de Museo Alexandrino diatriba, nunc primum edita*, p. 2766.

ISAACI NEWTONI TRACTATUS DUO, DE SPECIEBUS & MAGNITUDE FIGURARUM CURVILINEARUM.

Londini apud Samuelem Smith & Benjamin Walford,
Typographos Societatis Regiae, 1704, in 4.

Constant plagul. 10.

Celeberrimus magno suo merito Vir, Isaacus Newtonus, Tractatui suo Optico de Coloribus, Anglice scripto, appendicis in modum


dum sermone Latino duos subjecit Tractatus Geometricos, breves sed præclaros, priorem de Enumeratione Linearum Tertii Ordinis; alterum de Quadratura Curvarum. Quod Enumerationem Linearum attinet, notat in antecessum, *lineas* dici posse *primi, secundi, tertii, quarti &c. ordinis*, quas recta potest secare in punctis, uno, duobus, tribus, quatuor &c. Itaque *primi ordinis* est ipsa recta; *secundi* sunt *conicæ*, sub quibus comprehenditur circulus; *tertii* sunt *æ*, quas hoc loco numerare aggreditur. Lineæ autem ordinis secundi, tertii, quarti &c. possunt dici (respective) *curvæ generis primi, secundi, tertii, &c.* Curvæ denique infinitesimi generis sunt, (ut notum est) quas recta in infinitis punctis secare potest, quales sunt, quæ per radii vel rotæ revolutiones infinitas generantur. Ostendit deinde, proprietatibus quibusdam primariis, conicarum seu curvarum primi generis, consimiles esse proprietates curvarum secundi generis, & generum etiam superiorum; quoad ordinatas scilicet, diametros, vertices, centra, axes, latera recta & transversa, & asymptotos. Nam si rectæ plures inter se parallelæ & ad sectionem conicam utrinque terminatæ ducantur, recta duas earum bisecans bisecabit alias omnes; quæ dicetur *diameter*, & parallelæ dicentur *ordinatim applicatæ*. Concurfus diametrorum est *centrum* figuræ, & intersectio curvæ ac diametri, *vertex*: & diameter illa, cui ordinatim applicatæ insistant ad angulos rectos, dicitur *axis*. In curvis secundi generis si rectæ duæ quævis parallelæ ducantur occurrentes curvæ in tribus punctis, recta quæ ita secat has parallelas, ut summa duarum partium ex uno secantis latere ad curvam terminatarum æquetur parti tertiæ ex altero latere ad curvam terminatæ, eodem modo secabit alias, his parallelas curvæque in tribus punctis occurrentes. Hæ ergo tres partes, quæ hinc inde æquantur, dicentur, ut in conicis, *ordinatim applicatæ*, & recta secans dicetur *diameter*, & concurfus duarum diametrorum dicetur *centrum*, & ubi omnes diametri in eodem puncto concurrunt, istud erit *centrum generale*. Diameter autem ad ordinatas rectangula, si modo aliqua sit, etiam *axis* dicitur. Et quemadmodum in conicis sectionibus non parabolicis quadratum ordinatim applicatæ hoc est rectangulum ordinarum, quæ ad contrarias partes diametri ducuntur, est ad rectangulum partium diametri, quæ ad vertices ellipseos vel hyperbolæ

bolæ terminantur, ut data quædam linea, quæ dicitur *latus rectum*, ad partem diametri, quæ inter vertices jacet, & dicitur *latus transversum*; sic in curvis non parabolicis secundi generis parallelepipedum sub tribus ordinatis est ad parallelepipedum sub partibus diametri ad ordinatas & tres vertices figuræ abscissis, in ratione data: in qua ratione si sumantur tres rectæ ad tres partes diametri inter vertices figuræ sitas, tunc illæ tres rectæ dici possunt *latera recta*, & illæ partes diametri inter vertices, *latera transversa*. Et sicut in parabola conica, quæ ad unam & eandem diametrum unicum habet verticem, rectangulum sub ordinatis æquatur rectangulo sub parte diametri, quæ ad ordinatas & verticem abscinditur, & recta quadam data, quæ *latus rectum* dicitur; sic in curvis secundi generis, quæ nonnisi duos habent vertices ad eandem diametrum, parallelepipedum sub ordinatis tribus æquatur parallelepipedo sub duabus partibus diametri ad ordinatas & vertices illos duos abscissis & recta quadam data, quæ proinde *latus rectum* dici potest. *Hyperbola* primi generis duas *asymptotos*, secundi tres, tertii quatuor &c. & non plures habere potest. Et quemadmodum partes lineæ cujusvis rectæ inter hyperbolam conicam & duas ejus *asymptotos* sunt hinc inde æquales; sic in hyperbolis secundi generis si ducatur recta quævis secans tam curvam quam tres *asymptotos* in tribus punctis, summa duarum partium istius rectæ, quæ a duabus quibusvis *asymptotis* in eandem plagam ad duo puncta curvæ extenduntur, æqualis erit parti tertiæ, quæ a tertia *asymptoto* in plagam contrariam ad tertium curvæ punctum extenditur. Sicut etiam in conicis sectionibus, ubi duæ parallelæ ad curvam utrinque terminatæ secantur a duabus parallelis ad curvam utrinque terminatis, prima a tertia, & secunda a quarta, rectangulum partium primæ est ad rectangulum partium tertiæ, ut rectangulum partium secundæ ad rectangulum partium quartæ: sic ubi quatuor tales rectæ occurrunt curvæ secundi generis, singulæ in tribus punctis, parallelepipedum partium primæ rectæ erit ad parallelepipedum partium tertiæ, ut parallelepipedum partium secundæ ad parallelepipedum partium quartæ. Porro curvarum secundi & superiorum generum æque ac primi cras omne in infinitum progrediens vel *hyperbolicum* est, si ad *asymptoton* aliquam in infinitum appropinquet, vel *parabolicum*, si *asymptoto* destituitur. Denique

lineæ omnes ordinis primi, tertii, quinti & imparis cujusque, duo habent ad minimum crura in infinitum versus plagas oppositas progredientia. Quod formas curvarum attinet, Autor vocat hyperbolam *inscriptam*, quæ tota jacet in asymptotôn angulo ad instar conicæ; *circumscriptam*, quæ se at asymptotos, & partes abscissas in sinu suo amplectitur; *ambigenam*, quæ uno crure infinito inscribitur & altero circumscribitur; *convergentem*, cujus crura concavitate sua se invicem respiciunt, & in plagam eandem diriguntur; *divergentem*, cujus crura convexitate sua se invicem respiciunt, & in plagas contrarias diriguntur; *cruribus contrariis præditam*, cujus crura in partes contrarias convexa sunt, & in partes contrarias infinita; *conchoidalem*, quæ vertice concavo & cruribus divergentibus ad asymptoton applicatur; *angulinam*, quæ flexibus contrariis asymptoton fecat, & utrinque in crura contraria producitur; *cruciformem*, quæ conjugatam decussat; *nodatam*, quæ se ipsam decussat in orbem redeundo; *cuspidatam*, cujus partes duæ in angulo contactus concurrunt, & ibi terminantur; *punctatam*, quæ habet ovalem infinite parvam, id est, punctum; & *puram*, quæ per impossibilitatem duarum radicum, ovali, nodo, cuspidate & puncto conjugato privatur. Eodem sensu parabolam quoque convergentem, divergentem, cruribus contrariis præditam, cruciformem, nodatam, cuspidatam, punctatam & puram nominat. *Hyperbolam* vocat *redundantem*, quæ numero crurum sectiones conicas superat; *defectivam*, quæ unicam habet asymptoton, & duo tantum crura hyperbolica juxta asymptotam illâ in plagas contrarias infinite progredientia; ex his una est *cissois* veterû. *Hyperbolas parabolicas* vocat, quæ habent crura hyperbolica & parabolica. In universum autem numerat lineas tertii ordinis, seu curvas secundi gradus, septuaginta duas. Et notat, quod, si in planum infinitum a puncto lucido illuminatum umbræ figurarum projiciantur, umbræ sectionum conicarum semper erunt sectiones conicæ, curvarum secundi generis semper erunt curvæ secundi generis (vel potius non plus quam secundi generis) & ita porro. Et quemadmodum circulus umbram projiciendo generat omnes sectiones conicas (idem de quavis conica dici potest) sic quinque parabole divergentes secundi generis exhibent omnes alias secundi generis curvas. Quinque illæ parabole divergentes sunt hæ, quarum æquatio com-

munis est $yy = ax^3 + bxx + cx + d$, ubi AB, AG sunt axes conjugati, curvæ punctum C , & AB, X , & BC, y . Quod si jam sit $y = 0$ & æquationis $ax^3 + bxx + cx + d = 0$, tres radices AT, At, Ar sint reales & inæquales, prodit figura parabolica divergens *campaniformis cum ovili* ad verticem *fig. 2. 3*. Si radices duæ sunt æquales, parabola prodit vel *nodata* contingendo ovalem, *fig. 4*, vel *punctata* ob ovalem infinite parvam, *fig. 5*. Si tres radices sunt æquales, parabola est *cuspidata* in vertice, & est parabola semicubica vulgo dicta, *fig. 7*. Denique si duæ radices sunt impossibiles, habebitur parabola *pura campaniformis* *fig. 4. & 6*. His quinque parabolis divergentibus secundi generis adjiciamus ex Autore cissoidem veterum *fig. 1*, parabolam, per quam Cartesius æquationem sex dimensionum construxit *fig. 7*. (quæ habet quatuor crura infinita, quorum duo sunt hyperbolica circa asymptoton AG , & duo parabolica convergentia, & cum prioribus speciem tridentis fere efficientia) & parabolam cubicam vulgarem (quæ est ex numero paraboliarum divergentium) *fig. 8*. Reliquæ figuræ, quæ cum his omnes septuaginta duas curvas secundi generis representant, apud Autorem videri possunt. Cæterum Autor non attingit *focos* vel *umbilicos* curvarum secundi generis, & multo minus generum altiorum. Cum ergo ea res abstrusioris sit indaginis, & maximi tamen in hoc genere usus, tum ad descriptiones, tum ad alias proprietates curvarum, & doctrina hæc focorum ab Ill. Dn. D. T. profundius sit versata; supplementum ejus pro his curvis ab ipsius ingenio expectamus.

Ingeniosissimus deinde Autor, antequam ad *Quadraturas Curvarum* (vel potius figurarum curvilinearum) veniat, præmittit brevem *Isagogen*. Quæ ut melius intelligatur, sciendum est, cum magnitudo aliqua continue crescit, veluti linea (exempli gratia) crescit fluxu puncti, quod eam describit, incrementa illa momentanea appellari *differentias*, nempe inter magnitudinem, quæ antea erat, & quæ per mutationem momentaneam est producta, atque hinc natum esse calculum *differentialem*, eique reciprocum *summativum*; cujus Elementa ab inventore Dn. Godefrido Guilielmo Leibnitio in his Actis sunt tradita, varique usus tum ab ipso, tum a Dnn. Fratribus Bernoulliis, tum & Dn. Marchione Hospitalio, (cujus nu-



per extincti immaturam mortem omnes magnopere dolere debent, qui profundioris doctrinae profectum amant,) sunt ostensi. Pro differentiis igitur Leibnitianis Dn. Newtonus adhibet semperque adhibuit fluxiones, quae sint quam proxime ut fluentium augmenta aequalibus temporis particulis quam minimis genita; iisque tum in suis Principiis Naturae Mathematicis, tum in aliis postea editis eleganter est usus, quemadmodum & Honoratus Fabrius in sua Synopsi Geometrica motuum progressus Cavalierianae Methodo substituit. Porro ut dato quantitatis alicujus, velut y , valore per aliam indeterminatam, qualis x , haberi etiam potest valor ipsius dy (differentiae inter duas proximas y ,) per x , & per dx (differentiam inter duas proximas x) seu uti data quantitate y , potest inveniri differentia dy ; quod nihil aliud est, quam invenire tangentes curvarum: ita vicissim dato valore ipsius dy , modo dicto exhibito, seu data differentia dy invenire terminum y , est invenire summas omnium differentiarum seu dy ; quia discrimen inter duas y assignabiles extremas est summa omnium differentiarum intermediarum; &posito unam ex extremis aequalem esse nihilo, seu crescendo incipi ab o , tunc summa illa est ultima y . Hinc dato termino v , qui sit ad a constantem, ut dy ad dx , erit rectangulum ay aequale summæ omnium $v dx$, quæ scribitur $\int v dx$, id est, æquabit aream figuræ factæ ex ordinatis, v ductis respective in dx elementa abscissarum. Atque ita regressus a valore ipsius dy seu ipsius $\frac{v dx}{a}$ differentiae, ad valorem ipsius y (seu ipsius $\int \frac{v dx}{a}$) est quadratura figuræ, cujus abscissa x , ordinata v . Adeoque fluxus ipsius y est areæ dictæ proportionalis. Sed cum regressus hic a differentiis ad quantitates, vel a quantitatibus ad summas, vel denique fluxionibus ad fluentes, non semper Algebraice fieri possit, (prorsus non potest regressus a potentiis ad latera, vel a quantitatibus ad radices non semper fieri potest rationaliter) ideo quærendum est, tum quibus casibus quadratura Algebraice succedat, tum quomodo Algebraico successu deficiente aliquid subsidiarium adhiberi queat. In quoque etiam a Dn. Newtono est utilissime laboratum, tum alias, tum in hoc tractatu de Quadraturis, ubi series adhibet infinitas, quæ in casu, quo abrumpuntur, seu finiuntur, quæsitum Algebraice exhibent. De quo etiam dictum est nuper in recensione tractatus

Dn. Cheynæi, Medici Scotici Londini degentis. Conferri etiam potest tractatus Dn. Craigii Scoti de Quadraturis, & ejusdem Theorema ad Quadraturas pertinens, nuper in his Actis exhibitum; quæ faciunt etiam, ut ipsis Theorematis Newtonianis recensendis supersedeamus, quia paucis exponi non possunt: quemadmodum nec ejusdem Theoremata quædam reductionis ad quadraturas faciliores. Eas autem quantitates, quæ Algebraice exprimi non possunt, Newtonus vocat *Geometrice irrationales*, ad imitationem quantitatum furdarum seu Arithmetice irrationalium.

RUNÆ IN NUMIS VETUSTIS DIU QUÆSITÆ, tandemque ibidem feliciter inventæ, seu de Numis Runicis commentatio NICOLAI KEDERI, Regii Antiquitatum Suecico-Gothicarum Collegii Adsefforis.

Lipsiæ apud Jo. Frid. Geditsch, 1704, 4.
Plag. 4. cum fig. æn.

ANnus nunc, & quod excedit, elapsus est, ex quo elegantissimum Kederi nostri schediasma, quod *de Argento Runis seu litteris Gothicis insignito* inscripserat, in hisce Actis nostris, mense nimirum Septembri anni 1703, pag. 417 seqq. recensitum exhibuimus; cui quidem consignando ansam dederat delineatum in Camdeni Britannia, Anglice nunc loquente & ampliata, Runicum numisma. Jam vero aliam de numis Runice signatis commentationem idem litteratissimus Vir lectori curioso sistit, in qua Runas diu in vetustioribus numis a se quæsitæ, ac tandem feliciter inventas delineat. Ut vero mentem suam clarius exponat, primo quidem *Runarum* vocabulo elementa se intelligere Gothica dicit, non qualia sequior ætas, ob Longobardicum characterem inter Monachos frequentatum, *Monastica*, i. e. *Münch = Schrift* / adpellavit, sed ejus tantum generis, quæ in lignis & saxis antiquissimis exarata deprehendimus. An vero hi Gothorum characteres, quos *Runas* vulgus nominat, metallo etiam signato, sive in numerum formas conflato, antiquitus fuerint dati, diu dubitavit, iis maxime de causis, quod multi ex argento numi Runicæ dentur, animi gratia fusi ac plane spurii, in quorum censum *Attili* vel *Attilæ*, *Sivari*

TAB. II. ad A 1705. M. Jan. p. 37.

1.



2.



3.



4.



5.



6.



7.



8.



9.






vel *Sivardi, Erici, Waldemari & Margarethæ* Regg. numismata refert, atque *bracteatum* quendam sive *cavum* se vidisse ait, quem Petrus Baillet, civis Holmiensis possideat, Runice quidem signatum, sed falsum tamen, licet malleo cufum. Magnum itaque in ejusmodi pecunia discrimen esse habendum, ac ne in alterutram partem nimis declinemus, dispiciendum docet. Nobis enim idem contingere posse, quod Vaillantio, Viro alias rei numariae callentissimo accidit, qui in Gordianorum historia omnem Africanum, qui aversus A U G. & non A U G G. habeat, malæ notæ esse contendit; quum tamen Kederus noster apud Per-Illustrem Baronem de Hekern, Fœderati Belgii ad Aulam Suecicam Legatum nuper extraordinarium, suis oculis observavit indubitatae antiquitatis integerrimæque fidei Gordianum Africanum patrem ex ære primæ magnitudinis, latere secundo insignitum hac epigraphe: PROVIDENTIA AVG. uno duntaxat G. Laudat deinde Illustrem e Suecia Virum, Jo. Gabrielem Sparwenfeldium, quem Potentissimus Rex Carolus XI, ad perquirenda apud exteros antiquariæ suppellectilis, quæ Suecos attineat, cimelia, per annos aliquot peregrinari, ac præcipue Mantuæ Carpetanorum seu Madriti commorari jusserat. Cæterum quum litteras Runicas non reperiret Noster in numismatibus Ostro-Gothicis aureis, argenteis, æreisve, olim in Italia percussis, neque etiam in numis aureis nomina & capita Regum Westro-Gothorum seu Wisi-Gothorum exhibentibus, partim in Gallia, partim in Hispania cufis, (quorum Regum seriem contexit, & Latinis eos potius, quam majorum suorum literis usos ostendit,) ac ne quidem apud aurarios fabros meliore fortuna gauderet, ad quos tamen vetustatis reliquiæ in agrorum latebris inventæ perferri soleant, de sorte sua pæne desperare, atque amplius de illis dubitare cœpit. At enimvero ita cogitanti eruditissimus Vir, Elias Brennerus, numulos tres, e tenui bractea argentea *cavos* ostendit, quorum (Vid. figur. 1. 2. 3.) unus præfert Π (*V*) tribus coronis (antiquis propriisque Sueciæ insignibus,) scriptum: alter B (*B*) inter hemicyclum & crucem: tertius H (*S*) stella, cruce atque lunula, quas singularis globulus ter interfinguit, stipatum. Quibus annumerandi sunt trini ejus commatis alii, quos Olaus Bromelius, Med. D. & Gothoburgensis Poliater expiscatus est, quique pari modo e *cava* lamella argentea sunt, & (vid. figg. 4. 5. 6.)

TAB. II.


Fig. 1. 2. 3.

Fig. 4. 5. 6.

6.) quorum unus , alter , tertius autem , characteres ocalis sistunt. Disquirat ergo doctissimus Autor, cur in Brennerianis literæ singulæ sive simplices, in Bromelianis vero compositæ existant? atque hæc ipsa signa non Gothis tantum, verum Græcis quoque ac Romanis usitata, atque *Monogrammata* fuisse vocata respondet, seculo fere post C. N. octavo frequentia, & inter Moscos quoque aut Ruthenos haud ignota; quod ipsum Russicæ insuper monetæ, in qua Magni Ducis nomen monogrammate expressum spectamus, exemplis illustrat. Post longam tandem expectationem voto se damnatum, ac in veterum quorundam argenteorum non unius gentis numismatum e solo Gothiæ Orientalis fortuito erutorum acervulo, *numum Runis insignem* longe illustrissimum invenisse, sibi que illum cum stipatoribus suis prece & pretio non segniter redemisse

TAB. II.

Fig. 7.

narrat, cujus figura num. 7. adpicta, virum togatum & fascia vel balteo succinctum, sublata dextera, ac læva pectori admota monstrat, cum verbis: MALIIVS REX i. e. MAGNVS REX. Postica pars crucem figuræ quadrangulari globulis excultæ quasi inclusam exhibet, epigraphæ Runicæ:  (Latinis litteris SEVIN. AVLFIETS. FRNTE.) Numum hunc, etiam si præter Gothicas istas literas, etiam Latinas, Anglo-Saxonico fere ritu ductas, habeat, Runicum tamen denominatum, a SVENONE, Comitæ Ulphonis natione Sueci, Danorum sub Canuto *Divite*, Daniæ Angliæque Rege, Gubernatoris filio, OLAI Suionum ac Gothorum *Regis in gremio gestati*, nec non Canuti illius, ex sorore uterina Astride vel Æstrita, Nepote cusum opinatur Kederus, & quidem cum nuper a MAGNO Bono, S. Olai filio, Norvagorum & Danorum Rege, Regno Danico cum vicaria potestate regendo tutandoque præfectus, nondum regnum illud, sumto Regis nomine, tantopere sed frustra affectasset, quod tamen post MAGNI fata haud difficulter obtinuit. Doctæ oppido conjecturæ sunt, quibus verba SEVIN. AVLFIETS. FRNTE pro SVEIN OLAVI FRENTE, i. e. *Sveno Olai Consanguineus*, interpretatur: quem Suenonem numi auctorem fuisse, firmare gemina literatura videtur, Gothica videlicet ac Latialis, utraque circa Principis istius tempora per regiones aquilonares in usu. Binos deinde alios adjunxit, Camdenianum nempe fig. 8 supra nobis memoratum, & Sperlingianum ali-

TAB. II.

Fig. 8.

quem

quem novum fig. 9 sensus valde obscuri, de quo tamen conjectatiunculam suam subnectere haud detrectavit. Nihil equidem illic, quod moneamus, occurrit; cæterum tres ex argento numulos per-
vetustos, Gothici, ut arbitramur, generis, inter Acta nostra mense
Majo A. 1704. pag. 226 adpictos, si nondum fortasse curatius adspe-
xerit, Clarissimo Auctori nostro in memoriam revocamus, dignos
forte, quorum ectypi ac natale solum ab Viro aliquo, Gothicarum
antiquitatum callente, diligentiore cura illustrentur.

Fig. 9.

OEUVRRES POSTHUMES DU CHEVALIER

Temple.

i. e.

*WILHELMI TEMPLE, EQUITIS, OPUSCULA
posthuma.*

Ultrajecti, apud Guil. van de Water, 1704, in 12.

Plag. 13.

ETiam lacinias magnorum Virorum dignas esse, quæ colligantur, sapientissimus quisque monet; esse vero inter Viros merito suo magnos commemorandum *Wilhelmum Temple*, Equitem Aurat-
um & Baronettum Britannicum, ante hos quinque annos fato fun-
ctum, nemo dubitaverit, qui gesta ejus in pacificatione Neomagensi,
cui pro Potentissimo Britanniarum Monarcha interfuit, in memo-
riam revocaverit. Quare non ejus solum epistolas, & duo operum
miscellaneorum volumina, scriptaque alia eruditus Orbis magna cum
delectatione accepit, sed posthuma etiam hæc diu desideravit.

In his primum sortitur locum *Tentamen de indignatione po-
puli* (*Mecontentement populaire*) ad intimos Politicæ solidioris re-
cessus spectans. Auctor Illustris initium petit a proprietatibus ge-
neris humani, quas vulgo constituunt, nimirum sermone, figura, ri-
su, fletu & ratione. Harum plerasque, doctorum judicio, etiam a-
liis animantibus convenire monet, excepto risu. Ipse vero novum
ac sextum hominis proprium addit, videlicet inquietum & indigna-
bundum animum, qui humanum genus contentum esse non finat,
sed ut perpetuo vacillet inter spem metumque, ac mutationes nun-
quam non desideret, unus efficiat. Hunc esse fontem indignatio-
num

num motuumque in familiis ipsaque Republica, indeque oriri indignationem populi versus imperantes, quæ in magnis æque ac parvis, barbaris & politis gentibus observetur, cum primis vero politas vexet. Hinc factiones oriri, optimosque interdum Principes ac cives, ut tyrannos & proditores tractari. In omni Republica discrimen servandum esse, ut melius quidam habeantur, honoribus divitiisque ornentur; porro diversa esse subjectorum commoda, diversos scopos, huic pacem placere, bellum alii; hinc non posse non varias prodire querelas & machinationes. Monet etiam, nullam Reipublicæ formam prorsus esse perfectam, sed singulas suos habere defectus; imo etsi perfecta quædam regiminis daretur facies, eam tamen brevi a prima indole degeneraturam, cum optimæ etiam leges illico administrationis defectu corrumpantur: nec possibile esse, ut Principes ministros probos ac populo placentes semper eligant; audaces, fraudulentos, ac præfidentes plerumque publicis se muneribus obtrudere, optimos quosque eadem averfari. Hic rem observatu dignissimam Auctor in medium affert: dari certas quasdam tempestates annonæ similes, quæ cum claris abundant ingeniis, nullas tamen proferant occasiones magnarum rerum, in quibus illa vires suas exferere possint; atque e contrario multas interdum evenire fortiter ac generose agendi occasiones, quando viri fortes magnique sint rarissimi. Utrobique rempublicam pati, locumque indignationi populari amplissimum concedi. Citat hac occasione festivum morionis cujusdam dictum, qui cum seminantem aliquando gestibus exprimeret, quæsitus, quid ageret, stultos se ferere dixit; addita ratione, regionem, in qua viveret, non alius frumenti patientem esse. Posthæc enarrat, quo pacto ex levi quadam indignatione & obmurmuratione seditiones oriantur, facta animorum inextinguibili inflammatione. Huic malo opponit sequentes regulas: omnes legum ac consuetudinum immutationes Principi esse vitandas: genuinum totius populi commodum esse quærendum: subjectos ad rem œconomicam esse excitandos; eo enim futuros patientiores, quo sint familiæ laborique addictiores. Hæc prima sectione exposita, altera ad Historiam gentis Britannicæ, turbasque Saxonicas, Rosæ albæ & rubræ, ac Presbyterianas applicat, monens, Reipublicæ nihil esse magis noxium, quam factiones robore æquales; infirmiores enim sæpe

sæpe illi salutare fieri. Tandem datis quibusdam consiliis, quæ patriæ suæ maxime proficua futura credit, valedicit Reipublicæ, ac successoribus animum æque patriæ amantem, commodiores vero recte agendi occasiones apprecatur.

Secundum locum obtinet *Tentamen de sanitate & longæva vita*. Auctor initio prudenter monet, bonas intentiones semina esse bonarum actionum, recteque agere eos, qui bene ac salutari scopo cogitata publicent, atque adeo quasi agro committant; passim enim radices ea agere & fructus edere: omnium optime homines propriis bene cogitatis stringi, seque ipsos rectius, quam alios magistris pati. Noster itaque, quæ expertus ipse est, literis hic consignavit. Sanitatem inter præcipua hominis bona nominat, observatque, eam idem esse in corpore, quod pax in Republica, & serenus aër in orbe nostro est: eam esse solam, quæ voluptates aliaque bona deliciis instruat, nobisque tribuat, ut felices esse possimus. Post hæc eundo per exempla probat, eos omnium maxime sanos & longævos vixisse, qui simplici victu usi fuerint, & a voluptatibus abstinuerint. Ultitur cum primis Brasilianorum exemplo, qui cum Europæi ad ipsos appellerent, ducentos trecentosque annos vivendo attingebant. Dignum admiratione esse ait, quod incolæ regionum Meridionalium sub Sole calentium diutius vivant, quam ii, qui sub temperato climate degunt. Cujus ille rei hanc causam putat: appetitum voluptatis penes hos esse vehementiorem in moderato calore, quam apud istos in nimio, & cum excessus immoderati omnes in torrido climate e vestigio vehementer noceant, homines ad temperantiam vel nolentes adigi: hinc plures esse in Hispania senes, quam in Gallia. Recte senem quendam Verulamio respondisse, hanc esse longævitatis suæ causam, quod semper, antequam famem sitinque sentiret, comedisset ac bibisset. Separatim vero de longævis Britannis agit, quorum exempla affert plurima, additque, incolas regionum montanarum vivaciores esse; plerosque longævos esse ex plebe homines, adeoque vitam longam tenui victu & voluptatum abstinentiâ quærendam esse. Unde ipsi p. 130 sequens regula nascitur: cuivis homini aut esse laborandum, aut jejunandum, aut medicina utendum, aut ægotandum. Originem artis medicæ a Græcis, incontinentiæ quippe studiosissimis, adeoque morborum intempe-

periei valde subjectis, derivat; ab his venisse ad Persas, aliosque, & Barbaro ævo a Saracenis voluptuariis ad Europæas gentes. Hinc de incertitudine atque defectibus Medicinæ differit, inter quorum causas hanc præcipuam putat, quod post Galenum, Medici ab usu simplicium ad varias compositiones discesserint. Romanis ait quatuor fuisse remedia potissima, balnea, frictionem, fumigationem & agitationem: hæc magno rei medicæ detrimento in defuetudinem venisse. Ultimam præsertim lenire dolores acutissimos, Mauriti Principis Nassovii exemplo docet, qui podagræ aut calculi dolore laborans, lecto pensili agitari se curaverit. Post hæc monet, morbos suas habere periodos, sæpe etiam imaginationi adscribendas. Olim omnes de morbis spleneticis, inde de scorbuto, post hæc de fermentatione sanguinis conquestos esse, nunc vapores pro epidemio Europæ morbo haberi: nec minus remedia has vices pati; quod exemplo Tabaci & herbæ Théæ ostendit. Auctor ante omnia hæc, quæ expertus est, commendat simplicia: *Salviam* malis pulmonum propriam, quam non minori quantitate e Belgio ad Indos asportari ait, quam Théa inde ad nos perferatur: *Rutam*, stomachicum excellens: *Crocum*, cordiale optimum: *Allium*, quod contra colicos dolores & podagram remedium singulare esse docet: *Sambucum*, quam hydropi & colico malo mederi ait: *Millepedum* pulverem, qui omnes faucium affectiones curare dicitur; denique *Tabacum* vel *Betoniam* contra rheumatismum, & *Myrrham* contra pestem. Contra podagram commendat, præter *Moxam*, commotionem loci affecti ad calorem usque, tum lanam ventris ovini, vel pannum rubrum aqua vitæ ardenti imbutum. Scite vero de vino scribit, primum ejus potum conducere sanitati, secundum lætitiæ, tertium amicis, quartum inimicis.

Tertio loco *Dissertatio de eruditione veterum* occurrit, cujus hæc occasio fuit. Ediderat Illustris Auctor Tentamen de eruditione veterum, contra gloriations recentiorum, cui Theologus quidam observationes suas opposuit, refutatus a Nostro in hac dissertatione, quæ tamen manca est, & ultimam manum nondum passa. Monet hic Autor, Paracelsum & Cartesium primos fuisse, qui veterum sapientiæ suam præferrent; hunc tamen Philosophiam suam appellasse suam Fabulam Romanensem (*son Romain.*) Post hos Soci-

os quosdam Academiae Regiae Anglicanae & Academiae Gallicae, maxime Fontenellum & Perraltum, veterum gloriam nostris eruditis subiecisse; Perraltum vero, poenitentia ductum, A. 1693 ad sanio- rem mentem venisse. His expositis, Pythagoram, Democritum aliosque veteres, contra cavillationes recentiorum defendit, praec- lara veterum opera recenset, de fatiis & interitu eruditionis apud Aegyptios, Phoe- nicios &c. differit, seriem Monarchorum Assyriorum contra novam quorundam crisin defendit, in Chymiam & Philologiam recentio- rum invehitur, ac de illa cum primis jocatur, eam quam optime inter liberales disciplinas referri, cum, qui addicti eidem sunt, plurimum argenti prodigant.

Postremo cogitata quaedam Auctoris de fortuna & conversa- tione, tumultuaria opera in chartam consignata, ut conscribendo o- lim libello cuidam inservirent, annectuntur, inter quae multa sunt peringeniosa. Nobis unicum illud impraesens sufficiat, ubi hanc fu- isse ait viam, qua postremus Pontifex Romanus (dubium, quem intelligat) ad dignitatem istam pervenerit: *Nil petere, nil recu- sare, de nemine conqueri.*

**Georg Adam Struven's Jurisprudenz /
oder Verfassung der Landublichen Rechte / &c.**

i. e.

GEORGII ADAMI STRUVII JURISPRUDENTIA,
*post varias editiones, ex Jure communi Casareo, Recessuum Impe-
rii, & Saxonico, ut & scriptis Jctorum, praecipue Saxonorum,
additis pluribus casibus, aliisque materiis antea omis-
sis, nec non necessariis allegatis & indicibus, theoretice & practice elaborata,
ac in justum Systema Juris redacta a D. HENRICO ER-
NESTO FLOERCKEN, communis Curiae Du-
calis Saxonicae Advocato Ordinario.*

Francofurti & Lipsiae, apud Christophorum Hülse, 1704, in 4.

Constat 5 alph. 10 plag.

NOtum satis in scholis Juridicis nomen est Jurisprudentiae Ro-
mano-Germanicae Forensis, a Celeberrimo Struvio olim com-
positae. Nam non tantum Latina editio, plus vice simplici prelo sub-

jecta est; sed &, postquam illa in Germanicam translata est linguam, typothetarum operas repeti necessum fuit, ut nunc quidem laudata illa Jurisprudencia, novorum librorum catalogo sero nimis inferi videatur. Enimvero cum opus Germanicum denuo recudi fecerit, illudque novo plane habitu donaverit B. Struvii Gener, Consul-tissimus Editor, hinc non immerito jure novorum scriptorum id cen-feri, ac Lectorum notitiæ a nobis insinuari potest. Quid autem doctis-simus Autor præstiterit, id ex comparatione editionum diversarum facile liquet. Partitio & series totius operis generalis ubique eadem est, sed numerus titulorum sive capitum, jam in præcedenti editione Germanica, auctior est, dum ea, quæ in Latina editione conjun-ctim erant proposita, sub specialibus rubricis explanate magis re-censentur, aut etiam nova subinde capita adjiciuntur, atque hunc numerum auctiorem in ultima hac editione retinuit Noster, nisi quod in libro 2 titulum 32 de *incapacibus heredibus* omiserit, & libro 3 titulum 20 de *evictione & edicto Edilitio* inseruerit, quæ vix me-moranda diversitas est. De cætero præter summaria margini appo-sita, non tantum allegata legum & Doctorum, ut & indicem fa-tis copiosum, quibus prior editio Germanica destituitur, adjecit, sed & multis rerum accessionibus novam hanc locupletavit; id quod velle sola ejus moles, cum præcedentibus collata editionibus, persuase-rit. In fidem dictorum nonnulla adjiciemus exempla. In lib. II tit. 6, sponsaliorum materiam prolixè tradit Noster; commemora-tis causis, ob quas sponsalia invaluerint, nuptiasque præcedere so-leant, eorum diversitatem, quod vel de futuro, vel de præsentis sint, adducit, eaque occasione varietatem & effectum conditionum spon-salibus apponi solitarum, ut & modum, qui pactis illis etiam non-nunquam accedit, persequitur. His ad liquidum deductis docet, quod sponsalia requirant consensum serium, perspicuum, non vi vel dolo eli-citum, non erroneum, verbis vel facto declaratum; quæ singula per partes deinde specialius exponit, ac inde ad necessitatem consensus parentalis progressus, quousque patris & matris, cæterorumque parentum remotiorum, vel etiam aliorum propinquorum, volun-tas hic spectanda sit, edisserit. In primis personarum, sponsalia vel nuptias contracturarum, consideratio Nostrum tenuit sollicitum. Primo ergo ostendit, quod in linea recta consanguinitatis, sponsa-

lia in infinitum, idque quovis jure, Naturali, Divino & Gentium, quicquid etiam nonnulli Canonistæ dissentiant, sint prohibita. Deinde monstrat, quod in linea collateralis, inter eas personas, inter quas est respectus parentum & liberorum, sponsalia prohibeantur. An vero hæc prohibitio nitatur jure naturali, nec non; utrum prohibitio, in S. Literis occurrens, personas expressas solum concernat, an vero de gradibus sit exaudienda, id semper inter Scriptores controversum fuit, adeoque Nostro amplius disquirendi materiam supeditat, quousque dispensatio hic locum habeat, etiam adjicienti. Tertio inter fratres & sorores sponsalia nuptiasque prohiberi, Consultissimus Autor indicat, actum de moralitate, tum sensu prohibitionis hujus, ulterius disceptat, quidque vel jus Canonicum, vel leges nostrates, illic adjecerint, recenset, addita Arboris Consanguinitatis, diversæque computationis *explicatione*. Nonnulli *causa* affinitatem deinde Noster considerat. Nam adducto ejus fundamento, explicataque indole, primo ostendit, quod non inter omnes, qui affines se salutare solent, vera affinitas contrahatur, & quod adeo ii, qui nullo affinitatis vinculo connectuntur, sponsalia inire non prohibeantur; hoc tamen cum aliquo temperamento accipiendum esse, simul admonet. Postea de gradibus & generibus affinitatis fatagit, adductamque generalem regulam prohibitivam, ad lineam rectam & collateralem applicat, & quousque prohibitio, sive gradus sive genera spectes, idque vel secundum jus divinum, vel humanum, se extendat, commemoratis pluribus personis casibusque specialibus, gnave exponit. Dimissa consanguinitate & affinitate, alia commemorat Noster impedimenta, quæ sponsalibus & nuptiis obstant. Eo pertinent agnatio civilis, ex adoptione orta, cognatio spiritualis, ex jure canonico ortum trahens, morbus animi vel corporis, totalis religionis diversitas, adulterium, aliaque politicis rationibus subnixa obstacula, a Nostro sigillatim explicata. Producent de cætero sponsalia vinculum, non penitus quidem indissolubile, attamen satis firmum, ac non facile solvendum. Ob quas ergo causas sponsalia solvi queant, tum quæ ex pluribus concurrentibus præferantur, deinde doctissimus Autor tradit, addita vinculi sponsalitiæ & matrimonialis, quoad nonnullos effectus speciales, *comparatione*. De Magistratibus municipalibus, in editione Latina nihil

betur, sed Germanicæ l. i. tit. 14. hac de re aliquid proposuerunt, quod Noster itidem nonnullis observationibus auxit. Docet ergo primo Magistratus municipalis necessitatem & constituendi modum; deinde eos, qui ab hoc munere excludantur, recenset; tum habiles ad illud suscipiendum posse cogi, ostendit. Inde ad personarum, ex quibus Senatus componitur, diversitatem, dignitatem, juram tam in Ecclesiasticis, quam Politicis, ipsis competentia, ac innexa officia, explicanda accingitur (in quem locum nundinarum, onerum tam personalium quam realium, similiumque materiarum consideratio incidit) ac quousque successor privilegia, ab antecessore data, servare debeat, disquirat. In l. 3, tit. 20 materiam evictionis & Ædilitii Edicti Noster pertractat, quem titulum prioribus editionibus, Latinæ & Germanicæ, deesse, antea diximus. Recepta methodo, evictionis præstatio sub initium definitur; quam definitionem excipiunt negotia, in quibus evictio præstanda sit; tum sequuntur casus, in quibus præstatio peti, nec non media, per quæ illa obtineri queat. Quo autem felici successu evictionis præstatio aliquando exigi possit, opus est litis denunciatione, aliisque requisitis, a Nostro deinceps commemoratis. De cætero non tantum emtori, sed & hæredibus, actio ad præstandam evictionem competit, quæ etiam contra venditorem similesque, ut & fidejussores, horumque omnium hæredes, vim suam exserit; certis tamen in casibus evictionis præstandæ necessitas cessat, Nostro latius illa omnia deducente. Illud in commerciis humanis frequenter contingit, ut contrahentes sese lædant. Istitis læsionibus apud Romanos etiam occurrebat Edictum Ædilitium, cujus argumentum, requisita & actiones inde ortas, Consultissimus Editor ultimo loco explanat.

LIBRI NOVI EX ANGLIA.

Joannis Raii *Historia Plantarum Tomus tertius, qui est Supplementum duorum præcedentium. Accesit Historia Stirpium insulæ Luzonis & reliquarum Philippinarum; item J. B. Tournefort Corollarium Institutionum Rei Herbariæ. Londini apud S. Smith & B. Walford, 1704. in fol.*

The History of the Rebellion and Civil Wars in England, begun
in

in the Year 1641. Written by the Right Honourable Edwar Earl of Clarendon. Volumen the First. Oxford, printed at the Theatre, 1704. Fol.

Treatise of Fluxions : Or, an Introduction to Mathematical Philosophy. Containing a full Explication of that Method by which the Geometers have made such vast Advances in Mechanical Philosophy. By Charles Hayes. London, printed for Dan. Mitwinter and Tho. Leigh, 1704. fol.

scellanea Curiosa. Being a Collection of some of the Principal Phenomena in Nature, accounted for by the Greatest Philosophers of this Age. London, for Jeffery Wale and J. Senex, 1705, 8.

ticks : Or a Treatise of the Reflexions, Refractions, Inflexions, and Colours of Light. London, for S. Smith and B. Walford, 1704, 4.

Dictionary of all Religions, ancient and modern. Whether Jewish, Pagan, Christian or Mahometan. London for James Knapton, 1704, 8.

vation by Jesus Christ alone, agreeable to the Rules of Reason, and to the Laws of Justice. By Tho. Staynoe. London for Benj. Toke, 1704, 8.

nvici Dodwelli de Nupero Schismate Anglicano Parænesis ad Exteros, qua jura Episcoporum veterum eorundemque a Magistratu Seculari Independentia, omnibus asserenda commendantur. Londini impensis Richardi Smith, 1704. 8.

e Knowledge of a Man's Self the Surest Guide to the True Worship of God &c. by Thomas Tryon, 1704, 8.

scellanies, by D. John Worthington. London, for John Wyat, 1704, 8.

Discourse of the Unity of the Church &c. By Robert Burscough. Exeter, for Tho. Bennet, 1704, 8.

e Religion of a Prince. By William Nichells. London, for Tho. Bennet, 1704, 8.

e Case of Impropriations, and of the Augmentation of Vicarages and other Insufficient Cures. London, for Awnsshaw & J. Churchill, 1704, 8.

Essays on the Preservation & Recovery of Health. London, for Richard Wilkin, 1704, 8.

The Storm: Or, a Collection of the most remarkable Casualties and Disasters which happen'd in the late dreadful Tempest, both by Sea and Land. London for G. Sawbridge, 1704, 8.

D. Roberti Huntingtoni, Episcopi Rapotensis, Epistole. Præmittitur de ejusdem Vita ἱστορικὴ ἀναμνηστικὴ, scriptore Thoma Smitho. Londini, impensis A. & J. Churchil, 1704, 8.

Henrici Dodwelli Exercitationes duæ: Prima de Ætate Phalaridis: Secunda de Ætate Pythagoræ Philosophi. Londini, impensis Richardi Smith, 1704, 8.

Nonnulli e Luciani Dialogis selecti: omnes scholiis illustrati ab Edwardo Leedes. Cantabrigia, impensis R. Clavel, S. Smith & B. Walford, 1704, 8.

The History of Man: Or, the Wonders of Humane Nature, in Relation to the Virtues, Vices and Defects of both Sexes. London, for R. Basset, 1704, 8.

Clavis Commercii: Or, the Key of Commerce, shewing, the True Method of Keeping Merchants Books &c. London, for Eben. Tracy, 1704, 4.

Of the Principles and Duties of Natural Religion, two Books: by D. John Wilkins. The fifth edition. London, for R. Chiswel, 1704, 8.

Angliæ Notitia: Or, the Present State of England, with divers Remarks upon the ancient state thereof. By Edw. Chamberlayne, and continued by his Son John Chamberlayne. The 21 edition, with large Additions and Improvements. London, for S. Smith and B. Walford, 1704, 8.

A Discourse concerning the Nature, Advantage and Improvement of Trade: by P. Paxton. London, for R. Wilken, 1704, 8.

A Table of a Tub. To which is added an Account of a Battel between the antient and modern Books in St. James Library. The third edition. London, for John Nutt, 1704, 8.

Traктatus brevisculus, in quo ostensum, tam electiones Episcoporum quam ordinationes, ad nullam potestatem secularem, sed ad solos Ecclesiarum Præsides pertinere. Auctore Thoma Gregorio. Londini apud Th. Bennet, 1704, 4.

A C T A ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Februarii, Anno M D C C V.

*L. ANNÆI FLORI RERUM ROMANARUM LIBRI
duo Priores, ex Criticorum Observationibus correcti, cum Textus
ratione, Notisque Variorum Historicis, Politicis & Antiquariis:
jussu & impensis Augustissimi REGIS BORUSSIÆ & Electo-
ris Brandenburgici, in usum Principis Regni & Electoratus Ha-
redis adornati & editi a LAURENTIO BEGERO,
Consiliario Regio & Electorali ab Antiquitatibus
& Bibliotheca.*

Coloniæ Marchicæ, typis Ulr. Liebp. Typographi Regii, 1704,
in fol.

Constant Alphab. 4. plag. 20. multisque fig. æn.

E Tiamsi tot præclara elegantioris doctrinæ specimina, quibus
Celeberrimus Begerus illustre sibi inter strenuos venerandæ
antiquitatis vindices nomen jam asseruit, nondum innotuis-
sent literato ordini, haud dubium est, quin unico hoc libro
edito, summam eruditionem, ac mirificum reliquiarum prisce ævi stu-
dium, eidem satis abundeque comprobaret. Cum enim jussu Potent-
tissimi Borussicæ Regis, Florum Historiæ Romanæ Epitomatores non
incelebrem, in usum Serenissimi Principis Regii expoliendum sumeret
Noster; id sane egit, ut omnibus hujus generis Autoribus, quot-
quot hæcenus lucem adspexerunt, palmam præriperet. Non
enim modo textum Scriptoris quam castigatissimum dedit, & ra-
tionum proxime subjunctarum examine firmavit, sed etiam notas
varias, qua historicas & politicas, qua philologicas atque antiqua-
rias e Camerte, Vineto, Stadio, Grutero, Freinshemio, Zevectio,
Salmasio, Ruperto, Grævio & Anonymo quodam depromtas adjecit,
G suis-

suisque pariter observationibus selectissimis locupletiores effecit. Neque tamen intra hanc metam substitit, sed ut ornatius singula proflarent, innumeras marmorum, statuarum, toreumatum, gemmarum, nummorumque delineationes curatissime incisas interspersit; quin & tabulas integras geographicas, triumphales aliasque scopo suo congruentes, quas inter eminet una e Gazophylacio Regio-Electorali Brandenburgico prælium Scipionis & Hannibalis in patera argentea depingens, magno cum judicio addidit. Quod ne temere fecisse, & laciniam purpura ornasse videatur, in præfatione totus in eo est, ut Floro brevitatis vitium injuste exprobrari ostendat, Verderiumque pariter ac Schottum, quorum hic compendia librorum pestem, labem, perniciem & tetra Autorum vulnera; ille Florum brevitate sua se implicare potius quam explicare, ejusque opera multos libros periisse dixit, ut iniquissimum, ita & absurdissimum judicium, quod nullo modo attendi mereatur, tulisse existimat. Deinde Illustrem Grævium, nuper cheu! ut alibi dictum a nobis est, demortuum, κακοζηλίαν in Floro nimis severe carpere statuit, eaque de causa singulos nævos, in præfamine ad editionem suam ab eodem notatos, expungere conatur, Grævianæ famæ defensores ad certamen insuper provocans, quorum jam erit armorum pondus explorare. Nos quidem arenam occupare, aut in castra ullius transire nolumus; id tamen persuasi sumus, τὸν μακαρίτην juvenum manibus non plane excutere voluisse hanc epitomen: cur enim illustrandæ ei tantum operæ impendisset? rationes vero habuisse haud ficulneas, quare Flori lectionem circumspicte instituendam monuerit. Sed missa hæc facimus, serioque profite-mur, ut animum a cavillandi pruritu alienum semper servavimus, ita nec in præfenti Cl. Begero opinionem æqui rerum æstimatoris nos derogare velle. Merita certe ejus de Floro majora sunt, quam ut verbis assequi valeamus, quippe qui præter laborem in explicatione verborum ejus collocatum, eruditum etiam discursum de Romanorum originibus præmisit, sicque ingressum ad integram historiam probe munivit. Est itaque omnino, quod gratias decernat Nostro Musarum coetus de bellissimo hoc munere, viresque apprecetur annorum victrices, quo postremos duos libros pari felicitate atque ingenio absolvere possit.

MEDITATIONES SELECTÆ DE SUBLIMI HO-
 minis Scientia, compendiose digestæ a DAVIDE BRAUN,
 S. R. M. Polonia Burggrabio Mariaburgensi, & Oeconomia
 Bellicæ Regni Commissario.

Gedani apud J. Z. Stollium, 1704. in 8. Alphas. I.

Quidnam homo, solius etiam rationis sanæ ductum secutus, de rebus Theologicis firmiter tenere valeat, hoc in opusculo demonstrare annisus est Autor Nobilissimus, atque momenta eapropter huc spectantia præcipua, quæ ab aliis fusius jam pertractata fuerunt, Meditationibus paucis atque brevioribus inclusit, quibus obviam ire se velle profitetur discursibus admodum scandalosis, quos passim hodie haurire detur ex ore sublimium etiam virorum, qui dum mysteria sacrosanctæ fidei ignorent, aut nosse profecto putida jactantia dissimulent, ipsam usque adeo notitiam, qua natura duce possent imbui, evertere aut obscurare minimum allaborent.

In prima itaque Meditatione DEUM sibi considerandum sumit, ejusque Majestatem ex scala naturæ homini cuilibet sano, mediisque necessariis ad judicium veritatis assequendum instructo, affatim patere innuit. Tam alte etenim impressisse ideas suas divinum Numen humanis ait mentibus, ut nemo inter gentes qualescunque educatus, conscientiam ejus queat exuere, utut quam maxime velit; adeoque atheos strictè sic dictos dari, prorsus abnuit. Hinc quibus modis, esse Deum, ex natura possit evinci, significat. In acie statim ponit hujus universi considerationem, in quo constans elementorum discordia, rerum omnium ordo, cœlestium terrestriumque corporum summa pulcritudo & immensa magnitudo, ipsis gentibus sapientissimum Architectum ob oculos veluti spectandum proposuerint. Materiam vero Deo in creatione ullam coævam, aut mundum esse æternum, & sive casu, sive necessario existere, petitis ex ratione argumentis inficiatur. Porro ex consideratione sui ipsius, quemlibet existentia Dei fundamentum posse petere ostendit. Dum enim nos esse non dubitemus, nosque nobis ipsis nostrum esse non dedisse vel ex eo colligamus, quod perfectiones eas, quas nobis jam deesse conqueramur, nobis dare licuisset, si a nobismet dependeret esse nostrum, ab alio certe pro-

venire existentiam nostram, colligendum hinc venire evincit, & posito uno gradu dependentiæ cujuscunque entis a causa alia, semper progrediendum esse addit usque ad ultimam causam, summum DEUM. Tertiam rationem ex Aristotelis Philosophia depromit, & a motu in universo mundo mutuatur; unumquodque enim quod movetur, ab alio moveri supponit, cum impossibile sit, idem esse motum & movens; id autem, quod moveat, actu esse necessario debere infert. Firmissimum tamen ratiocinium a fine rerum in universum omnium derivat; nam cum nulla creatura fine aliquo careat, hunc ipsum sane tanquam causam, licet non executione, tamen intentione, ante ipsam rem existisse asserit. His prælibatis, ad impugnandam Deorum multitudinem, hominum apotheosin, & simulacrorum symbolicum cultum pergit, & argumentis ubique similibus utitur. Naturam Dei rationem, sine revelatione, difficulter agnoscere fatetur. Inde de attributis Dei dispicit. Dei operationem ad extra necessariam esse, & in ipsis creaturis quidquam mali a Deo conditum, quod agnoscere quis debeat, rationem jubere ullam negat. Quomodo fatum, casusque & fortuna, cum Divina providentia consistat, & quomodo hæc humani libertatem arbitrii minime impediatur, methodo haud ineleganti demonstrat, & blasphemiam illorum, qui homines se esse oblii, Deum causam mali & peccati pronuntiare haud vereantur, ponderibus ex ratione depromtis, valde indignatur.

Meditatio *secunda* circa *animam* occupata est, & ante omnia cum, qui usque adeo Scepticorum seu Aporeticorum secta infatuatus fuerit, ut quoque animam inesse animato dubitet, perinde responso indignum fore judicat, ac illum, qui equitem qua talem sine equo, aut citharædum absque cithara, denominari & actu esse posse, blateraret. Excussis postmodum quæstionibus: an anima ex elementis sit composita? an ex igne? an sit aer subtilis? an ipse sanguis? an corpus? an temperamentum? an numerus & harmonia? an ex censu corporum cœlestium? an duæ in uno corpore animæ? an anima sit divisibilis? aliisque, hanc animæ definitionem subministrat, quod sit spiritus corpori hominis hypostatice junctus, inque corporis organis vires nutritivas & sensitivas exerens, sine ullo tamen corporis organo intelligens, & extra illud

Jud subsistere aptus. Circa ejus propagationem determinandam, neque his adstipulatur, qui alicubi omnes animas simul quondam creatas existere, corporique extrinsecus illabi statuunt, neque istis, qui simpliciter æternas & substantiæ divinæ particulas easdem faciunt, aut singulis hominibus quotidie infundi eas credunt; sed potius ex illa una anima, quæ Adamo, primo homini, data est, cæteras quotidie propagari affirmat. Immortalitatem ejus ex eo probat, quod extra corpus & sine ejus organis possit operari; quod a se ipsa perpetuo moveatur, motusque sit principium; quod simplex sit & incorporea, atque ex contrariis non constet, iisque haud afficiatur: nam quod aliqui animam in phreneticis corruptam esse perhibere conentur, frustraneum judicat, cum non ipsa, sed organa phantastica corrumpantur; prout & in lapsu Protoplastorum non animam ipsam, verum additam ei imaginem divinam, sanctitatem & justitiam, corruptam fuisse monet. Eandem porro immortalitatem animæ ex conscientiæ potenti motione, ex voluntatis insuperabili libertate, & Dei justitia, rationibusque ejusmodi aliis comprobatur, & parili modo resurrectionem corporum cum animabus reduniendorum statuminat. Metempsychosin tantundem rationis, quantum metamorphosin, habere notat, & utramque rejicit, apparitiones quoque præstigiis diabolicis annumerat.

Tertia Meditatio beatitudinem, seu summum hominis bonum contemplatur, atque hoc nec in ipso, nec in ullis rebus externis aliis, quærendum autumat; quin imo ne in hac quidem vita illud possideri admittit, utut alii modo in bonis corporis, modo in animi bonis, inepte admodum idem quæsierint. Ac sane apud Sapientes hujus seculi, veram beatitudinem haud inveniri censet, indeque ad illuminatos divinis revelationibus Doctores confugiendum esse suadet, quorum ductu sapientia vera cognitura sit, summum hominis bonum in sola religione seu agnitione Dei consistere, cumque hæc ipsa præsentis in mortalitate imperfecta valde sit, in immortalitate futura explendam fore superaddit. Hanc veritatem ipsos quadantenus Gentiles attigisse observat, omnesque Philosophorum de summo bono sententias ab errore ad rectam revocari posse viam autumat, unico hoc additamento, quod eadem de futuræ vitæ beatitudine intelligi debuissent. Gentilibus au-

tem Judæisque recentioribus ac Turcis, qui carnales voluptates futurae vitae affingant, rejectis, bona futura tam animæ, quam corporis enumerat, & quod veritatis hoc in negotio crepusculum Platoni, Porphyrio & Varroni haud obscure illuxerit, notari cupit.

Quarta Meditatio prolixitate sua priores sola adæquat, cumque *religioni seu via ad beatitudinem summam ducenti* destinata sit, post Religionum Indifferentismum explosum, principales a mundo condito religiones quatuor, *Gentilismum, Judaismum, Christianismum & Mahometismum*, contemplandas sumit duabus in sectionibus, quarum prima Gentilismum & Mahometismum damnat, altera vero Christianismum & Judaismum sibi invicem opponit, istiusque præ hoc excellentiam vindicat. Circa Gentilismum dum versatur, Oraculorum vanitatem redarguit, autoribusque Dæmonibus, ipsorum gentilium testimonio, per foeminas a Cacodæmone obsessas & furore correptas edita, mendacia fuisse & ambigua, turpia item crudeliaque plurima efflagitasse eadem, ostendit. Sibyllarum revelationes non minus insanas, turpes, crudeles, mendaces atque falsas fuisse, adstruit. Nec Philosophorum doctrinam & præcepta veram Dei cognitionem complexa fuisse largitur, & falsitatem moralis eorum Theologiæ ex Philosophorum vitis sigillatim deducit. Socratem certe v. g. ob libidinem, gulam & impudentem iracundiam Alcibiadi in deliciis, sed ipsum vicissim adolescentum corruptorem, & ob familiaritatem Dæmonis, a quo futura se doceri prodiderat, infamem; Platonem adulationis nimiae, luxus, & quod Stella astrologo, Dione, Phædro & Alexi abusus sit, accusatum fuisse, ob statuminatam item licentiam, mulieres communes reddendi, male notatum; Aristotelem eo usque insaniam progressum, ut scorto tanquam Deæ sacrificaret, cum filios ex ea procreasset; Bionem pæderastiæ sceleris damnatum; Pythagoram apud Crotoniatis tyrannidis affectatæ reum actum; Periandrum propria matre abusum; aliosque plures scelerum aliorum longe gravissimorum convictos fuisse meminit. Hinc compendiosam Theognosia idolorum gentilium, tam omnibus populis communium, quam singulis priorum, adumbrationem suppeditat, Deosque qua minorum qua majorum gentium recenset, sigillatim Solem, Lunam, sidera, elementa, ventos, fulmina, tonitrua, ignes

ignes fatuos, homines, bruta, plantas, fossilia, in cultum eorum venisse edocet, ac symbola simul Deorum Gentilium considerat. Gentilibus Mahumedanos statim associat, quæque sint religionis ipsorum principia, & quam mendaces ac impuræ deprehendantur, quas jactent, revelationes, pluribus verbis doctissime declarat. Atque hæc contenta primæ sectionis sunt. In altera Christianismum contra Judæos vindicat, quorum antiquas revelationes divinas esse omnino concedit, eaque occasione de Mosis antiquitate & sanctitate juxta scriptores gentiles differit, quamque plurima doctrinæ & historiæ Mosaicæ Gentiles noverint, ut ut eadem ad impia sua sacra detorserint, exponit. A priscis vero revelationibus cum obstinacia & falsa interpretatione sua Judæi postmodum misere defecerint, & ex vere credentibus paulatim Ethnicis æquales aut peiores facti fuerint, hinc contra eos late disputat, ac summa hæc capita deducit: quod Messias, in scriptis Mosis & Prophetarum, tanquam Deus ipse in carnem humanam venturus describatur: quod idem certo tempore, stante nimirum templo Salomonis secundo, hoc est, post captivitatem Babylonicam restaurato, venire debuerit, salvaturus non Judæos solum, verum & Gentes: quod idem in Bethlehem, de tribu Juda, & de domo David, & inaudito miraculo ex virgine castissima nasci: quod multis ærumnis exantlatis, in carne pati, crucifigi, ultimoque ex mortuis resurgens in cælum adscendere, inque mundo Apostolos Spiritus S. donis instructos, qui ad spirituale ipsius regnum omnes nationes terræ miraculis & verbi Dei virtute vocarent, magnamque vere credentium civium Ecclesiam colligerent, relinquere: quod lex Ceremonialis seu Levitica tempore Messiae hujus exspirare debuerit. Quibus singulis scite demonstratis, ultimo loco, quod talis & tantus Christus Dominus jam venerit, qui hæc omnia excellentiori modo adimpleta dederit, indeque Judæi maximi erroris de venturo adhuc Messia accusandi sint, quodque Christiani e contra vera verbi Divini mysteria palam sectentur, valide concludit. Sed antequam opus ipsum finiat, in doctrinæ Christianæ sanctitate & moralitate non invenire affirmat, sive Gentiles, sive Judæos, quod objiciant. Præcipuos namque illius articulos, de Trinitate, de Filio Dei incarnato & crucifixo, ac de Spiritus Sancti cum fidelibus conjunctione, Judæorum

pariter & Gentilium ipsorummet testimoniis, ex eorum scriptis heic allegatis, firmari monstrat. In eos igitur non minus atque in Atheos, Epicureos, Indifferentes, ac illos quoque, de Dæmonibus qui dubitant, justam stringit epanorthosin, & ut gentes extra Christum omnes damnari, haud obscure sibi persuadet, sic ad blasphemias nonnullas Judæorum objectiones, contra miracula resurrectionemque Christi, & fidem Apostolorum, in medium allata, respondet, & post inculcatam denuo doctrinæ Christi innocentiam, & charitatem imprimis, quam hæc tantopere requirat, in parænesi ad infideles omnes, & impios non minus Christianos, inque piis votis desinit.

*G. BRANDS HISTORIE DER REFORMATIE IN
en Ontrent de Nederlanden. Het derde en vierde Deel &c.*

h. e.

*J. BRANTII HISTORIA REFORMATIONIS BEL-
gii & vicinarum Provinciæ. P. III & IV.*

Roterodami apud Barent Boss, 1704. in 4to. Volumina II.
alphab. 12.

Primam præstantissimi hujus Operis partem, libros X priores, Historiam reformationis a primis Christianismi in his partibus incunabulis, usque ad annum C. 1600 sistentes, complexam, anno 1663 Amstelædami excusam habemus. Ea una cum parte altera, qua continuatur eadem Historia usque ad exitum anni 1618, Amstelædami anno 1671 iterum lucem adspexit. Ob aptissimum rerum ordinem, fidem in allegandis diligenter monumentis & testibus idoneis, eximiumque linguæ nitorem, hostium quoque encomia promerita fuit. Sane enim laudes istas omnes Brantio ne ipse quidem derogaverit Henricus Ruilius, verbi Divini apud Amstelædamenses olim minister, qui in scriptis adversus hancce Historiam variis libellis, omnes istas virtutes Brantiano foetui concedit, de eo tantum conquestus, quod, ubi ad Kornhertii tempora, primasque adeo schismatis inter Remonstrantes & Contraremonstrantes in Belgio origines, deventum esset, plus quam decebat Historicum, Remonstrantium studiosum se ostenderit, in quorum

scilicet partibus ecclesiastico munere apud Amstelædamenses fuit defunctus. Sed quicquid sit de ista Ruilli accusatione, quam variis scriptis apologeticis, dum viveret, abstergere conatus diligenter fuit ipse Brantius, magna hucusque semper hujus Historiæ apud Belgas existimatio fuit & autoritas. Ut multum haut immerito res patriæ ecclesiasticæ debere videantur Reverendo Gerardi Brantii Filio, Joanni, qui continuationem Historiæ illius ab ipso Parente ad annum usque 1623 productam, ex schedis ejus nunc demum publicavit. Complectitur illa accuratam Synodi Dordracenæ, triftiumque, quæ post eam Remonstrantes afflixere, factorum Historiam, ex omnibus, quæ suppetebant, monumentis, actis, relationibus, litteris diligenter digestam, atque eo usque diligentia & *exactissimè* observantem, ut minutissimas affectuum, contentionum, eventuum occasiones, ipsaque verba ultro citroque commutata, semper exhibeat, indolemque, mores, ingenium, studia hominum vivide admodum, tanquam in tabula, repræsentet. Ut si quis alius unquam, ad ecclesiasticam prudentiam, sive comparandam, sive firmandam, hic in primis liber spectare videatur.

BARTHOLOMÆI DE MOOR VERIS OECONOMIÆ Animalis seu potius Humanae Principiis innixæ Pathologiæ Cerebri Delineatio Practica; in qua Morborum Soporosorum per Notas Characteristicas Distinctio, nec non Spasmodorum accuratior Distributio traditur.

Amstelædami, apud Gerardum Borstium, 1704. in 4to.

Constat 3½ Alfab.

Quemadmodum Clarissimus Author in *Cogitationibus suis de Instauratione Medicinæ*, a nobis in *Actis Anno 1696 Mense Augusto pag. 370* commendatis, omnes humanæ œconomia functiones a sanguinis pressione deducendas esse docuit: ita ab ejusdem pressionis vitio, non neglecta singularum partium structura, morbos & symptomata esse derivanda, ut demonstret, in hac *Idea Praxeos Medicæ Novæ*, cujus librum primum, Pathologiam Cerebri continentem, jam sistit, conatu non spernendo occupatus est.

pag. I.

A Cephalalgia initium facit, cujus causas a pressione sanguinis partim aucta, partim imminuta repetit. Cum enim membranæ cerebri copiosissimis vasis arteriosis, & una cum pericranio summa gaudeat sensibilitate, quivis facile intelliget, enormiter has partes affici a pressione, dilatatione & æstu sanguinis; sub quo statu hic non solum totus immutatur, sed imprimis serum ita degenerat a solita sua tenuitate, ut in gelatinam spississimam excoquatur: cui pressioni auctæ ansam dant febres, plethora, exercitia, radii Solares, ebrietas & ingluvies. Sed & ab imminuta pressione excitatur hoc malum, quando sanguis nimis lentus & viscidus per vasa non nisi ægerrime propelli potest; quod patet in chlorosi & scorbuto. Quod partium solidarum vitia attinet, oritur cephalalgia, præter conformationem p. n. a commotione cerebri, ab equitatione & vectione vehementi, a refrigeratione capitis &c. Quibus explicatis definit cephalalgiam, quod sit capitis sensatio molesta, imprimis a sanguine motu suo vasis & membranæ vim inferente producta. Quanquam enim, uti dictum, partium solidarum vitium capitis dolorem producat, sæpe tamen is ideo excitatur, quod sanguini circulaturo impedimentum aliquod obijciatur, quod pulsatio molesta excipit. Ex causis fluunt indicationes generales, quæ in eo consistunt, ut sanguinis pressio nimia compescatur, progressus per vasa capillaria facilius reddatur, cerebri vitia corrigantur, & dolor mitigetur. Mittimus prognosin, cautelas practicas, & formulas, quas subjungit fideliter Author Clarissimus, ex propria praxi partim, partim ex authoribus allegatis petitas. Atque hæc speciminis loco sufficiant, ex quibus haud obscure intelliget L. B. qua usus fuerit methodo Noster in reliquis explicandis capitis morbis. Inter quos cum affectus soporosi non sint infrequentes, ab Authoribus vero maxime confuse fuerint tractati, notas characteristicas singulorum subjungere placuit Clarissimo Moor. Coma igitur vigil vocat, quando ægri conqueruntur de summa capitis molestia, non quidem dolore, sed velut interno ardore, & motu intestino expansivo, qui ipsos reddit quidem in somnum proclives, & somnum enixe desiderantes, cum tamen non possint aut non audeant eundem capessere. Coma somnolentum est, quando ægri, provectioris ætatis præsertim, ad somnum sunt valde proni, cum

pag. 188.

in signi mentis hebetudine, nonnunquam oris apertione, adeo ut sedentes & cum aliis colloquentes, etiam interdum, in somnum involuntarium prolabantur. Hic morbus circa vesperam ingravescere solet; febris non est insignis, aliquando lenta, nec ægri conqueruntur, nisi de somnolentia molesta. Huc etiam referri potest ea somnolentiæ species, quæ suppressionem urinæ insequitur; ut & sopores profundi absque manifesta febre, e. g. ab ebrietate, usu opii, & somnolentia scorbutica. Quando autem ægri febris insigni & vehementi, & statim in augmento, vel etiam principio, in somnum profundum incidunt, unde vix aut ne vix quidem excitari possunt, quem aliquando convulsiones & ipsa mors brevi excipiunt, Cari species prima dicitur. Quod si vero ægri post attritas vires a febre continua, in somnum profundum & *αΰνια* incidant, in eo statu per aliquot dies permaneant, nihil rogent, jaceant veluti moribundi, postmodum oculos iterum attollant, aliquando statim cibum petant, atque feliciter evadant, vocatur cari species secunda. Quibus tertia accedit species, quando in febribus ægroti, diem unum aut alterum ante mortem, veluti somno oppressi decumbunt, ob attritas vires, sanguinem ad circulationem ineptum redditum, & spiritus dissipatos. Lethargus est sopor gravis cum febre & stertore, in quo ægri excitati respondent, & iterum in somnum relabuntur. Apoplexia denique Nostro audit sensuum omnium, cum *αΰνια* & resolutione, nec non difficili respiratione, subita privatio, a sanguine cerebrum ejusque vasa inundante, aut nimium replente, ortum ducens. De cætero cum in titulo accuratam Spasmodum distributionem polliceatur Author, operæ pretium est, mentem ipsius brevius explicare. Scilicet per spasmus in genere intelligit involuntariam & vehementem musculi aut fibrarum muscularium contractionem: ejusque causam, Hippocratem secutus, rejicit in repletionem & inanitionem. In priori casu arteriæ carotides nimis replentur; unde sequitur compressio nervorum, depressio cerebri, spirituum animalium versus musculos propulsio, fibrarum tensio, sanguinis progressus retardatus, musculi inflatio, partis tendinis annexæ vehemens & involuntaria contractio. In posteriori casu cerebrum expansionem suam amittit, adeoque veluti subsidet; quæ subsidencia spiri-

pag. 339.

tus animales inordinate versus musculos premit, & convulsiones ciet; ad quas classes irritatio partium nervearum, a reliquis Authoribus accusata, ut referri debeat, prolixius explicat Author. Spasmi igitur in genere dividuntur in convulsiones, & motus convulsivos. Illæ sunt vel universales, vel particulares. Universales observantur vel minus frequentes, ut tetanos, opisthotonos & emprostotonos; vel magis frequentes, eæque vel graviores, vel minus periculosæ. Inter illas quædam infantes infestant, vel statim a natiuitate, vel circa dentitionem; quædam adultos vexant, ut morbus caducus, & epilepsia proprie sic dicta symptomatica, quæ diversi observatur esse generis. Est enim 1) febrilis, vel ordinaria in principio & progressu morbi, vel extraordinaria epidemica; 2) pedisequa dolorum, purgationum, hæmorrhagiæ, vulnerum & ulcerum, repletionis, &c. 3) hysterica; 4) hypochondriaca; 5) scorbutica. Inter minus periculosas convulsiones referuntur subsultus in somno, convulsiones in somno, spasmus flatulentus, & quæ hæmorrhagias excipiunt. Particulares vero quod attinet, sunt hæ strabismus, *τρεπισμός*, spasmus Cynicus, risus Sardonicus, satyriasis, sternutatio & singultus. Motus convulsivi denique sunt vel vehementiores, vel minus vehementes; utriusque febriles, hysterici, &c.

p. 368. Cum autem morbus caducus cum sensuum internorum abolitione sit conjunctus, hujus symptomatis occasione, quædam circa sensorium commune præfari, operæ pretium duxit Author. Hoc autem supponit debere 1) esse partem unam, quia motus a duplicibus sensoribus externis in eo velut uniri debent; 2) motus spirituum animalium ab omnibus organis & membris delatos recipere; 3) motus spirituum animalium, ad illud tanquam metam pertingentes, velut terminare; 4) sensuum externorum objecta varia percipere ac judicare; 5) motum spirituum animalium versus has vel illas partes determinare. Exque his concludit, nullam cerebri partem solidam dari, cui hæc omnia tribui possint; cum autem eadem in mentem cadant, hanc sensorium commune adstruere, nullus dubitat.

Tandem non possumus non Compositiones quasdam evaporistas ab Authore, Clarissimo inventas vel correctas, hic commendare, scilicet; Diascordium novum, Spiritum Cepha-

licum epilepsiam hypochondriacam tollentem, Spiritum Galbani compositum in spasmo flatulento adhibendum, & Aquam lactis nephriticam Pharmacopœæ Bateanæ correctam.

p. 539.

p. 559.

M. JOANNIS TRIBBECHOVII, FAC. TH. HALL,
 & Phil. Jen. Adjuncti Brevia Linguae Ῥωμαϊκῆς, seu Græcæ Vulgaris
 Elementa, quibus differentia antiquum inter & recentiore Græcismum præcipue ostenditur. Præmissa est Dissertatio de Ortu & Natura hujus Linguae: accessit Concio Christi montana Matth. V. VI. VII. Epistola Clarissimi Anastasii, Græci, & Syl-
 labus vocum usitatorum.

Jenæ, apud Jo. Bielckium, 1705, in 8. Plag. 10.

Dissertationis, quæ etiam Jenæ publice ventilata est, summam ipse titulus monstrat, eam videlicet agere de ortu & natura linguæ vulgaris Græcæ: quæ quidem, si rem ab ovo ordiamur, referenda fuerit ad quintam Græcorum dialectum, κοινὴν, h. e. communem & vulgarem antiquis dictam, teste Jo. Grammatico in suis Τεχνικοῖς. §. I. Alio nomine hæc dicitur πεζῆ, quasi pedestris, si quidem illam cum antiqua sermonis elegantia comparaveris. Ad di etiam posset synonymum ἀπλὴ Φράσις, quo propter simplicem dictionem hæud raro insigniri solet. Communiter tamen adpellatur Ῥωμαϊκῆ, sicut Græci post tempora Constantini Ῥωμαῖοι, & Constantinopolis νέα Ῥώμη audit. §. II. Jam si quærat, num antiqua illa κοινὴ, qua comœdiarum historiarumque scriptores usi sunt, conveniat cum recentiore Græcorum sermone? istam quidem hujus esse fundamentum & velut matrem agnoscendam, sed longe puriorem fuisse cultioremque hodierna, nemo ibit inficias. Causæ corruptionis in promptu sunt: Romanorum imperium, unde tot Latinismi, etiam in ipso Novo Testamento; Græcorum scriptorum desidia, qui tam facile barbaras voces, magno numero in Meursii Glossario congestas, admiserunt; in primis Turcarum tyrannis, litterarum studiis infensa; item frequens commercium cum populis vicinis, maxime Italis. §. III-VI. Cæterum quatenus hæc lingua Græca est, ex quatuor antiquis dialectis conflata deprehenditur, quod ex allatis ibi exemplis patet §. VII. VIII. Deinde traditur divisio hujus linguæ, quæ est vel ecclesiastica, vel politica: hæc

rursus vel *ἡπειρωτικὴ*, quæ in *insulis*, vel *ἡγεσολικὴ*, quæ in *terra continenti* viget ; quibus additur tertia, nimirum *Constantinopolitana*, quia Constantinopolis systema Græciæ, & præcipue ἐν τῷ *Φαναρίῳ*, sede Patriarchali, idioma ecclesiasticum principem locum obtinet. Præter Constantinopolin, purior dialectus reperitur Thesalonica, in reliquaque Græcia stricte sic dicta, inprimis vero in metropoli Epiri *Jannina*, ubi illustre Græcorum gymnasium, una cum *ἀνεγοῦρτησίῳ* hodiernum floret. §. IX. X. XI. Laudatur quoque hac ætate schola *Larissæa* & *Corcyrensis*, ubi itidem litterarum studia coluntur, & præcipue posterior acroaterium Latinum habet. Quod ad dialectum insulanam attinet, ea melior est in Cycladibus, quam Sporadibus & Echinadibus insulis, vel eam ob causam, quod illæ propiores sint S. Monti seu Atho, hodie monasteriis referto. Echinades vero, una cum Creta, nimium ex Italico fermone, quod Italiæ viciniore sint, trahunt. §. XII. Sed rursus magna varietas propter multitudinem insularum, ut vere obtineat, *quot insule, tot linguæ*, fatentibus ipsis Græcis, quorum testimonia adducuntur. §. XIII XIV. De fermone ecclesiastico tenendum, quod proxime accedat ad veterem Græcismum, exceptis quibusdam generalioribus momentis, quibus ad captum populi immutatus est. Versio autem Novi Testamenti Græco-Vulgaris, autore *Maximo Callipolitano* edita, & cura *Seraphimi Mytylenensis* denuo Londini A. 1703 excusa, plus solito barbararum vocum habet, in gratiam tot millium Bulgarorum, Wallachorum &c. qui inter Græcos habitant. §. XV XVI. Denique iudicium fertur de hac lingua, eam quidem, quoad elegantiam, antiqua longe esse inferiorem, propterea tamen minime, Criticorum quorundam more, tam graviter accusandam, imo rejiciendam esse, vel propter multas peregrinas voces, vel etiam *βαρβαρῶσιν* & malam *ἑρσογενίαν*; quæ omnia diluuntur §. XVII-XXI. Virtutes contra huius idiomatis recensentur, perspicuitas qua cum ipsa matre certare videtur, peculiarisque quædam elegantia & *δενότης*, quam imitari difficile est. §. XXII. Poesis *Ῥωμαϊκὴ* rudior quidem, sed hodie cultior extat, præsertim in Creta, quæ hoc in genere multum reliquis præstat. §. XXIII. Apparatus librorum, ad hoc institutum facientium, apud nos exiguus est: differitur ta-

mèn de *Lexico Vlachi Cretenfis* & aliorum Dictionariis, & ex nostratibus laudatur *Crusii Turco-Græcia*, licet multa ibi obsoleta & corrupta occurrant. §. XXIV. Tandem ratio & occasio editionis horum Elementorum, quæ fuit adventus Græcorum in Academia Fridericiana, quibuscum Autori arctior familiaritas intercessit, significatur, & ne locus vacuus esset, adduntur quædam potiora ex præfatione *Glossarii mediæ & infimæ Græcitatæ Caroli du Fresne*.

Ipsa vero Elementa conscripsit Autor Doctissimus, magnique Parentis & Theologi quondam celeberrimi haud degener filius, methodo Celeberrimi Hardtii, quam in tradendis linguis Orientalibus Clarissimus in Academia Fridericiana Prof. Michaelis non sine fructu discipulorum eximio, adhuc observavit. *Duabus* partibus totum negotium absolvitur, quarum prima agit *de Fundamentis*, altera *de Paradigmatibus*. Circa fundamenta notanda sunt quatuor momenta lectionis & scripturæ, *Consonantes, Vocales, Tonus & Note Diacriticæ* lectionis: in quibus modo differentia ab antiquo sermone breviter indicatur. Eædem quidem consonantes sunt, sed paulo aliter pronunciantur, præcipue τὸ δ, θ, ζ: quæ pronuntiatio omnino præferenda, si non in omnibus, saltem in plurimis; quod vel ex Clenardi Institutionibus & aliis antiquioribus Grammaticis facile probari potest. Vocalium pariter & diphthongorum sonus plane convenit cum eo, qui in superiori Saxoniam ut plurimum receptus est: nam aures Græcorum a distinctis illis sonis ai, ei, oi, abhorrent. Tonus sæpe variat, si usum spectes: sæpe enim ob ceteram pronuntiationem ad ultimam eum rejiciunt, ut ἀνθρώπων, Φιλία; vel in antepenultimam revocant, ut ἑλληνικά, ἀγιώτατη: id quod Clarissimo Henninio in suo *Hellenismo*, quem ὀρθώιδον inscribit, tanquam antiquissimi & rectioris toni vestigium mirifice placet. Ex notis diacriticis id præcipue notandum, quod Græci recentiores spiritum asperum ut lenem efferant, more Æolium antiquorum, qui propterea *Ψιλωτικοὶ* adpellabantur.

Alterâ pars horum Elementorum exhibet paradigmata singularia Nominum, Pronominum, Verborum, &c. Differentia Nominum communis est, quod ignorent Dativum casum & numerum Dualem. Specialia ibidem plu-

pluribus legas. Verba carent Aoristo primo & secundo, nec non Futuro secundo. Perfectum hic nihil aliud est, quam Aoristus primus. Plusquamperfectum & Futurum adhibitis verbis auxiliaribus ἴδω & ἔχω , ut in lingua Germanica, formantur. Infinitivum non habent, sed loco ejus utuntur Coniunctivo cum particula νᾶ . Verba circumflexa & anomala pauciora & faciliora hic sunt, quam in veteri lingua, quorum paradigmata Autor concinno ordine proposuit. Quæ ad discrimen Syntaxeos pertinent, paucioribus momentis itidem comprehensa sunt. Elementa excipit Concio Christi montana ex metaphrasi Ῥωμαϊκῆ correctâ, Latine versa & notis quibusdam illustrata. Tum sequitur epistola Anastasii, Macedonis, ad Autorem, qui Elementa censuræ ejus subjecerat, in qua de isto specimine ita judicat, multis quidem parafangis id superare Portii Grammaticam, qui primus aliquid eo in genere tentasse dicitur. De cætero ex litteris illis apparet, hunc Virum Græce eximie callere, & litteris ac disciplinis sic satis esse imbutum. Digna est lectû epistola, utpote quæ plurima ad statum Græciæ litterarium pertinentia continet. Accessit etiam brevis Dialogus amici, linguæ hujus periti, quo fundamenta religionis præcipue tanguntur. In fine adjectus est syllabus vocum usitatorum, quæ tironi ad intelligentiam Novi Testamenti ἐν ἀπλῆ φράσει scitu necessariae sunt.

PSALTERIUM DAVIDIS ÆTHIOPICE ET LATINE, cum duobus impressis & tribus manuscriptis codicibus diligenter collatum & emendatum, nec non variis Lectionibus & Notis Philologicis illustratum. Accedunt Æthiopice tantum Hymni & Orationes aliquot Veteris & Novi Testamenti, item Canticum Canticorum, cum variis Lectionibus & Notis: Cura
JOB I LUDOLFI.

Francof. ad Moen. Prostat apud Jo. David. Zunner & Nic. Wilh. Helwig. Typis & sumtibus Autoris, impressit Martin.

Jacquet, 1701 in 4. Constat 2 Alphab. & 9 plagul.

QUæ sit ratio hujus recens editi Psalterii Æthiopici, ipse Illustris Autor, qui ad meliorem vitam Francofurti ad Moenum d. 8 Apr. superioris anni translatus est, in præfatione dilucide exponit; quam hic

pro instituti ratione breviter recensere. Primum quidem narrat, quam charus, quam pretiosus sit Psalmorum liber Æthiopicæ genti, ut omnes eum quotidie legant, & tanquam breviarium orationum suarum æstiment, adeo ut & foeminae, præsertim nobiliores, memoriter eum recitare queant. Appellare autem solent simpliciter *David*, ut cum Psalterium finitum esse indicare volunt, dicant, *finitus est David*. Id quod in calce hujus ipsius editionis quoque fuit observatum. Deinde differit Autor noster Illustris de fonte, ex quo suam Æthiopes *μετάφρασις* derivarint, quem non fuisse textum authenticum Hebræum, sed LXX Interpretum versionem Græcam adserit, eo quod Æthiopicus interpres plerumque exemplar *Alexandrinum*, in Bibliis Polyglottis Anglorum excerptum, ut & *Vaticanum*, passim impressum, sæpe sequatur. *Tempus* hujus translationis incertum est, licet probabile sit, eam non multo post conversionem Æthiopum, cum aliis Sacrae Scripturae libris factam esse, quo de Historiam suam Æthiopicam cum Commentario conferendam monet. *De ordine & numero Psalmorum* inde observat, eundem esse, qui apud Græcos. Isti Psalmum IX & X, apud Hebræos divisum, conjungunt, atque ab illo Psalmo Æthiopes semper unum minus putant; ut qui apud Hebræos est XI, apud Græcos & Æthiopes X habeatur. Idem rursus contingit Psalmo apud Hebræos CXV, quem totum Æthiopes cum CXIII suo conjungunt, & vice versa Hebræorum Psalmum CXVI in duos dividunt, donec in Psalmo CXLVII rursus conveniant, qui apud Hebræos usque ad Psalmum CXLVIII continuatur, apud Æthiopes vero dividitur, ita ut apud nos versu 13 fiat initium Psalmi CXLVII, & deinde numeri in Psal. CXLVIII rursus concordent; licet hic ordo in novissima editione Lipsiensi LXX Interpretum non fuerit observatus. Adjectus est etiam Ps. CLI, apud nos *apocryphus*, quia Orientales communiter illum habent; quamvis *numerum reliquorum excedere*, in titulo illius Psalmi fateantur. Cæterum linguam ipsam *Axumiticam* non male vocari, censet summus Autor. Nam quo tempore Reges Æthiopiæ *Axuma* in regno *Tigre* habitabant, in usu fuit; quamobrem a nonnullis *Tigrana* sive *Tigrensis* vocata fuit. Translata vero in Amharam Imperii sede, vernacula esse desit, adeoque Habessini illam e libris & doctrina litteratorum ad-

discere necesse habent. Post hæc *de variis editionibus* hujus Psalterii sermonem facit, quarum primam curavit *Jo. Potken*, Germanus, Ecclesiæ S. Georgii Coloniensis Præpositus. Ediderat illud primo *Romæ* anno 1513, cum annexis hymnis & orationibus quibusdam Veteris Testamenti, adjuncto etiam Cantico Canticorum. In Germaniam reversus, denuo illud *Colonia* A. 1518 excudit, sed Psalterium tantum, additis tribus aliis linguis, Hebraica, Græca, & Vulgata Latina. Æthiopicam, errore illius temporis, *Chaldeam* vocavit, & sine versione aut notis ullis, secundum exemplar suum manuscriptum, quod Romæ nactus fuerat, nude vulgavit; sed artis Grammaticæ rudis, menda in suo exemplari reperta corrigere non valuit. Sic ultra seculum jacuit, nemine neque de Psalterio, neque de studio Æthiopico publice sollicito. Æthiopes quidem, ob bellum Adelense in summam desperationem adducti, ante centum & quinquaginta annos Romam venerunt, atque ibi Novum Testamentum typis dederunt, Psalterio neglecto, quod tamen Angli in Bibliis suis Polyglottis denuo impresserunt, at parum accurate, veteribus mendis impressorum codicum relictis, & novis superadditis. Tum vero quid præstitum sit hac novissima editione, indicatur. Videlicet accurata prius collatio codicum variorum instituta est, ad quam adhibiti sunt duo illi *Potkenii impressi* & tres *manuscripti*; inter quos primus & præcipuus fuit, quem *Pocokianum* appellat, quia in Celeberrimi *D. Pocokii* Bibliotheca repertus, ab erudito quodam Æthiope quondam tractatus, variisque etiam ex Patribus Græcis observationibus fuit illustratus. Alter *Berolinensis* ex Bibliotheca *Potentissimi Regis Prussie* gratiose communicatus, & tertius, quem *Amstelodamensem* inscribit, a Viro Amplissimo *Petro van Dam*, qui ex India eum acceperat, benevole fuit transmissus. Ex qua diligenti, ab ipso hujus litteraturæ principe instauratore facta collatione, non potuit non correctius & emendatius exemplum, nunc publici juris factum, prodire. Nam quod ad *varias lectiones* attinet, illæ e manuscriptis supra descriptis collectæ, & cum codicibus impressis collatæ sunt; lectiones cum Græcis codicibus, Alexandrino scilicet & Romano, convenientes in textum receptæ, judicio de iis haud raro interposito. Interdum etiam integri versus vel hemistichia in Hebræo

& Græco textu clare extantia, in Æthiopica vero versione casu, vel per incuriam scribarum omiſſa, reſtituta ſunt atque ſuppleta. Si vero Æthiopica verſio a Græca diſcreparet, ratio differentiæ, quantum potuit fieri, inveſtigata eſt. Præterea quoque, in gratiam Philologiæ cultorum, acceſſit *verſio Latina*, ad litteram Æthiopici textus, additis tantum ad cohærentiam ſermonis ἑλλείψεων ſupplementis, expreſſa; quæ pars laboris commiſſa fuit Clariffimo Viro Jo. Heinr. Michaelis, Linguarum Orientalium Profeſſori in Academia Fridericiana longe meritiffimo, & ab eodem feliciter perfectâ; quemadmodum non mediocri laude ejus diligentiam, doctrinam & profectus hac in lingua eximios, ipſe Illuſtris Autor prædicat. Sed & præter verſionem, additæ etiam ſunt utiliffimæ notæ philologicæ, cura & ſtudio laudati Profeſſoris, ex quibus modo unam vel alteram ſpeciminis loco adferemus. E.g. Pfalm. IV, 3. בני איש filii viri, quæ Æthiops vertit, *liberi ſobolis matris viventium*, hæc notat: *Hebræi homines vocant בני אדם FILIOS ADAMI; Æthiopes contra quaſi בני הורה FILIOS EVÆ, dum illos vocant ſobolem matris viventium, ſcilicet hominum* Gen. III, 20. Sic & Pfalmo XXVIII, alias XXIX, 6. notabilis adfertur varia lectio Manuſcripti Pocokiani: *Et ſubſilire facit eos tanquam vitulum Rhinocerotis: Dilectus vero eſt tanquam ſoboles Recmi, cui eſt unum cornu; cum hac epicriſi: Abit hic Æthiops partim a Græco & vulgari lectione, partim ſequitur textum Hebræum, adeoque illum mixtim & paraphraſtice reddens, ut illi moris, retento vocabulo Hebræo בני אדם, quod alias in Æthiopica lingua nuſpian occurrit, addito tamen epitheto Monocerotis, quod eſt in Græco. Recte autem obſervavit, בני אדם eſſe Rhinocerotem.* Qualia plura ibi invenias notatu digna, inprimis etiam quod attinet ad differentiam hujus & LXX viralis verſionis ab ipſo textu authentico, ut jure hic labor queat commendari, quia præter notatas emphafes Æthiopicæ, multum facit ad rectius intelligendos LXX interpretes, imo ipſius Hebræi textus non pauca, eaque difficiliora, loca illuſtrat. Agnoſcendum quippe donum Dei in Illuſtri, nunc Beato, Autore plane eximium, quo fere ſolus hoc in genere polluit, nec permittendum a litterarum bonarum amatoribus, ut hic theſaurus linguæ Æthiopice quaſi defoſſus jaceat, cum

indefessa industria, qua virtute Beatus Autor inter cæteras eminebat, adeo facilis & expedita via monstrata sit, edita *Grammatica & Lexico Æthiopico*, de quibus nemini non constat, qui harum literarum paulo est cupidior.

VITA ERNESTI PII, DUCIS SAXONIÆ, Descripta ab ELIA MARTINO EYRINGIO, Sereniss. Vidua Ducis Saxo-Coburg. Aula Inspector. Accessit Ejusdem Dissertatio de ortu & progressu religionis Christianæ in Francia Orientali.

Lipsiæ, apud Joh. Frid. Gleditsch, 1704, in 8. Plag. 17.

Quo clariora & illustriora sunt illorum exempla Principum, qui pacis artibus, & imprimis literarum ac pietatis studio, rem suam atque publicam ornare & amplificare allaborarunt: eo studiosius ex hac *Ernesti, Saxonie Ducis*, pietate ac literarum amore omnibus seculis commemorabilis, Vita, ea nobis in his Eruditorum Actis adnotanda existimavimus, quæ ad piæ eruditionis incrementa, ab optimo Principe cogitata, & felicissimo successu perfecta legimus. Scientes igitur illa prætermittimus, quæ de Serenissimi Principis natalibus, majoribus, fratribus, fortitudine ac belli discriminibus, pacis studio, matrimonio auspiciatissimo, prole numerosa ac felicissima, de politia prudentissime instituta, aulæ sedatissimis moribus, rerum œconomicarum redituumque dispensatione sapientissima, de munifica ejus liberalitate, omnisque sorditiei averfatione, monetarum cudendarum usu & modo circumspecto & sanctissimo, felicitate in hæreditatibus impetrandis singulari, testamento, morbo & obitu beatissimo &c. consignata sunt. E quibus sane veritas eorum, quæ Autor de laudibus Ernesti Pii nunquam non deprædicat, luculentissime apparet. Quod autem literarum amorem, quem nos jam potissimum spectamus, & promanantem inde ecclesiarum & scholarum, quæ ejus seminaria sunt, curam attinet, ipsa Principis Serenissimi indoles prima ejus femina illi instillasse videtur. Quæ in felicissimo ingenio, singulari judicii acie, animoque excellentissimarum cogitationum veræque pietatis capaci, cum ætate ita succreverunt, ut cum se malo fato suo a nonnullis, quibus educatio ejus curæ esse debebat, destitutum, & Latini imprimis sermonis non

C. VI.

C. VII.

satis gnarum esse, non sine summo dolore intelligeret; animum ta-
 men ingenti omnium disciplinarum desiderio incensum retine-
 ret, ipsumque non solum historiarum, politices, matheos, alia-
 rumque dignarum Principe artium studio, sed suorum etiam insti-
 tutione, optimorum librorum edendorum, eruditorum adjuvando-
 rum, ecclesiarumque ac scholarum instaurandarum cura, luculen-
 tissime testaretur. In Serenissimorum Filiorum suorum educatione
 nihil certe omisit Sapientissimus Princeps, quod ad literarum ac
 pietatis amorem penitus ipsis implantandum pertineret. Dirige-
 bant illorum studia Viri Illustres, Seckendorffius & Gablkovius;
 bonas literas ipsis Majerus, Reyherus, Brucnerus, Kunoldus & Ro-
 senbergius instillabant; in ipsorum profectus, singulis mensibus, con-
 siliarii sacri ac civilis ordinis inquirebant, summaque sollicitudine plu-
 res bonos reipublicæ patres formabant: cujus rei fructu terræ Sa-
 xonicæ hodie etiam perfruuntur. Curæ, quam pro ecclesiæ com-
 modis, religionisque firmamentis gessit Ernestus Pius, sedula ec-
 clesiarum ab ipso facta inspectio, optimorum Theologorum & Poli-
 ticorum expetita in eam rem consilia, Synodus anno 1645 de mor-
 bis ecclesiarum curandis habita, dignissimorum pastorum, inspecto-
 rum, catechizantium constitutio, disciplina ecclesiastica, censura
 Christiana, observatores morum, iudicium delatorium Das Rüge-
 Gerichte / pœnitentiæ publicæ, tot leges & ordinationes aliæ sa-
 luberrimæ, tot literæ & scripta de controversiis Helmstadiensibus
 componendis ejus autoritate confecta, tot legationes & literarum
 commercia cum exteris Principibus, ipso etiam Magno Moscowi-
 tarum Duce, Patriarcha Alexandrino, Æthiopiæ Rege & aliis, de
 puriori & sanctiore Dei cultu instituta, certissima testimonia habe-
 ri possunt. Huc imprimis singularis illa cura pertinet, quam de
 Collegio quodam Hunniano instituendo habuit, atque ideo cum
 Rege Sueciæ Daniæque, & inferioris Saxonix Ducibus, Alberto filio
 suo natu secundo, doctore Veerportenio, Gabelkovenio & Brucne-
 ro eum in finem missis, pio conatu egit. Scilicet Nicolaus Hunnius,
 Superintendens Lubecensis, in libro, quem appellabat *Consultatio-
 nem*, Gustavo Adolpho, Regi Sueciæ, & Joh. Georgio Saxonix Ele-
 ctori dedicato, & anno 1632 edito, sollicite suaserat, ut certus nu-
 merus piorum, eruditorum & celeberrimorum Theologiæ Do-

C. XIII.

C. XIV.

C. XIX.

C. XVII.

C. XIX.

etorum, communi Procerum Evangelicorum consensu & publica autoritate aleretur, hisque lautius stipendium & selectissima bibliotheca assignaretur, singulisque singuli studiosi ac eruditi, naturæ simul ac gratiæ dotibus ornati adderentur, a quibus difficiliora Theologiæ capita, selectioresque controversiæ, summo studio examinarentur, orationes sacræ ac dissertationes Theologiæ frequentes haberentur, sacri etiam codicis, patrum, scholasticorum, historiæ ecclesiasticæ, conciliorum, decretorum, casuum conscientiæ & praxeos ecclesiasticæ accuratissima collatio institueretur, rarissimæque ac utilissimæ circa hæc observationes communi opera conferrentur. E quo instituto ut maxima ecclesiæ commoda pollicebatur Ernestus; ita nihil omittebat, quod ad illud promovendum & conficiendum pertineret: quanquam, quæ erat eo tempore rerum facies, approbato licet ab omnibus isto consilio, difficultates quædam orientur, quæ felicem rei successum impedirent. Quod igitur apud alios, per temporum injuriam, perficere non poterat, id saltem in suis terris, salutaribus aliis institutis, obtinere studebat. Constitutis igitur scholarum ordinibus, fidissimisque ac piis magistris præfectis, omnium sibi subditorum liberos inde a quinto anno in scholas duci, nec nisi satis in literis ac pietate profecissent, inde revocari imperavit, eaque re illud obtinuit, ut proverbio vulgo diceretur: *rusticos Ernesto subjectos nobilibus pagorum alienæ ditionis esse doctiores*. Nobilibus certe, ipsi ministrantibus, literarum studia præ omnibus commendabat, ipsisque inculcari sedulo curabat: quod Seckendorffii, Herberstenii aliique generosissimi viri, Ernesti auspiciis, artibus ac literis bonis imbuti, abunde declarant. Ipseque adeo nobilibus haud eruditis, locum in aula sua vix concedendum putabat.

p. 152. 168. Omnis autem ordinis ac generis studiosos, qui suæ industriæ specimina ac testimonia habebant, largissimis stipendiis ac magnificis juvabat. Adhæc Princeps optimus curabat, ut a viris doctissimis libri componerentur, quorum auxilio felicius juvenus proficeret, errores facilius evaderet, & tum pietatis, tum Latinitatis, Grammaticæ, Logicæ, Physicæ principia genuina caperet. Quorsum inprimis etiam Historia Ecclesiastica Gothana, Bœcleri, Seckendorffii & Artopæi studio concinnata, omnibusque eruditis maximi æstimata, referenda est. Quin ipsa immortalia opera, Historia Lutheranismi

Seckendorffio, & Belli Smalcaldici Expositio ab Hordledero con- p. 72. seqq.
 cepta, Biblia item Vinariensis & Concordantiarum Publicarum Ernesti au-
 gustiniani, mandatis, & subsidis, auctoribus ipsius id fatentibus, una cum
 multis aliis, quae Autor p. 75 enumerat, originem suam debent.
 Quam providus autem de libris in communes usus perandis erat,
 tam severus etiam suis, imprimis pastoribus, illorum legendorum
 auctorem & concitatorem fuisse accepimus. Quo illud imprimis
 pertinet, quod Autor p. 76 & 77 recenset. Quae quidem omnia,
 tam multis aliis, qui nobiscum expendant paulo penitus, et tanti
 Principis pietatem, amoremque pro eruditionis omni reo comme-
 morabilem, merito nobiscum venerabuntur, pluresque tales litera-
 rum statores ac principes eruditis indulgentes, bono literarum pu-
 blico ut nascentur, optabunt. De Appendice, seu Dissertatione de
 ortu & progressu religionis Christianae in Francia Orientali, cum jam
 plures ante annos in illustri Academia Jenensi publice ventilationi
 fuerit exposita, & nunc solum recusa, non est ut plura di-
 camus.

Herrn Hanns Asmans / Freyherrn von Abschatz/
 Poetische Uebersetzungen und Gedichte.

sive

JOANNIS ASMANNI L. B. ABSCHÄTZII Meta-
 phrasen & Opera Poetica.

Lipsiae & Vratislaviae, apud Christ. Bauchium, 1704.

Constat Alphab. 2.

Magnis illis in Poesi Germanica Heroibus, quos Silesia proge-
 nuit, suo merito Vir Illustris annumerandus est, Dn. Jo. As-
 mannus Liber Baro Abschatzius, Wirwicii, Lederofii, Petschendor-
 ffii, Superioris Bertschdorffii & inferioris Gelschava Toparcha, in Li-
 gnicensi Ducatu, dum viveret, Provincialis Syndicus, atque in publi-
 cis Silesiae Conventibus ordinarius Adfessor, Vir multiplici merito-
 rum ac eruditionis gloria celebris, Lignici d. 22 Aprilis anni 1699
 fati functus, & cum Generosissima Coniuge, biduo post mariti
 obitum, placida morte vivis exempta, eodem quietorio in Aede apud
 Lignicenses Petro-Paulina tumulatus. Quanta Baronis laudatissi-
 mi inter suos celebritas, quantus natalura splendor, quanta apud
 Au-

Augustissimum Imperatorem LEOPOLDUM gratia, quanta apud summos Silesiorum Principes atque Ordines existimatio fuerit, ipsi ex Silesiis cives cordati, & literarum cultura clarissimi, optime norunt, quorum præconiis in exterorum gratiam istud adjicimus, Virum tantæ dignationis, inter continuam curarum molem, & itinera pro salute Ducatus ac Reipublicæ Silesiorum universæ suscepta, Apollini tamen & Gratiis litasse, & quæ nunc publicata sunt, carmina prælo parata hæredibus reliquisse. Hæc vero nunc ipsi ex voluntate optimi Parentis in lucem exposuerunt, Cl. Gryphio, Socio ac Amico nostro honoris causa nominando, præfationem scribente, in qua modernam Nobilium consuetudinem false taxat, qui artium liberalium, & Poeseos præsertim, exercitamenta Equestri homine minus digna judicant, & gladio nihil rei esse cum calamo autumant; quum tamen ex Purpuratis Vatibus, hoc est, ex Imperatoribus, Regibus, Ducibus, Principibus, Pontificibus item, Cardinalibus, Archiepiscopis atque Præsulibus, aliisque summæ auctoritatis Magnatibus, qui Poeseos cultores fuere, vastus quidam index confici queat. Cæterum duæ quasi operis hujus partes sunt, quarum altera *Metaphrases*, altera vero *Poemata ex ipsius Abschatzii Baronis ingenio deprompta* completitur. Inter Metaphrases principe loco se sistit *Pastor Fidus* Tragicocomœdia, ex Italico Guarini, vatis celeberrimi, conversa. Quæ facta Guarinus auctor in Italia expertus sit, quot versiones hujus Dramatis in omnes fere linguas transpositi numerentur, Clarissimus Crescimbenus in Commentariis de Poesi Hetrusca fusius docuit. Ex Germanis tres, nisi fallimur, *Pastorem hunc Fidum* adgressi sunt, Hildebrandus quidem prosaica, Hofmanswaldius autem & Abschatzius, Silesii, metrica interpretatione. Hofmanswaldianæ versioni plus elegantiarum tribuit Morhofius (*Part. 2 de Poesi German. cap. 2 p. 205*) quam ipsi textui Guariniano: ipse vero Hofmanswaldius in præfatione Poematum suorum, primas præ se laudes Abschatzio nostro deberi, cumque verba Hetrusci idiomatis strictius ac feliciter expressisse, monet. Nostrarum partium non est, hanc inter illos litem dirimere, de qua, qui utriusque linguæ intimiore notitia pollent, judicare permittimus. *Sonuli* autem *jocoserii*, qui *Pastorem Fidum* presso pede subsequuntur, & quos ex Alexandri Adimari Equitis Thasci *Terpsichore* de

promsit, mira transpositionis felicitate & argumenti raritate notabiles sunt. Quinquaginta nimirum foeminas *Therpsichore*, (id tractulo nomen est,) nobis repræsentat, omnes novercantis naturæ invidia, maculis quibusdam vel in ore, vel in moribus, deformes, calamo tamen vatis & poetica venustate commendabiles. Quod ad alteram poematum classem attinet, quæ soli Baronis nostri venæ ortum suum debent, prima sunt Sacra, quæ adpellatione ex Floræ regno desumpta, *Himmel - Schlüssel* / sive claviculas cœli aut primulas veris nominavit. In iis metaphrasas quorundam Psalmorum, meditationes in ferias Dominicas & Festales, eucharistica matutino æque ac vespertino tempore, nec non post superatas graviores tam publicæ quam privatæ rei calamitates fusa; hymni item anniversarii, onomastici, genethliaci, & quæ alia mysteriorum sacrorum genera sunt, occurrunt: quibus & ætatis suæ quinquagenariæ curriculum, totidem strophiolis sive sectiunculis a se delineatum, Auctor noster subjunxit. Post sacras meditationes, carmina statim subnexa reperimus, quibus reverentiam & obsequium erga Divum Imperatorem LEOPOLDUM, & Celsissimos Austriæ Archiduces, cum propter victorias contra hostes obtentas, aut in nominalibus feriis, tum propter alias almæ benedictionis accessiones, contestatus est. Succedunt Epicedia in obitum ultimi Lignicensium, ex Piassteorum Familia nongentenaria, Ducis, & quorundam generosæ stirpis Equitum, carmen item honori Lohensteiniano, ob Arminii & Thusfeldæ vitas, fabula Milesia, sed ea longe doctissima & omnis generis eruditione referta, descriptas dedicatum; funebria deinde aliquot in bestias ab heris suis perditæ adamas, & miscellanea varii argumenti, in quibus omnibus magna venæ felicitas, styli nitor, vocabulorum aculei, & nativa sensus elegantia deprehenditur. At enimvero in illa inventionum varietate, & argutiarum adparatu, id maxime miramur, ambidextrum fuisse Vatem nostrum, id est, utroque idiomate, Germanico æque ac Latino, versus plane egregios panxisse: cujus rei luculento testimonio sunt Genethliacum Deo incarnato in terris hospiti, nocte Natali, in monte Senonum inhospitali, vena dextraque frigente, adfectu tamen calente, d. 24 Decembris anni 1666 sacratum, (*vide Sacra pag. 42 seqq.*) Paschologium nocte sacra anni 1667 Romæ formatum, (*ibid. pag. 54 seqq.*) Elegia super incendio d. 12 Oct.

1696 (*ibid. pag. 73. 74.*) Elegia ad Primkium, Rectorem Scholæ Lignicensis, Præceptorem olim suum fusa, in qua peregrinationis suæ rationes ac fructus exponit, (*inter Miscella pag. 106 sqq.*) & alia denique ad amicos ex Italia discedentes valedictoria, (*ibid. p. III. seqq.*) ut adeo, novo certe exemplo, comprobasse videatur Baro noster Illustrissimus, eam esse Latinæ linguæ majestatem atque elegantiam, ut illius exercitia Nobilioribus ingeniis, & Equestri dignitate præfulgentibus, dedecori nequaquam haberi debeant.

Ο Μ Η Ρ Ο Σ Ε Β Ρ Α Ι Ο Σ .

five

HISTORIA HEBRÆORUM AB HOMERO HEBRAICIS nominibus ac sententiis conscripta in Odyssæa & Iliade, exposita illustrataque studio atque opera GERARDI CROESII. Tomus I.

Dordraci, apud Theodorum Goris, 1704, 8.

Constat Alphab. 1. Plag. 20.

EO tendens Clarissimus Autor, (civis Reipublicæ Amstelodamensis, non adoptatus, sed intra moenia ipsius natus, ortu longa ducto ferie,) quo ipsum ratio quodammodo singularis officii ordinisque sui vocabat, primus Homerum e tenebris eruere, conditamque ab eo Historiam sacram, & e nostro Scripturæ codice repetitam, in lucem proferre voluit. Sic enim censet: Homerum narrare in Odyssæa inde a primordiis, varia eventa majorum Israelitarum, i. e. Patriarcharum & Israelitarum ipsorum, usque ad obitum Mosis, eo pacto, ut multa adjungat, quæ ad populos eodem genere *Heber* oriundos pertinent; in Iliade vero ea, quæ acciderint in occupanda urbe Hierichunte, ac tota terra Chanaan, duce Josua cæterisque jure imperatorio præditis, intermistis plurimis, quæ ad gentes ab Israelitis devictas fugatasve Chananæos pertinent. Et hæc arbitratur Homerum sic exarare lingua Græca, ut interim nomina propria personarum & regionum, quin & rerum insigniter memorabilium, efferat Hebraice, vocibus singularem in modum sermoni Græco accommodatis. Se autem isthæc perscrutari contendit, non delectatione novitatis, verum spe atque fiducia emolumenti in publicum.

Esse

Esse enim in his subsidium, tum ad alias scientias, tum etiam sacras & augustas literas, utcunque magis enucleandas ac illustrandas. Saltem grande in his pondus inesse, ad subvertendum omne Pantheum Deorum gentilium veterum, & tot ineptas de iisdem fabulas, quas non Græci modo ac Latini olim, sed tot inter Christianos etiam philologi & antiquarii, juventuti in suis auditoriis & gymnasiis instillaverint, ac propinarint. Penes Homerum, non nisi unius veri Numinis sub diversis notionibus sonare nomina, & describi Historiam sacram, ita ut in illo sit magna vis, ad tuendam firmandamque sacrarum literarum antiquitatem & auctoritatem, adversus ementitas argutias improborum, quorum in tanta ingeniorum prurigine, non exigua hodie copia sit. Præmittit autem operi suo Autor Introductionem satis amplam in universum Poetam, ceu partem generalem, XIV adeo capitibus absolutam. Omnes nimirum veteres hoc animadvertisse, Homerum ubique loqui verbis alienis a vulgari Græcorum forma, peregrinis, novis, translatis, interdum contractis, concisis, amputatis, ut difficile sit ejus mentem assequi. Sed & res ipsas proponere modis prorsus reconditis, ita obsecratis ac fabulosis visis, ut legenti nullæ certæ imagines in animum deducantur. Homero ergo verba illa ac nomina, quæ de Deo aut Diis usurpantur, quæ hominibus Heroibus etiam & actionibus ipsorum singularibus, porro quæ regionibus, urbibus, fluminibus, montibus, rebusque aliis, in quibus suspicio est quandam peculiarem proprietatem contineri, indita sunt, perraro Græca, frequentissime autem Hebraica esse: sed aliter sonantibus nominibus, & tamen re significantibus idem, quod in Scriptura Hebraica notet nomen proprium. Atque rursus sic afferri illa nomina Hebraica, ut omnino accedant ad nomina ista, quæ alibi terrarum, maxime in Græcia, sunt notissima. Interdum occurrere nomina regionis aut loci, tanquam nomina propria, & tamen pro re aliqua, velut nomina appellativa usurpari, cujus generis sint vocabula *Siculi*, *Messenii*, *Sardinii*. Et quæ fingit accidisse Ulyssi aut Trojanis, non de unico dicere Ulysse, verum de multiplici, neque de unius Trojæ excidio, sed plurium urbium eo nomine involutarum; ut ita alius sit Ulysses in initio, alius in progressu, alius in fine operis, & ut alterius generis sit Troja & Ilium in Odyssæa, atque est in Iliade. Per-

peram igitur censeretur ab omnibus, scriptam Odyssæam post opus Iliadis, & hanc ex illius tenore debere explicari. Contra vero, Homerum sequi ordinem Historiæ sacræ, & adeo Odyssæam præmississe Iliadi. Præterea indicare eum, Græcos antiquissimos oriundos fuisse e Chananæa, Idumæa & iis oris, eosque fuisse, qui ab Israelitis circumventi, pressi, fugati, se fuga receperint in Asiaticam Græciam & Græciam Europæam. Et hos fugitivos illa illis regionibus nomina de sua lingua patria Chananæa, quæ & Hebræa, imposuisse, quæ tamen temporis tractu, & usu longo, jam ipsiusmet Græciæ nomina viderentur esse. Eo magis autem voluisse eum uti hisce nominibus, sibi notissimis, quo minus Græcos offenderet, sed ut iis palpum obtruderet, cum ipsi de sua antiquitate & de patrio suo solo, quod in eo essent *αὐτόχθονες*, admodum gloriarentur. Facile etiam illa vocabula ad formulam linguæ Græcæ potuisse construi & exarari, absque jactura vocis, modo flexione alicujus literæ, vel mutatione, quod Græci tali litera carerent, aut aliam substituerent, quo vox magis clare ac sonore caderet. Adeoque uti Homerum lingua, quæ diutissime post istius tempora cœpit in usu esse Judæis inter Græcos degentibus, Hellenistica. Bene multas etiam apud Homerum personas esse illarum gentium, quæ, qui homines fuerint, nos lateat, nec tamen occultæ fuerint Homero. Sed & multis eum uti nominibus, quæ videantur esse Græca nomina Deorum Dearumve, aut hominum inter Græcos notabilium illustriumque, neque tamen quicquam minus voluisse, quam quod eæ personæ, quarum apud eum sunt nomina, fuerint vel Dii vel Heroes Græcorum. Quantum ad res ipsas, Homerum ait multas partes Historiæ sacræ notare, non ea ferie loci ac temporis, qua Sacra Scriptura, verum obiter, ubi incidit occasio aliquid vetus commemorandi, in conventu aliquo, in quodam colloquio. Vicissim varias tractare res nihil facientes ad Historiam sacram, etiam amplis & copiosis narrationibus, etiam integris libris. Cujus generis illa de navigatione Ulyssis Odyss. lib. V. quæ de Scylla & Charybdi, quæ de Circe, & plura, præsertim in Iliade. Sic igitur per illum Scripturam sacram potuisse innotescere Gentilibus, sed tectam & in fabulas conversam: ut fuerit ille tam pater mendacii, quam veritatis. Vixisse autem illum post tempora Davidis

vidis ac Salomonis, ex eo colligit Noster, quod non obscuram ποιήσεως horum Regum faciat mentionem in Iliade. Sed & post tempora Jeroboami, primi regis X tribuum vixisse, colligit ex hoc, quod & hujus regis meminerit. Et cum aliqua probabilitate posse dici, vixisse post tempus Amri sive Omri, sexti regis: quo regnante invaluerit religionum quasi confusio, & Samaritana incoeperit, & Idumæi Sidoniorumque res floruerint, eorumque ingens coeperit esse auctoritas in populo Israelitico, tum vero incuria in custodienda Scriptura Sacra. Certe fuisse Homerum doctum linguam Hebræam, doctum Hebræorum historiam, ut, ubi vellet, hanc potuerit ea in lingua tradere. Sed Ὀμηρον non videri nomen Poetæ, quin potius titulum ejus operum atque indicem argumenti. Esse nomen Hebraicum אָמֵר Omer, *orator, rhetor, vel commentarius*, ab אָמַר Amar, *dicere, eloqui*. Nam & nomina illa Ὀδυσσεΐας & Ἰλιάδου non ab auctore indita fuisse, verum ab iis, qui postea auctoris opus sua opera ita distinxerint. Similiter nomina Hesiodi, Theognidis & Phocylidis, ipsorum Poematis fuisse indita. Scripsisse Homerum libros suos non ea serie ac numero, ut quidem nunc extant, sed variis temporibus, per varias partes, quas vel Pisistratus, vel ejus filius Hipparchus, in eum redegerint ordinem, quo nunc habemus, eo tempore, quo Athenis constitutum, ut versus Homeri in ludis Panathenaicis publice legerentur: quomodo quondam Dei mandato Lex Mosaica, septimo quoque anno, in Festo tabernaculorum, a sacerdotibus universo Israeli prælegebatur. Exhibere novissime celeberrimum Gronovium, in secundo Volumine Thesauri Græcarum Antiquitatum, picturam marmoris, quam Homeri Διόδοσιον vocant, & nos quoque in his Actis A. 1683 p. 538 exhibuimus. *Elegans*, inquit Noster, *Marmor, ubi suos amatores invenit: neque enim omnes, ut pueri, istiusmodi imaginibus ac pupis trabuntur*. Equidem Homeri librum, pergit Noster, esse in multis partibus allegoricum, symbolicum, emblematicum. Atqui in his cum sequatur Scripturæ S. iterum viam docendi vulgatam tritamque, esse adhuc totum Homeri opus historicum. Unde permirum videri debere, accidisse post Natalem Comitum, G. J. Vossium & alios, etiam nostro tempore Francisco de Salignac, Archiepiscopo Cameracensi, præceptori Ducis Burgundiæ, quod voluerit librum quartum Odyf-

c. 4.

c. 6.

c. 4.

p. 67.

c. 9.

seæ Homeri hieroglyphice interpretari, & erudire Principem ju-
 ventutis Gallicæ argumento symbolico, tanquam ex Homero de-
 sumpto, repletoque cunctis lascivis ac mollibus Deorum Dea-
 rumque sermonibus actionibusque, atque id stylo accuratissimo,
 quo videlicet adolescentes, sua sponte ad voluptates adhinnientes,
 hoc magis illiciantur inescanturque. Et mirum, potuisse a se impe-
 trare Curiam Romanam, ut cum in hujus Antistitis libros religio-
 sos asceticos tam acerbe stylum strinxerit, nulli censuræ subjec-
 ret hunc ejusdem librum amatorium, habentem quidem falem,
 ostentantemque penetralia virtutis ac honestatis, at totum eo du-
 centem per facellum fallacis & ambitiosæ idololatriæ Gentilium,
 vanæque superstitionis, & voluptatis. Intelligit librum Gallica
 lingua conscriptum, *Aventures de Telemaque fils d' Ulysse*. Præ-
 terea Homerum docet non modo multas habere *γνώμας* consimiles
 S. Scripturæ, verum eas quoque mutuatum esse e Scriptura sacra:
 nec tamen alias, quam quas invenerit in libris Mosis, nonnullas
 quas in reliquis libris Historicis, itemque in Jobo & Psalmis &
 libris Salomonis. Ubi simul castigatur Zachariæ Bogan Homerus *E-
 Βερίζων* editus Oxonii 1658, & Jac. Duporti *Gnomologia Homeri*,
 Cantabrigiæ biennio post edita. Edmundum Dickinsonum con-
 tendere equidem, Græcos quicquid apud Delphos celebre erat,
 e Josuæ historia effinxisse, verum vix quidquam eum adferre ex
 Homero. Jac. Capellum sensisse quidem, Homerum legisse Scri-
 ptores sacros, & ex his ipsis fontibus multas sumpsisse sententias;
 res tamen ne huic quidem ex eo allegare. Eundem Capellum
 laudari magnopere a Th. J. ab Almeloveen in *Specimine Antiquit.*
 atque congerere huic omnia e prophanis auctoribus, quæ simili-
 tudinem habeant cum historiis Mosaicis; ne de verbo autem ullo,
 nedum de re quapiam, Homeri meminisse. Dan. Heinsium in
 Aristarcho S. promittere, se alicubi ostensurum, *Homerum omnia
 deprompsisse ex Oriente, quod ad cæremonias, ad res, ad voces;*
 nusquam tamen ne verbo quidem præstitisse. Vossium, Bochar-
 tum, & Ezech. Spanhemium, multa ex antiquis Poetis elicuisse, quæ
 spectent ad res in Sacra Scriptura narratas; tale tamen quidpiam de
 Homero nihil. Dan. Huetium in *Demonstratione Evang.* ubique
 in Poetis & aliis auctoribus veteribus invenire Mosen; ex Homeri au-
 tem

p. 162.

c. II.

c. I. p. 14.

tem scriptis duo duntaxat adducere loca, quæ ad historiam quamdam in Scriptura relatam transferri possint. *Unus, addit, est Gallus, qui propter suam jactantiam ac promissionem inanem satis orbiterudito vapulavit, & quandoque nominatim propter ea, quæ aliis abstulit atque edidit pro suis, veniet in Catalogum plagiariorum Thomasi.* Perperam etiam Everardum Feithium libris 4 Antiquit. Homericarum, omnia in Homero ad Græcos retulisse, monet. In parte speciali præstruit, descriptionem Patriarcharum fieri in Odyssea cum primis sub persona Ulyssis, sed venientis alio atque alio nomine; quemadmodum & opus obitu Ulyssis, ita ut re ipsa sit nomen Mosis, concludatur. Itaque illum Ulysses aliquoties recurrere, & jam abire, & obire, jam redire, isti primo similem. Id indicari verbis L. II. v. 175. *ἐειπὸς τῷ ἐν αὐτῷ, similis illi uni ipsi, non vigesimo anno;* item cum L. I. v. 1. dicitur *ἀνὴρ πολύτροπος, multiformis, non versutus.* Nam & Scripturam Sacram non semel nomen viri proprium imponere alteri, etiam diutissime post venienti. Penelopen, uxorem Ulyssis, æque esse nomen commune & appellativum, ac toties ita vocari, quoties fœmina quædam dignitate præstans & curans bene negotia domestica venit nominanda. Patriam utriusque appellari *Ithacam*, non Ioniam illam, sed, quod inauditum ad hunc diem usque, Mesopotamiam, Hebr. *ני* i. e. *insulam, regionem,* & *תת* *Thavech medium,* elisa litera *י*, inter duos amnes, Euphratem ac Tigrim. Hinc Homero *Ἰθάκην ἀμφιάλον, mari circumdatam* Lib. I. v. 385 & 394 dici. Alibi vocare *Ἠλύσιον πεδίον,* non campum Elysium, sed Mesopotamiam felicem. Nam *πεδίον* congruere cum *פדדן Paddan*, quo nomine Moses Mesopotamiam vocet Gen. 48. 7. *ἡλύσιον* esse *לע* *Ales*, lætus, exultabundus. In Ithaca designari ab Homero urbem Ulyssis patriam *κερήτην* Lib. 19. v. 172, non Cretam Græcorum insulam, sed Babylonem, *ubi lingua mixta.* Nam Hebr. *קרת* *Kereth*, Chald. *קרת* *Kareta*, dici urbem, & *מאת' עֶזְרוֹחִי* intelligi Babylonem. Homerum ergo hoc, quod dicit de mixtura linguarum, hausisse ex verbis Mosis de Babylone, Gen. XI, 9. In vicinia Babylonis fuisse *κνωσδὸν*, magnam urbem, a *קנוא* *Canoa*, æstus, fervor. Hanc alio nomine Hebr. vocari *חרן* *Charan*, a *חר* *Chari*, æstus, ardor, Græcis *Κάρραι*, ubi There & Abraham & Nahor vixerint, & in qua Isaacus & Jacobus sibi uxores asciverint. Eandem esse urbem, quæ Homero lib. 4 v. ult. vocatur

P. 179.

C. B.

C. I.

tur Αστεις, ab אשתר *Asthar*, pecus, grex: quod qui illic degebant, his maxime in usu esset facere rem pecuariam. Porro genealogiam Ulyssis & cognationem exhibet ex eodem loco Homeri, lib. 19. v. 179 seqq. Ibi enim juniorem aliquem Ulysssem enarrare majores suos, quorum singula nomina sint Hebraica. Μίνως enim Nostro est Abrahamus, a מנא *Mea*, centum, centenus, & נוצ *Nous*, germinare, quasi dicatur *germinans etiam centenos annos natus*. Fuisse autem Abrahamum natum centum annos, quum ei nasceretur Isaak. Gen. 21, 5. Convenire id etiam Semo. Minos Homero Rex novenus, ætate vel generatione. Abrahamus autem non verbis, sed re, nonus generatione in posteritate Semi, filii Noachi Gen. c. XI, pater celsus & habitus uti princeps Dei, Gen. 23, 6. Atrides Homeri est Lotus, cum suis domesticis, Hebr. *latens, absconditus*. Alio nomine Παδάουαθος, Hebr. *soporatus*, & sic tamen *se extendens*, & *floridus*. Ilium Homeri est Hebr. איל *Eil*, אילון *Elon*, planities, locus campestris, spatiosus. Trojam Hebr. esse תרועה *Theroua*, clamorem, vociferationem. Nimirum Abrahamum & Lotum abeuntes ex Ure Chaldæorum, venisse Carras sive Charan, deinde accepisse sedem *planitiem* Jordanis, ac Lotum quidem extendisse tentoria usque ad Sodomam. Cumque hæc una ex urbibus planitiei, propter flagitia *clamantia* versus coelum, igne cœlesti deleta esset, Lotus *occultavit* se in spelunca, ubi *vino somnoque sepultus* factus est pater duorum filiorum, unde infinita multitudo hominum. Hinc Lotus Homero alio nomine Ποσειδάων, *potens sui generis auctor*. Minois filius *Deucalion*, quasi Hebr. destinatus in holocaustum, verum ex isto periculo ereptus. Hunc esse filium Abrahami, Isaacum. Alio nomine Telemachum, quasi agnum mactatum vel percussum, vulneratum. Filius alter Abrahami ex pellice, Ismael, dicitur fuisse Castor, Hebr. קסא *Casat*, sagittarius, arcitenens. Gen. 21, 20. Porro Ulyssis frater major natu Homero, Ἰδομνεύς, ab Edom, rufus Esavus. Et hunc similiter vocari hic Telemachum a תלע unde תולע *thola*, ruber, coccineus, & מנח *Machas*, perfregit, ut sit ille *qui matrem vulvam perfregit*. Ludere enim Homerum nominibus, pro natura personarum. Quin imo Lotum ipsum venire sub persona Ulyssis etiam, & Abrahamum, Isaacum, Jacobum, item Mosen, a quem

c. 3.

quem

quemque suo ordine ac tempore. Fusius autem ea, quæ diximus, aliaque recensentur in sequentibus. Ac primum eruitur incendium Sodomæ ex versibus primis libri I hoc modo: conatum quidem Ulysses magna curâ, uti suam, sic amicorum animam in excidio Trojæ servare; verum nihil profecisse, etiamsi immitteret se in eos, (ἰέρμῳ,) minitans illis, ni excederent, missum iri in eos ignem. Repetuntur autem ac suppleantur hæc ex lib. 4 v. 246 seq. Σπείρα πᾶν' ἀμφ' ὤμοισι βαλὼν, οἰκῆι ἑοικῶς, quæ ita Noster transtulit: *ingressus magnam Trojanorum urbem vibrabat circumquaque, numerosas sententias ignis, qui eos liquaret, gerens se similem istorum duorum virorum, similem δέκτη, i. e. δικασῆ, judici inter eos, qui tamen non erat.* Latere enim hic iterum Hebraica observat in vocabulis Græcis, κακὰ, σπείρα, ὤμῳ. Quorum nihil omnino assequuti sint Latini interpretes: *Vilibus pannis circumjectis ad humeros, servo similis, alteri se ipsum viro assimilavit mendico.* Cæterum viros Trojanos periisse v. 7 lib. 1 αὐτῶν γὰρ ἀταθάλησι: voce iterum Hebræa, quæ verbis multiplex unum significet, execrabile facinus cum viris, תלהל - שי - ת Et is thala, Et, cum, Is, vir, Theala, execratio. Neminem enim potuisse dicere, unde nomen hoc sit derivatum, & quomodo possit existimari esse Græcum. Pœnam ipsam exprimi v. 8. 9

νήπιοι, οἱ καταβῆς ὑπερίον ἡλίοιο

ἠθιον· αὐτὰρ ὁ τοῖσιν ἀφείλατο νόστιμον ἡμᾶρ.

Noster: *fatui, qui Sole supergradiente devoraverunt illos in mares peccatores. Et abstulit idem Sol ipsis redeuntem diem.* Nomen enim καταβῆς iterum Hebraicum esse, flexum licet ad modum Græcæ vocis βῆς, compositum a תחת Cathat contundere, & שיב Bos, pudenda. Et qui se perditum eunt invicem nefanda libidine, devorare se dici, velut suo se cibo replentes, suisque deliciis. Accidisse autem Ulyssi, v. 13. ut cum se ex hac calamitate eriperet, sua uxore privaretur. Hanc ait esse historiam illam Loti, Gen. 19. cui objectum sit similiter v. 9. quod indefinenter agat *judicem*, quique uxore sua in incendio Sodomæ orbatus sit. Eandem historiam recurrere in Odyssæa pariter & Iliade, quæ singula hic non persequimur. Historiam Loti concumbentis cum filiabus in spelunca montis, unde nati Moabitæ & Ammonitæ, Gen. 19, 30. seqq. de-

c. 4.

c. 5.

prehendit Cl. Crœsius eodem libro I Odyssææ, ubi Ulysses detinet v. 14. 15 nymp̄ha Calypso in specubus cavis, cupiens eum sibi esse maritum, i. e. ut faceret sibi, quæ maritus uxori. Cum hac nymp̄ha conjungi v. 71 & postea in universo opere *Θόωσαν*, aliam nymp̄ham, quæ Ulyssi mixta in specubus cavis peperit ei Cyclopem Polyphemum, filia Phorcynis, regis Maris mortui, ipsius scilicet Ulyssis. Sic igitur exponit Homerum v. 22 seqq. Ulysses seu Lotum non omnino accessisse Æthiopus longe semotos, ultimos virorum, Occidentales & Orientales, sed dum in specubus illis cavis habitaret, sua ebrietate ac vino eo accessisse, uti saltu protulerit genueritque duos populos montanos & feros, alteros Occidentales, alteros Orientales. Nam *μετεκίαθε* esse a *μέθη* ebrietas & a *κίεν* saltu proferre. Æthiopes in Scriptura esse Cufim, homines facie a Sole adusta, ab *αἰθω* & *ὄψις*. Habitare autem Ammonitas & Moabitas loca montana, Sodomæ veteri ultra mare mortuum finitima; illos versus Orientem, hos versus Occidentem. Appellari *τηλοθέοντας*, *feros*, *ἐχάτας ἀνδρῶν*, viros ortos e duabus sororibus, ab *ψιν* vir, & *μητην* Achaot, sorores. Fuisse eos *δυσομφῶς*, ex terra Gigantum, omnia conterentium, a *ψιν* Dous, terere, & *εμιν* Emim, Gigantes. Deut. 2, 10. 11. 20. Cumque Moabitarum & Ammonitarum termini fuerint montes Abarim & fluvius Arnon, Num. 21, 11. 13. & 22, 36. eosdem terminos his nominibus etiam Homerum signare, ut notet, utrumque populum unam suorum sacrorum communitatem habuisse, v. 25. *ἀντιόων ταύρων τε καὶ ἀρειῶν ἑκατόμβης*. Abirim enim Hebr. esse *ταύρος*, & *δρῶν* Hebr. nomen fluvii. Porro Deum verum, (non omnino Neptunum,) ex eo tempore infestum Ulyssi, non occidisse eum quidem, tamen abegisse a patria in viam erraticam, v. 75. Ac *συγχρητισμὸν* Abrahami & Loti diu postea commemorari ab Homero Lib. 3. v. 304. & Lib. 5. v. 520. Imo toties eum fere exprimere & repetere hanc historiam, quoties referat in hoc opere concubitus hominum furtivum, maxime lib. 5. Redit ad Historiam Abrahami Cl. Auctor, ostenditque, multa occurrere apud Homerum, quæ a Mose descripta sint Gen. 15, 1-5. 16, 1. seqq. 17, 16. 18, 10. 14. 21, 10. 14. Mitti nimirum a supremo Deo Jove *Ἀθήνην*, Minervam, Archangelum, (qui Jovem nominet suum parentem; assertor, qui alicui sit clypei instar ac multa merces, *γλαυκῶπις Ἀθήνη*)

c. 6.

p. 286.

vñ) ad Ulyssē, Abrahamum, & Nympham εὐπλόκαμον Saram, in Ithacam, *ut ei excitet filium*. Lib. 1. v. 88. Excipi autē ceu charum & Jove genitum hospitem honorifice, v. 120. Et hinc ortum inter gentiles, quod homines antiqui propter justitiam suam fuerint θεοῖς ξένοι, qui illos hospitio exceperint. Pausaniam hoc sumpsisse e verbis Homeri Odyss. L. 7. v. 203. Minervam porro interrogatam a Telemacho, ut sibi dicat, quæ vere sit, respondere v. 179, & iterum v. 418: Μέντης ἀγχιάλοιο δαΐφρονος υἱός. Nomen Μέντης Hebraicum esse, notans, *qui vere est, fuit atque erit*: filium δαΐφρονος, Hebr. ejus, qui fructuosum reddit ac fœcundat: Ἀγχιάλον, eodem nomen Hebr. ac Dei singulare, *qui juret per se*. Abrahamum describi v. 189. seqq. ceu senem incurvum, humi repentem, nomine Laertis herois, qui moleste ferat, *quod sit sine liberis*: cujus uxor ἀμφίπολος, vetula, multa caligatione oculorum laborans. Et hanc habuisse ancillam Eurycleam, quæ & Penelope hic vocatur, uxorem secundariam, Hagarem nimirum, matrem Ismaelis, sive Telemachi. Homerum noluisse rem dicere aperte, neque illum vocare filium non legitimum, docere tamen, notam inesse aliquam, Lib. 2. v. 36. Euryclea Homero etiam appellatur Ἠγήτωρ, μέντης ταφίων Lib. 1. v. 105. Videturque Nostro Ἠγήτωρ esse Ἠγηρ, (infertis duabus literis, ne nimis manifesta esset locutio poetæ, suas res occultantis,) Hebr. Hagar, a peregrinando. Μέντης Hebr. h. l. *nutrix*. Taphii, (Hebr. a rapiendo) Ismaelitæ, Arabes, alibi Hagerim in sacris, 1. Chron. 5, 20. Cumque Antinous illam e domo ejiciendam urgeret, durum id visum Telemacho, L. 2. v. 130. Respicere autem Homerum ad legem Hebræorum, de dimittenda uxore secundaria, & de danda portione filio uxoris repudiatæ. Exod. 21. & Deuter. 21. Tandem discedere Telemachum cum matre, *non absque consilio Dei*, datisque ei amphoris vino plenis duodecim, & utribus viginti farinae. L. 2. v. 371. Bellum porro Abrahami adversus Regem Helami Cedor-Laomor, ejusque socios Gen. 14. perspicue recenseri ab Homero L. 3. proficitur Noster, atque in primis historiam Melchisedeci. Dicit enim Nestor v. 278. seqq. se & suos venisse ad Σύνιον Ἴερον ἀνερν Ἀθηνῶν, *ad hospitalem supremum Sacerdotum fortissimorum*. Σύνιον enim Autori nostro est h. l. a סוּנָא Souna, hospes, qui cibum & alimentum præbet. Ibi ergo ait Nestor φοῖβος Ἀπόλλων κατέπεφνε με-

C. 7.

νελάσ κίβερνήτην ἀγαυοῖσι βέλεοσι, *Sacerdos auguste sancteque
 colendus fecit respirare Menelai sodalitium nutans ac delassatum
 a praelio, suis panibus ac pibialis vinariis.* Postremum venisse se
 Nestor ait v. 287. ad μαλειῶν ὄρεθ, ubi notentur decimæ, quas Abra-
 hamus obtulit Melchisedeco: nam מִלְחָמָה *Miluum* esse oblationes,
 consecrationes. Sed & ex εὐλογία ejusdem Gen. 14, 9. sumptum
 esse, quod Homero Deus vocatur Ζεὺς αἰγίοχος v. 42. & Ποσει-
 δάων γαίης, v. 55. *excelsus possessor cæli atque terræ, Deus in
 se sufficiens.* Spirare ergo in oratione Poetæ sermonem Sacræ
 Scripturæ. Et huic Deo esse sacrificatum, ἐνοσίχθονι κυανοχαίτη,
 v. 6. *punienti peccata, & nihilominus gratioso, ac condonanti pec-
 catoribus.* Repetita enim hæc esse e verbis ipsius Dei, Exod. 34, 6. 7.
 C. 8. Dignum nunc est videre, quid de immolatione Isaaci apud Home-
 rum repererit Cl. Autor. Ubi notat primum, Abrahamum rem tan-
 tam filio non nisi sensim ac tractim insinuassee potius quam mani-
 festassee: *Deus ipse sibi prospiciet de agno ad holocaustum,* Gen. 22, 8.
 Sic apud Homerum Minervam ad Nestorem, cum jam sacrificium
 Deo omnipotenti faciendum esset, dixisse, τοῖο γὰρ ὄρεθ, *pro ὄρεθ, ad-
 est enim tanti, omnipotentis, provisio.* Lib. 3. v. 334. Tecte iterum
 Minervam dicere, se velle mane ire ad καύκωνας magnanimos, ubi
 sibi χρεῖσθαι debeat neque νέον neque ὀλίγον, *ad principes sacerdo-
 tes holocausti, ubi sacrificium sibi debeat, neq; juvenile neq; infan-
 tile.* v. 367. Hic cum filium Ulyssis Telemachum peti intelligeret
 Nestor, stupor equidem invasit omnes, v. 371. statim tamen illum (i. e.
 agnum mactandum h. l.) manu apprehendit, hortaturque, ut jam
 nunc haut ignavus sit neque imbellis: Deos enim illum comitari.
 Actutum vero Nestor orat Minervam, ut sibi propitia sit, & largia-
 tur pro Telemacho sacrificare bovem legitimam, indomitam, quam
 nemo vir jugo subdiderit, h. e. juvencam optimam, v. 373 - 383. Et
 hanc esse dicit Noster expressionem poetæ ad verba Scripturæ,
 Num. 19, 2. & Deut. 33, 17. Atque audivisse in hoc Minervam se-
 nem illum, effusasque deinde d'ras devotioni debitas super hostiam
 bovis jugulationi destinatam. Describi hic etiam ritus agni Pa-
 schalis mactandi & comedendi a tota quaque familia. Interea
 vero Telemachum, (habitum velut mortuum,) domi a suis ablutum,
 unctum & induisio pulchro tunicaque fuisse indutum, v. 437 - 468.

secundum morem pollincturæ. Sed sistendum hic. Jamdudum enim excitatum in animis Lectorum arbitramur desiderium videndi tum reliquas in Opera Homeri meditationes, quas se ait habere confectas, tum alia scripta Cl. Crœsii, quæ p. 6. 84. 147 promittuntur.

THESAURUS ANTIQUITATUM GRÆCARUM
contextus & designatus ab JACOBO GRONOVIO.
Volumen Nonum & Decimum.

Lugduni Batavorum, apud P. van der Aa, 1701, fol.

Vol. IX constat Alphab. 8, plag. 21.

- X -- Alphab. 10, plag. 16.

SERIES Scriptorum, quæ in nono Volumine inveniuntur, hæc est:
Jani Cornarii, Medici Physici Zwiccaviensis, *de Conviviis veterum Græcorum libellus*, pag. 1. Andreae Baccii *de Conviviis antiquorum, deque solenni in eis Vinorum usu, atque ritu Cœnarum sumptuosissimo, libri quinque*, pag. 21. Jo. Baptistæ Cafalii *de Tricliniis, Conviviis, Hospitalitate & Tesseris veterum exercitatio*, cum figuris, p. 121. Josephi Laurentii *opuscula de Conviviis, Hospitalitate, Tesseris & Strenis*, p. 161. Jacobi Sponii *de origine Strenarum dissertatio epistolica, historico-moralis*, p. 205. Jacobi Philippi Tomasini *de Tesseris Hospitalitatis liber singularis, in quo jus Hospitii universum, apud veteres potissimum, expenditur. Accedunt quedam ex Ant. Augustino, & Jo. Chifletio, ad majorem illustrationem hinc inde inserta*, cum figuris, p. 213. Josephi Laurentii *de Prandio & Cœna veterum, ac de aliis ad eadem spectantibus, miscellanea*, p. 285. Petri Castellani ΚΡΕΩΦΑΓΙΑ, *sive de esu carniū libri IV*, p. 353. Hieronymi Mercurialis *de Potionibus ac Eduliis antiquorum mantissa*, p. 465. Joannis Freinshemii *dissertatiuncula de Calidæ Potu*, p. 493. Adriani Turnebi *de Vino ac ejus usu & abusu libellus*, p. 517. Jo. Henr. Meibomii *de Cervisiis veterum, potibusque & ebriaminibus extra vinum aliis commentarius*, pag. 537. Jo. Baptistæ Cafalii *de Thermis & Balneis veterum tractatio*, cum figuris, p. 633. Petri Servii *de Odoribus dissertatio philologica*, p. 645. Lazari Bayfii *de Vasculis libellus, sive animadversiones in tractatum de Auro & Argento legato*, cum fi.

guris, p. 677. Pomponii Gaurici *de Sculptura, sive Statuaria li-*
ber, p. 725. Ludovici Demontiosii *commentarius de Sculptura, Ce-*
latura gemmarum, Sculptura & Pictura antiquorum, libri duo,
 p. 777. Aldus Manutius Pauli Fil. *de Calatura & Pictura veterum*,
 p. 803. Philostratus *de Pictura*, p. 807. Julii Cæsaris Bulengeri
de Pictura, Plastica, Statuaria libri duo, p. 809. Jo. Baptistæ Ca-
 salii *de Insignibus, Anulis, Fibulis, &c. syntagma cum figuris*, p. 893.
 Josephi Laurentii *de re Vestiaria syntagma*, pag. 921. Otthonis
 Sperlingii *de Crepidis veterum diatribe*, p. 961. Theodori Gazæ
de Mensibus Atticis liber, ex interpretatione Jo. Perrelli, pag. 977.
 Jo. Perrelli *de ratione Lunæ Epactarum, & mensis intercalarii com-*
mentariolus, p. 1009. Petri Hagueloni *Calendarium trilingue, seu*
de Mensibus Hebræorum, Græcorum & Romanorum dialogus, ex opti-
mis quibusque auctioribus collectus, pag. 1017. Joannis Lalamantii
dissertationes tres, I. *de Tempore & ejus partibus*, II. *de Anno*
Macedonum, seu Græcorum, III. *de Anno Attico*, p. 1041. Petri
 Castellani *de Mensibus Atticis, nec non de Mensibus & Anno Græ-*
corum, Atheniensiumque diatriba, p. 1081. Samuelis Petiti *de An-*
no Attico eclogæ chronologica, p. 1109. Stephani Pighii *Themis Dea,*
seu de lege divina, p. 1137. Ejusdem *Mythologia ΕΙΣ ΤΑΣ Ω-*
ΡΑΣ, vel in anni partes, ex symbolis antiqui cujusdam toreu-
 matis argentei, quod extat apud Rev. D. Antonium Perrenotum,
 Episcopum Atrebatensem, cum figuris, p. 1185. Jacobi Usserii *de*
Macedonum & Asianorum Anno Solari dissertatio, cum Græcorum
Astronomorum parapegmate, ad Macedonici & Juliani anni ra-
tiones accommodato, p. 1205. Josephi Laurentii *de Annis, Mensi-*
bus, Diebus, Horis, &c. tractatio, p. 1269. Phlegontis Tralliani
de Olympiis fragmentum, cum Latina interpretatione & notis Jo.
 Meursii, p. 1289. Erycii Puteani *Olympiades, sola manu, ut vere an-*
nis mundi respondent, computate, p. 1297. Joannis Meursii *De-*
narius Pythagoricus, sive de numerorum, usque ad denarium,
 qualitate ac nominibus, secundum Pythagoricos, liber singularis,
 p. 1329. Joachimi Camerarii *historia rei Nummaria, sive de Nu-*
 mismatis Græcis & Latinis, p. 1401. Leonhardi Porcii *de re Pecuni-*
aria antiquorum, & de eorundem Ponderibus, Mensuris, Sti-
pendiis militaribus &c. libri duo, p. 1433. Josephi Scaligeri, Jul.

Cæs. F. *de re Nummaria antiquorum dissertatio, liber postumus.*

Ex Bibliotheca Academiae Lugd. Bat. p. 1493. Willebrordi Snellii

R. F. *de re Nummaria, liber singularis*, p. 1549. Caroli Patini *de*

Numismate antiquo Augusti, & Platonis epistola, p. 1589. Seba-

stiani Fæschii *de Numo Pylemenis Evergetæ, Regis Paphlagoniæ*
epistola, pag. 1601.

In præfatione pro more adnotat loca, vel perperam citata, vel non satis intellecta, hocque adeo nomine varia doctrinæ & antiquitatis capita illustrat, & de Græciæ monumentis optime meretur. Inter alia ista Philonis *de plantatione Noæ* verba: *περὸσΦέρειν τοῖς οἰνοχορμένοις κελύουοντες*, quæ a Freinshemio de *Calidæ Potu* cap. I, §. 1 citantur, explicat, affirmatque, *περὸσΦέρειν τοῖς οἰνοχορμένοις* dici convivas, qui os & labia componant ad ea, quæ infusa sunt, haurienda, atque adeo admoveant vel calici vel patinæ, ut inde gustent, ac vescantur. Hinc conficit, Jo. Freinshemium minus idoneam interpretandi rationem secutum esse, quando *οἰνοχορμένης* *pincernas* convertit. Quod ad Laurentii schediasma *de Medicis ac Balneis antiquorum* attinet, monet verba de Antonio Musa, quæ exhibentur col. 625, non esse Dionysii Halicarnassæi, sed Dionis Cassii Coccejani ex libro LIII, pag. 517. Eadem scribendi levitate factum esse, ut in schediasmate de *Re Vestiaria* col. 944: loco Justinii de *Lysimacho & Leone* præscripserit Suetonium. Eodem errore ductus est Jo. Bapt. Casalius *de Insignibus, Anulis, Fibulis*, qui col. 898 Hirtii verbis de *Scipione Africano* agi putat, cum intelligatur *focer Pompeji*. Non minus in Pighii *Themide* col. 1154 prave legitur: *verum D. Lactantius Uranum Latine Cælestum interpretatur*; quum respiciat ad verba capitis XI lib. I de falsa religione: *Jupiter in eo loco suspexit in cælum, quod nominatur Ουρανός*. Id vero admodum juvenile videtur, quod Ludovicus Demontiosius *de Sculptura* col. 784 pronunciavit, *Bruto nempe, qui Reges expulit, statuam positam non fuisse*. Aliter enim Suetonium in *Jul. cap. 80* tradidisse, his usum verbis: *Subscripsere quidam L. Bruti statuæ, utinam viveres!* Non minus rejicit, quæ paulo ante citatus Pighius col. 1168 scribit: *Itaque Veneri sacer pecten est, quem idcirco Cytheriacum appellat Naso Poeta de Salmaci canens: Sape Cytheriaco deducit pectine crines;*
quum

quum in loco illo jamdudum ediderint *Cytoriaco*, & nimis esset confusum, ut quod Themidi proprium symbolum datum fuit, tamen diceretur Venerium. Imo vero rem sponte loqui, & Cytorum montem rasile buxum suum pectinibus faciendis approbavisse etiam per ipsos Poetas.

Volumen decimum uberem ingeniorum copiam & varias exercitiorum amoenitates recenset, cujus scripta hoc se ordine excipiunt: Ludovici Cresollii *Theatrum veterum Rhetorum, Oratorum, Declamatorum, quos in Græcia nominabant ΣΟΦΙΣΤΑΣ, expositum libris V, p. 1.* Diligenter hoc opus in præfatione celeberrimus Gronovius persequitur, variosque nævos indicat, e. g. quod col. 204. scribat, Apollonii sectatores in Græcia nominatos fuisse *Απολλωνίς ἠκίας*, cum legendum sit *Απολλωνίς σκιάς*. Origenis *PHILO - ΣΟΦΗΟΤΜΕΝΩΝ fragmentum*, quod ex bibliotheca Medicea descripsit, ac notis illustravit Jacobus Gronovius, *Græce & Latine*, p. 249. Meminerunt jam pridem hujus opusculi viri clarissimi, Lucas Holstenius, Joannes Pearsonus, Ægidius Menagius, (qui partibus inde petitis observationes suas ad Diogenem auxit) & Petrus Daniel Huetius. Id solummodo interest, quod Menagius & Huetius non ipsi Origeni, sed alii potius sub Origenis nomine latenti tribuant. Quos proinde Gronovius confutat, ac imprimis Huetii objectionibus respondet. Descripsit vero Gronovius ex codice, chartaceo illo quidem, at auro pretiosiore, quippe unico, in quo emendatissimum sit Arriani *Αναβάσεως* Alexandri Magni exemplar, eadem manu scriptum, & unde Gronovius olim egregia illa ejus Scriptoris supplementa, & nuperrime opus integrum edidit. Præterea eum ipsum codicem esse ait, in quo Hieroclis ad aurea Pythagoræ Carmina eruditissimus commentarius tam integer & inviolatus exhibetur, ut non aliunde æque, ac ex hoc ipso volumine, colligi possit, quam maculosi codices ab typographis nostris, ad multiplicanda exemplaria usurpati fuerint. Dividit Origenes in hoc fragmento Philosophos in quatuor classes, Physicos, Ethicos, Dialecticos, Barbaros, id est Brachmanes & Druidas, singulorumque opiniones refert, & refutat. Sequuntur hunc libellum Guilielmi Morellii *de veterum Philosophorum origine, successione, ætate & doctrina tabula compendiosa, cum Hieronymi Wolffii annotationibus*, p. 293. Davidis

Chytræi *Tabula Philosophica, sive series Philosophorum, & sectæ eorum præcipuæ, a Thalete & Socrate imprimis, usque ad Cicero- nem deducta*, p. 346. Desiderii Jacotii *de Philosophorum doctrina libellus*, p. 349. Joannis Meursii *Æschylus, Sophocles, Euripides, sive de Tragædiis eorum libri tres*, nunc ex ipsius Auctoris chiro- grapho aucti, p. 393. De Æschylo Meursii tradit, multa ex ipso de- cerpsisse Thomam Stanlejum, imo integras fere paginas 638, 639, 640, 641, 642, 643, 644, 645, deberi huic opusculo, quod tamen maluerit Stanlejus lectori permittere ad cogitandum, quam ipse confiteri. Plutarchi *Alexandrina Proverbia Græca*, ex Bibliothe- ca Medicea, cum interpretatione Latina Jacobi Gronovii, nondum antehac edita, extant in præfatione, pag. 6 seqq. Descripsit hæc Pro- verbia, beneficio Illustris Magliabequii, Clarissimus Gronovii nostri Frater, eaque digna judicavit Noster, quæ huic Thesauro infereret. Extant nonnulla ex Proverbiis apud Erasmus citatis (is enim alle- gat Plutarchi Collectanea, sicut quoque duo Adagiorum libri inter amissa Plutarchi opera referuntur) in hoc libello; quamvis Erasmo ad manum videatur fuisse aliquid auctius, quum ex illis Plutarchi collectaneis etiam ab eo citetur, quod in hoc numero non depre- hendes. Sunt eorum CXXXI, & his verbis finiuntur: Πλατάρ- χης παροιμίαι, αἷς Ἀλεξανδροῖς ἐχεῶντο; quanquam Gronovio non ipse Plutarchus, aut certe non solus ea collegisse videatur. Joannis Meursii *Theseus, sive de ejus vita rebusque præclarissime gestis, liber singularis*, pag. 465. Raphaelis Tricheti du Fresne *Epistola de Charonde effigie in Catanensi nummo expressa, apud Petrum Seguinum in nummo argenteo*, pag. 569. Joannis Meur- sii *Dionysius, sive de Auctoribus istius nominis, eorumque scriptis, liber singularis, & nunc primum ex chirographo Auctoris editus*, p. 577. Ejusdem *de Heraclide, aliisque ejus nominis & eorum operibus dissertatio*, nunc primum ex chirographo Auctoris edita, p. 605. Ejusdem *Theophrastus, sive de illius libris, qui injuria temporis interciderunt, liber singularis*, pag. 621. Ejusdem *Lectio- nes Theophrastæ*, in quibus eorum librorum, qui supersunt, loca aliquot emendantur, p. 647. Accedit Adolphi Vorstii epistola de obitu V. C. Jo. Meursii ad filium ejus Joannem, juvenem præstan- tissimum, ut & Epitaphia in ejusdem mortem per A. Buchellium,

& Nicolaum Heinsium, p. 654. *Manus Aeneae Cecropii votum referentis dilucidatio; Auctore Jacobo Philippo Tomafino, cum figuris, p. 657.* Octavii Falconerii *de numo Apamensi, Deucalionis diluvii typum exhibente, dissertatio, pag. 672.* Georgii Schubarti *enarratio parergica metamorphoseos Ovidiana de Diluvio Deucalionis, p. 701.* Tanaquilli Fabri *vita Poetarum Graecorum, ex Gallico idiomate in Latinum translata, p. 740.* De Latina vitarum harum versione ita censet, non in scite modo a Gallicis Latina recedere, sed naevos quoque Tan. Fabri studiis indignos, & historiam ac rem ipsam violantes, occurrere. Josephi Barberii *de miseria Poetarum Graecorum liber, p. 797.* Petri Castellani *vita veterum & illustrium Medicorum, qui toto orbe usque ad Seculum XIII floruerunt, p. 853.* Jo. Henrici Boecleri *de Scriptoribus Graecis & Latinis, ab Homero ad initium seculi post Christum natum decimi sexti, commentatio, pag. 905.* Helladii Besantinoi *Chrestomathiae: Graece, cum interpretatione Latina & notis Joannis Meursii, p. 949.* In his notis col. 952 f. extat operosissima operum Callimachi enumeratio, quam in editione Callimachi, quae ante aliquot annos prodiit, repetitam esse ideo aegre fert, quod Meursii nomen suppressum, hocque adeo modo industriae Meursianae nonnulla illata fuerit injuria. Joannis a Wower *de Polymathia: tractatio: integri operis de studiis veterum ἀποσπασμάτων, cum praefatione Jacobi Thomasi; accesserunt praeterea Auctoris vita & elogia in Polymathiam, item tabella Synoptica, p. 985.* Josephi Laurentii *de Professoribus, Oratoribus, Nomenclatoribus & literis collectio, p. 1161.* Jo. Meursii *Bibliotheca Graeca libri tres, ex chirographo Auctoris nunc primum editi, p. 1181.* Ejusdem *Bibliotheca Attica, sive de antiquis Atticis scriptoribus, eorumque item operibus, libri IX, ex chirographo Auctoris nunc primum editi, pag. 1393.* Leonis Allatii *de Patria Homeri liber, cum figuris, p. 1553.* Ejusdem *Homeri natales, cum interpretatione Latina Andrea Bajani.*

MENSIS FEBRUARII A. MDCCV. 91
A CONFERENCE WITH A THEIST &c.

h. e.

COLLATIO CUM THEISTA, CONCERNENS
doctrinam de Animorum Immortalitate. Pars V. Autore,
GULIELMO NICHOLLS, S. Theo-
log. Doct.

Londini, apud Thomam Bennet, 1703, in 8. plagg. 18.

PUtabat Vir Clarissimus, postquam quatuor voluminibus in Actis nostris A. XCVI p. 537, XCVII p. 367, Supplem. T. II p. 273, & A. DCC p. 325 non negligenter recensitis, Religionis revelatæ fundamenta adversus profanos homines defendisset, vacationem sibi haud immerito ab ejus generis labore deberi, cum editis *posterioribus de animorum immortalitate cogitationibus*, nescio quis, (*Estibium enim Psyschaletbam* appellat ipse) denuo zelum ejus provocaret. Ejus itaque cavillationibus Dialogo, quem hic instituit, satisfaciendum sibi esse putavit, quo Estibium ipsis verbis paulo ante nominati libri suam, Credentium vero & Philologum veritatis causam agentes, nobis sistit. Initium facit huic disputationi a confutatione persuasionis Estibii, quasi periculo careat hic error suus, si error sit, de animis una cum corpore extinguendis, quandoquidem restituenda corpora animata in extrema die esse concedat, & explodendis illis, quas Estibius allegavit, creditæ a plerisque mortalium immortalitatis causis, quas educationem, & emolumenta, quibus sacrorum inhient antistites, ille esse existimaverat. Inde ad ipsa argumenta progreditur: quorum primum Estibius desumerat a dissensu Philosophorum circa spirituales & immortales animorum naturam, qui cum nihil nos doceant de animo certi, hoc visum exploratissimum primo fuerat Estibio, animum accidens esse, non substantiam, & quidem nihil aliud quam motum in materia feminali cum sensu conjunctum. Quem conceptum tamen Noster vel hoc uno absurditatis revinci putat, quod hac ratione Adamum tantundem vitæ & motus habuisse necesse sit, quam omnes una mortales, quandoquidem ab eo ceteri omnes fuerint derivati, nihil vero plus, quam ipsum habeat, motus cum altero possit communicare. Quin & motum cum sensatione concipere

sibi non minus difficile videri, quam viridem motum concipere vel amarum. Inde definitionem animæ ab Estibio allatam, quod sit afflatus, materiæ in creatione Divinitus infusus, examinat, & ex ipsa narratione Mosis, ad quam respicere illa videtur, probat, distinctam toto genere animam a materia esse. Cumque porro Estibius multum inservire hypothese suæ posse existimaverit, si evincere possit, bruta animantia ratione gaudere, eam sententiam diligenter impugnat Noster. Utque difficile imprimis solertiæ quorundam animalium, barrorum, equorum, canum solvat phænomenon, non a ratione brutorum, sed ratione Dei hoc esse ait; quod quantum abludat ab eorum sententiâ, qui Deum tanquam Spiritum universi sibi concipiunt, viderit doctissimus Autor Meditationum de Cometis, cui nuper multorum Philosophorum sapientiam suspectam reddidere ejus generis lemmata. Sed præcipua in eo versatur controversia, an pura pura machina homo sit, mechanicæque eas, quas menti vulgo tribuimus, operationes producat. Negativam sententiam istas potissimum considerationes evincere, Autor arbitratur. Quod certum sit, cogitationem sine mechanico motu dari in Deo, quodque aliquam organorum mechanicorum constructionem atque combinationem cogitationem producere, nullo argumento, nullo modo possit ostendi. Sed tamen adeo a motu sanguinis & animalium spirituum pendere in operationibus suis animam, ait Estibius, ut sibi vel ob hanc causam ejus immaterialitatem & immortalitatem nequeat persuadere: cui id imprimis opponit Noster, quod anima non sit tale agens, quod omnia in materiam possit, quodque adeo instrumento corrupto, non mirum sit, minus expedite suum ei procedere opus. Interea tamen ne in iis quidem, quorum corruptissimum cum spiritibus animalibus cerebrum, furiosis & mente captis, omne perire mentis rationalis indicium, argumento evidenti, illud a materia non pendere penitus. Quod facile separari adeo mens a corpore possit, materialitatem ejus non probare; nam istam rem legibus conjunctionis a Creatore sancitis esse tribuendam, & destructum instrumentum, tanquam sibi inutile, deserere animam. Nec esse, quod hic opponatur difficultas expellendi spiritum malum e corpore hominis obsessi; ejus enim in illo perseverantiam pendere,

sub

sub directione Dei, a voluntate spiritus illius, nec esse eandem conjunctionis animæ cum corpore, quæ ab arbitrio illius non pendeat, sed recta corporis constitutione, rationem. Quod incrementa capiunt per varias ætates animæ vires & potentiæ, materialis naturæ argumentum non esse: nam illa mentis incrementa, corporis haut deberi extensioni per illas ætates crescenti, vel hoc evincere, quod optima mens non sit ea semper, quæ maximam corporis molem animat, adeoque a cultura illa esse mentis, & educatione, atque experientia, quæ uno momento perfici non queat. Sed si immaterialis est anima, quam rationem reddemus stuporis in illis, agilitatis in aliis hominibus? quam a materiæ temperie optime Estibius derivari posse credit. Ipsas itaque mentes, in primis originibus suis, majores minoresque sortiri perfectiones, & rationibus & Scripturæ testimoniis firmat Autor, imo & instrumenti perfectionem, hoc est corporis hujus temperiem, aliquid huc conferre posse; unde tamen non magis possit probari, animam esse materialem, quam aerem esse ejus naturæ, cujus est tibia quam inflat, eo quod motum & sonum aeris aliquo modo ab hujus structura pendere, manifestum sit. Quod vero porro urgetur, magis rationi convenientem esse mortalitatem animæ & materialitatem, eo quod facilius concipiatur; in eo & hoc negatur, quod rationi maxime conveniens semper sit, quod facillime concipitur, & quod facilius concipiatur mortalitas animæ quam vita perennis: at cum disputatio de istorum posteriori non dissimilis sit disputationi de gustibus, priori forsan optime inhæreas, & Autor quoque illud imprimis urgere videtur. Non opus vero, ut prolixi simus in iis commemorandis, quæ reponit Estibio urgenti, quod doctrinæ de interitu animæ, ut ab ipso proponitur, moraliter non sit turpis, quodque contra, superstitionis pro mortuis precibus, & doctrinæ de purgatorio fundamenta substernat, quæ obtinuit de animæ immortalitate sententia. Certe enim ubi de rei simpliciter veritate instituitur quæstio, supersedere poterunt disputantes illarum quæstionum utraque, & posteriori imprimis facile vel mediocriter sapientes respondere, non erat difficile. Nec magis merebatur responsionem argumentum, quod impossibile non sit, animam interire atque redire, cum hic de eo, quod evenit, non vero de eo, quod evenire

potest, sit quaestio. Quod vero sententiam, immortalitatem defendentem, in multis parum apte cohærere Estibius arguit, in eo non male industriam Cl. Autor locavit. Quod ex immaterialitate immortalitas non recte inferatur, concedit; nam & brutis animalibus immateriale principium largiendum esse existimat, quibus tamen immortalitatem vindicare non audet; at ex fine creationis humanoque animo, qui idem persistat semper, continuationem quoque conservationis eorum inferendam putat. Sed quid si argumento illo, ad mundi totius durationem æternam demonstrandam, cum Platonicis aliisque Philosophis aliquis utatur? Animam, quæ ne in vita quidem semper cogitet, ad iudicii usque diem cogitandi suspendere actum, atque adeo ad tempus non vivere, non absurdum visum Estibio; at præsuppositum negat cum Cartesio Noster. Difficultates circa unionem spiritus & corporis motas ita solvit, ut dicat esse unionem actionis & passionis, animumque corpori præsentem esse per suam ἐνέργειαν. Ex eo, quod Hebraica vox **נפש** vitam significat in sacris literis, non sequi, animam esse materialem; eam enim vocis notionem ceteras, & hanc imprimis, qua mentem designat, non excludere; idque eo firmatur, quod omnia naturæ spiritualis & cogitantis attributa **רוח נפש** in sacris adscribantur. Immortalitatem in Scripturis tribui animæ, temerario ausu negari; contrarium enim ex Eccl. XII, 7. Matth. X, 28. Luc. XXIII, 43. 2. Cor. V, 6. Apoc. XIV, 13. 1. Corinth. V, 23. patere Ludicrum plane esse, quod ex eo, quod Salvator mortuos excitans, *redi anima in corpus tuum*, dixerit nunquam, argumentatio instituat, sed *surge juvenis &c.* Hoc enim, inquit Autor, est postulare, ut omnia dixerit Servator, quæ dici poterant; voluisse autem eum voce *surge* potestatem indicare suam, mortuis vitam restituendi. Quod animæ superstites non appareant, id quod nunquam fieri absolum visum Estibio nisi extinguerentur, inde esse quod certis legibus sint in statu separationis adstrictæ animæ imo apparere quandoque, fide dignorum hominum testari narrationes. Argumentum ex historia lapsus sumtum, quæ doceat per peccatum mortalem factum hominem totum, adeoque & animam ejus, solvitur distinctione inter mortem spirituales, qua fit amissio vitæ divinæ, & physicam; hanc corporis, animi esse

illam. Quod dicitur, poenam vero non esse mortem corporis, qua anima ærumnis illius liberetur; id valere de reſtitutis per Chriſtum conceditur, non vero de impiis, quibus per mortem hujus vitæ detrahantur ſolatia, graviffimis & inſolabilibus malis inde ſuccedentibus. Nec ex doctrina de animæ immortalitate ſequi, corpus, quod hac ratione in ſe ſpectatum pro mole materiæ ignava, vitæ ac ſenſus experte, habeatur, adeoque in peccati partes venire nequeat, injuſte poſt reſurrectionem puniri; proprie enim corpus poenas non ſentire, ſed animam puniri per corpus, per quod etiam peccaverat. Quod Apoſtolus ait, in extrema die ſuperſtites mutandos eſſe, ita cum animorum immortalitate eſſe conciliandum, ut non quoad immortalitatem, ſed quoad ceteras qualitates, & relationes inprimis ad hoc corpus, mutandæ eſſe dicantur. Nec abſonum eſſe, animæ ſuperſtiti felicitatem adſcribere, ejusque conſummationem in extremam diem differri dicere. Nec inde ſequi, duplex judicium eſſe admittendum: bonas enim animas, quæ influxu gratioſo bonitatis divinæ, & expectatione manifeſtandæ penitus gloriæ, beatæ ſint, nullo peculiari diſcretionis judicio opus habere, ante ſolennem iſtum nobis præfixum diem: ſimilemque impiorum etiam eſſe rationem. Redemptionem vero Chriſti, quæ totum hominem concernit, animæ immortalitati non obſtare; eam enim a morte ſpirituali, ut corpus a phyſica, liberatam fuiſſe. Loca Scripturæ, quæ renovationem animæ ad diem judicii differunt, centies explicata fuiſſe & vindicata. Novam denique non eſſe illam doctrinam, quod Eſtibiſius urſerat. Apud Græcos enim, diu ante Platonem & Thaletem, eam viguiſſe, ex Homero patere; Senecam Ep. CXVII apud omnes gentes eam receptam eſſe agnoſcere, quod inductione quadam facta oſtenditur, indeque concluditur, in iſtis incunabulis generis humani eam traditam fuiſſe, quæ alias late adeo non potuiſſet propagari. Inprimis vero Judæos hanc doctrinam ſemper tenuiſſe, contra Eſtibiſii cavillationes defenditur, diſputationibusque finis gravibus quibusdam monitis imponitur.

Vidimus non ita pridem articulum novi Operis, quo, ut in his Actis libri nuper editi recensentur, ita in vicina Academia Jenensi librorum veterum selectissimi protrahentur in lucem, & ex iis Excerpta luculenta exhibebuntur. *Bibliotheca Antiquæ* nomen præferet, & per mensium intervalla publicabitur; quemadmodum jam primum illius segmentum mense hujus anni Januario publici juris factum fuit. Specimen rei a Paulo Colomesio in *Bibliotheca Selecta* dudum fuisse editum, in Actis nostris A. 1684 p. 313 sqq. memoratum a nobis meminimus. Neque ignoramus, simile quid anno 1702 tentatum fuisse Parisiis, mense illius anni Julio publicari cœpto & post continuato libello: *Essais de Litterature pour la Connoissance des Livres*; qui & Hagæ Comitum, sed additis subinde Viri docti alterius censuris, recusatus est. Verum cum post mensem Julium anni 1703, nihil ad nos illius opusculi pervenerit, parum abest, ut abruptum illud, quod tot aliis hujus generis scriptis accidit, arbitremur, eoque magis calcar addamus Doctissimis Bibliothecæ illius Antiquæ Collectoribus, ut institutum saluberrimum strenue prosequantur. Qua occasione non dubitamus quoque celeberrimæ Academiæ de novo incremento gratulari, quod cognovimus, non solum Historiarum Professionem, postquam per aliquot annos vacasset, tandem Eruditissimo ac Diligentissimo Viro, *Burchardo Gottelff Struvio*, & πάλιν Georgii Adami Filio, demandatam, sed in primis quoque Reverendæ Facultati Theologicæ meliorem nunc lucem affulgere, cui ornandæ deinceps Viri magnis in Rempublicam Literariam meritis Clarissimi, *Michael Förtschius*, & *Johannes Franciscus Buddeus*, hic ex Fridericiana, illæ ex Tubingensi Academia evocati, studium suum operamque impendent. Inter libros ex his regionibus expectandos, elegantiorum literarum cupidis Clarissimi Viri, *Wilhelmi Ernesti Tenzelii*, Saxonia, ut vocat, Numismatica, seu Nummophylacium Numismatum Mnemonicorum & Iconicorum, a Serenissimis Electoribus Ducibusque Saxonix cudi jussorum, indicari præcipue meretur; cujus partem primam, quæ a Duce Alberto, Albertinæ lineæ Conditore incipiet, & in Electore Augusto desinet, proximis nundinis Lipsiensibus certo nobis pollicemur. Hanc quo ordine excepturæ sint partes aliæ septem, peculiari programme ipse Auctor celeberrimus exposuit, quod apud *Philippum Wilhelmum Stockium* Bibliopolam nostratam prostat.

A C T A ERUDITORUM,

*publicata Lipsiæ
Calendis Martii, Anno MDCCV.*

MELCHIORIS LEIDEKKERI, SS. THEOL. D. & PROF.
de Republica Hebræorum Libri XII.

Amstelodami, apud Isaacum Stokmans, 1704, in fol. Alph. 9.

OMnium rerum, adeoque & studiorum esse vicissitudinem, ac proinde ut omnibus nos utiles præbeamus, serviendum non raro tempori venire, observat in Præfatione doctissimus Leidekkerus. Fuisse sane ait, cum vigerent admodum controversiæ de Religione. Inde vero Viros eruditissimos animum ad pietatis praxin in Scholis & Ecclesiis excolendam applicuisse, & simul commendasse Scripturæ Sacræ analysis & meditationem, ne quædam modo illius particulæ inspicerentur, ut fieri consueverat in controversiis, sed omnis Divini verbi œconomia perspecta haberetur. Ac cum linguarum Orientalium peritia eo maxime inferviret, Philologiæ studium Theologiæ conjunctum fuisse innuit, in quo certe Lutheranos, Hackspanium, Dilherrum, Glassium, Carpzovium, Frischmuthum, Wagenfeilium, aliosque excelluisse uti haud dissimulat, sic Reformatis quoque laudem illam cum primis deberi addit, cum nemo nesciat, Buxtorfos, patrem & filium, Hottingerum, Erpenium, l'Empereurium, Sixt. Amamam, Coccejum, Leusdenium, Lightfootum, Seldenum, & reliquos, quorum vestigiis hodie insistant Witsius, Marckius, Triglandius, Vitranga, Braunius, Hulsius, Rhenferdus. Qua de causa & suam mentem hæc studia revocasse fatetur, quippe cum ad Philologiæ sacra fontes ab adolescentia perductus fuerit, tanto quidem cum progressu, ut doctore Judæo usus, Rabbiorum scripta

legerit, quando vix annos septendecim natus fuerit. Nec unquam se intermisisse testatur linguarum Orientalium studia, dum verbi fungeretur ministerio, ac si id unum agere libuisset, hodie inter linguæ Hebrææ peritissimos se censi potuisse, nullus dubitat; sed remoram sibi injecisse causatur horridum Talmud, quo viderit tota futilia contineri, & quæ ad bonam mentem nihil sæpe proficiant. Nihil fecius necesse tandem fuisse asserit, ut Philologicis mentem magis, quam ante, appelleret. Postulasse etenim Juventutem Academicam Collegia ad Cunæum & Goodwinum, unde enatæ sint ad Majemonidis quendam tractatum observationes, quæ orbi erudito haud displicuerint. Hinc ad Cunæum nonnulla notare se constituisse, quorum specimina disputationibus quibusdam ediderit. Rogatus vero, ut quæ haberet ampliora, luci publicæ exponeret, mutato consilio Rempublicam Hebræorum describere gestiit in præsentem opere, de quo istam spem concipit, fore ut intelligat Lector, nullum extare volumen, quo tanta amplitudine Sacra & Politica Hebræorum Respublica depicta, aut Philologiæ Sacræ synopsis tradita fuerit. Ut igitur de tam illustri opere iudicium ferre liceat & iis, quibus ejus videndi aut perlustrandi copia nondum hucusque facta est, illius faciem paucis dare adumbratam juvabit.

Et libris quidem istud absolvitur duodecim, quorum *primus* de *Gentis Hebræorum sacerrima antiquitate* agit, & a nomine exorsus, cur eadem Hebræorum, Israelis, Judæorum appellatione gaudeat? disquirat. Profapiam deinde Patriarcharum ab Adamo usque ad diluvium illustrat, atque inter alia ad Sethum delatus, de ejus columnis differit. Prot-Evangelium de Semine mulieris curatius attendi jubet, idque adversus varias detorsiones vindicat, ac Messiam & salutem per ipsum consequendam istud promittere, ostendit. De diluvio, de Filiis Dei, & imprimis de Gigantibus, varia in medium affert, ac diluvium hoc fuisse universale probat. Historiam hinc Noachi & posterorum, ad turris usque Babilonicæ aram persequitur, deque ipsa turri Babilonica & linguarum confusione dispicit; istud vero, quod Judæi comminiscantur de LXX linguis, ex confusione Babelica ortis, & distributis per LXX nationes, fabulis accenset; statimque ad dispersionem gentium, & originem nationum ex tribus Noachi filiis, con-

templandam se confert, in sancta vero ex Noacho progenie, ad Abrahami usque ætatem se extendente, desinit. Heic notamus ex aliis, quæ de Cainane affert. Cainan nimirum verus ipsi ante diluvium est filius Enoschi, at falsus filius Arphaxadi, licet habeatur in Genealogia Christi apud Lucam. De eo autem dum Viri eruditi disputent, observari vult, Mosen, quando bis genealogiam Patriarcharum mox a diluvio texat, Cainanem prætermittere, idem fieri ab autore Chronicorum sero tempore post captivitatem Babyloniam, imo vero ibi Cainanem suum non interposuisse incautos & sui oblitos textus divini corruptores. In omnibus porro exemplaribus Græcis Cainanem non haberi, sed tantum in versione LXX virali, quæ multas passa corruptelas fuerit. Hinc τὸν Καϊνὰν forte in Luca primitus non fuisse, sed insertum esse deinde ab illis, qui versionem LXX Interpretum, ceu Prophetico Spiritu adornatam, ignari codicis Hebræi, nimium venerati fuerint.

Secundus liber de origine gentis Hebræorum ex Abrahamo, Isaaco & Jacobo agit, & usque ad illius statum in Ægypto sermonis telam pertexit. Postquam igitur de Abrahamo & ejus vocatione ex Ure Chaldæorum verba fecit, de Melchizedeko adversus P. Cunæum, fuisse hunc ipsum Dei Filium asserentem, late disputat. Circa foedus Dei cum Abrahamo paulisper detinetur, ast diutius tamen hæret in circumcisione sacraque illius origine. Reliquam libri partem conficiunt Ismael & Ismaelitæ, Saræ mors, Isaaci vita, Esavi item & Jacobi historia, duodecim quoque Jacobi filii, gentis Hebrææ Patriarchæ.

Varium gentis Hebræorum apud Ægyptios statum dum Libro tertio Autor sub considerationem paulo penitiorum revocare aggreditur, post prolixam satis Dissertationem præliminarem de fictitiis Ægyptiorum Dynastiis, de Ægypto primum ipsa, & mox de ejus incolis horumque negotiis quædam promit. Uti vero studium sapientiæ apud Ægyptios extollit, sic eorum vicissim superstitionem atque idololatriam taxat, & in causam odii Ægyptiorum in pastores ovium inquirat. Notatu digniora circa Josephi præfecturam in Ægypto ubi excussit, & hunc Gentilibus minime ignotum fuisse demonstravit, Hebræorum in Ægypto sedes, negotia, victum, sacra commemorat, suppeditatisque de Jacobi testa-

mento & XII Patriarcharum morte observationibus, ad statum & regimen Hebræorum Politicum in Ægypto pergit, non omiffis in super eorum conjugis, incrementis atque moribus. Afflictum de cætero eorum in ista regione statum, quidquid videatur aliis ultra CCXV annos haud durasse, innuit.

Liber *quartus miracula Divina providentia in constituenda Hebræorum Republica* enarrat, cumque Deus primum ad tanta negotia vocaverit & instruxerit Mosen, ut eo ceu instrumento suæ providentiæ uteretur, idcirco de hoc Mose ante omnia differit, & ad res sub ipso gestas delatus, de decem Ægyptiorum suppliciis, de egressu Hebræorum ex Ægypto, transitu per Mare rubrum, fontibus in Elim & de Manna, de aqua ex rupe profluente, de victoria ab Amalekitis reportata, de Politico Magistratu a Mose instituto, legibus in Sinai latis, similibusque materiis commentatur. Quin & Josuam, Mosis successorem, heic sub dictum vocat, transitumque per Jordanem describit, ac bella Josua in Cananæos tangit; ultimo vero loco, post Chronologiam peregrinationis Israeliticæ in deserto, antiquitates Gentium, earumque synchronismos cum historia Mosis & Josuæ collocat.

Quintus liber Theocratiam Hebræorum sibi præfixam gerit, legesque Moralem, Ceremonialem, Politicam, ac singularum corpora Juris spectat, hoc est, summam legum in certos titulos digestam sistit, prout hos in lege Morali Decalogus, in reliquis vero libri Mosis passim suggerunt. Peculiares autem leges quasdam paulo accuratius indagat, legem puta agrariam, legem anni Sabbatici, & legem anni Jubilæi; cujus posterioris dum meminit, simul de tempore Jubilæorum, utrum quovis XLIX an L anno celebrata sint? disquirat, & qui posterius affirmant, maximè induci argumentis autumat. Tandem prout in antecedentibus subinde ad antiquitates & synchronismos Hebræorum atque Gentium respexit; sic hoc in capite Nationum leges confert, & Josuæ, aliis deductis, contradicit, quando ille ex Mose leges Gentium profluxisse perhibet.

Ad Reipublicæ Hebræorum sedes & incolas Liber sextus pergit, cumque Deus suam Theocratiam, non variis solum legibus, sed & distributione terræ Cananææ illustriorem reddiderit, c

hac ipsa distributione per sortes facta dicere orditur, ac post Terræ Sanctæ extollit præstantiam. Civitates quoque Hebræorum uti generatim, sic primariam maxime urbem Hierosolymitanam lustrat, & cum civibus earum aliquandiu versatur, nec Profelytorum, qua justitiæ, qua domicilii seu portæ obliviscitur. Conjugia porro & divortia, Familiasque inter eos florentes, uti eorundem non minus negotia exponit, & quibus hæc reguntur, tempora, dies, hebdomadas, menses, annos metitur, & sub finem breve Kalendarium Judæis familiare subnectit.

Nullam Reipublicæ salutem esse, nisi cives suis utantur bonis, eorumque tranquilla gaudeant possessione, & quisque suo fungatur officio, spe præmiorum & metu pœnarum, Libri *septimi* initium præsupponit. Istum vero scopum cum sine *Politico Regimine* attingere haud liceat, idcirco de eodem latius differere Auctor nunc instituit. Derivat illud a primævo Magistratu, Senioribus populi, Principibus tribuum, capitibus Familiarum, Principibus civitatum, Chiliarchis, Centurionibus, Quinquagenis, Decurionibus, & eorum Ministris, qui שֹׁטְרֵי nuncupantur. His addit extraordinarios in Israele Judices, a quibus ad statum Reipublicæ reliquum, inde a morte Josuæ, ad Reges usque transit. Sed diutius circa statum sub Regibus exactum detinetur, figillatim Saulem, Davidem, Salomonem ob oculos sibi proponens, & sacrarum pariter ac civilium rerum sub istis conditionem delineans. Synedrium magnum ac minus, Domumque Judicii Triumviralem, seu Triumvirorum quoddam collegium in civitate, quæ CXX incolas non haberet, una cum Judiciis quibusdam aliis describit, & ut horum justitiam in præmiorum ac pœnarum distributione consistentem, sic jura quoque belli ac pacis examinat.

Qui supersunt quinque Libri, circa Hebræorum sacra & religionem singuli occupantur, & *octavus* quidem per *loca sacra* divagatur, Tabernaculum puta Mosis, cujus ornamenta & supellex recensentur, Templum Salomonis, cujus varia fata perpendit, & ejus cum secundo Templo comparisonem instituit, Synagogas dehinc, & tandem Excelsa atque Profeuchas. *Nonus tempora religionis sacra* notat, Sabbathum ante omnia, Neomenias inde &

Festum clangoris, ac festa quolibet anno solennia, Festum Paschatos, Pentecostes, diem Expiationis, Festum Tabernaculorum, Festaque extraordinaria atque accessoria, quibus & jejunia associantur. *Decimus liber Personas sacras* producit, Sacerdotem puta magnum, quem suis in vestibus contemplatur, & Sacerdotes inferiores, Levitasque & Nethinæos, quas item opes & quos redditus Sacerdotes & Levitæ, quales thesauros Templum habuerit, enarrat, ac in contemplatione Prophetarum desinit. *Undecimus actiones in Religione publica sacras* spectandas sumit, videlicet doctrinam & conciones, sacrificia, oblationem, suffitum, sal, ligna, solennem expiationis diem, preces & benedictiones publicas, Psalmodiam sacram, Ministerium Templi & Regimen Ecclesiasticum. Tandemque liber *duodecimus & ultimus privatam Hebræorum Religionem* sistit, & non generatim modo eorum fidem, pietatem ac virtutes alias, sed & speciatim exercitia pietatis domestica laudat. Naziræorum & Rechabitarum vota præ cæteris pensitat, & quales se Hebræi in eleemosynis, in cibis & conviviiis, in vestibus, in impuritatibus & lotionibus, in morte & sepultura, inque luctu gesserint, quæ spes æternæ vitæ & futuri seculi eos lactaverit, insinuat.

Hæc summa sunt voluminis hujus capita, in quibus exponendis celeberrimus Autor non semper se Rabbiorum opiniones secutum fuisse perhibet, cum illi testes de antiquitatibus Hebræorum optimi haud sint; quanquam nugacissimas Judæorum antiquitates tacere noluerit, ut manifestum foret, non esse probæ moneat, quæ ex illorum officinis venditantur. Cæterum Lectorem aliud adhuc volumen expectare jubet, quod statum Reipublicæ & gentis Hebræorum inde a schismate Jeroboami, in quo præsens terminatur, usque ad hæc tempora exhibiturum sit.

Sed antequam heic quiescere calamum jubeamus, de Appendice voluminis nonnihil adhuc dicendum est. Præfixum illa gerit titulum *Archæologia sacra, qua de Divina rerum omnium origine secundum Mosis historiam, atque adeo de prima Hebræorum fide differitur contra Gentes & quosdam Philosophos, ac præsertim adversus T. Burneti Archæologiam Philosophicam & profanam telluris Theoriam.* Inter Reipublicæ namque Hebræorum primaria funda-

menta locum obtinere monet principem doctrinam, de origine Universi Mosaica. Ab hac vero fide cum illi hodie deficient, qui suas Archæologias Mosaicis opponant, ac cum refutare Scriptorem sacrum non audeant, eum mundi originem obscuro texisse velo comminiscantur, dum τὸ ἠθικὸν docere moresque instruere, non τὸ θεωρητικὸν & accuratam rei veritatem exponere intenderit; ideo ut Mosi sua constet autoritas, frontem iis obvertere æquissimum judicat.

CONCILIATION DE MOYSE ET DE
S. E'TIENNE.

i. e.

CONCILIATIO MOSIS ET S. STEPHANI CIRCA
numerum Familiae Jacobi.

Amstelod. apud Petrum Brunel, 1704, 8. Plag. 7.

Qui sub literis U. P. R. D. L. R. nomen suum latere voluit Auctor hujus schediasmatis doctissimus, Critici cujusdam, qui nuper in Novis Literariis Jo. Bernardi, *ἐκαστοφάνειαν* Mosi & Stephani, circa numerum familiae Jacobi, conciliare tentaverat, exemplo excitatus est, ut hoc opusculum conscriberet. Siquidem hunc perfunctorie solum gravem istum scrupulum tractasse existimat; indeque ipse majori rem industria aggressus, eam se conciliandi methodum novam iniisse innuit, ut non solum verba Mosi Gen. XLVI, 26, cum effato Stephani Act. VII, 14 concilianda, sed & ea, quæ Gen. XLVI, 27, & Deut. X, 22 leguntur, inter se invicem & cum prioribus istis componenda esse existimet. Nam Gen. XLVI, 26 dici, omnes personas, quæ cum Jacobo in Ægyptum venerint, ex ipsius femine egressas, fuisse numero 66. At ejusdem capitis v. 27 affirmari, omnes personas familiae Jacobi, quæ in Ægyptum venerint, fuisse 70. Porro Deut. X, 22, pronunciari, patres gentis Israeliticæ, qui in Ægyptum descenderint, fuisse 70: qui vero numerus cum præcedenti minime conveniat, quia ibi omnes personæ ad familiam spectantes; hic vero soli patres & familiae propagatores numerentur. Denique Act. VII, 14 dici, familiam Jacobi, quam Josephus in Ægyptum abduxit, 75 capitibus constitisse.

Verum

Verum has difficultates Auctor noster, LXX virali versione vel ideo penitus statim repudiata, quod dubia magis augeat, quam minuat, ex solis fontibus Ebræis se soluturum pollicetur; eamque in rem, Chronologia familiæ Jacobi præmissa, præsupponit, Josephum, vivente adhuc Isaaco, anno Jacobi 91, inter Naphthali & Gad fuisse natum, dicitur filium senectutis Jacobi Gen. XXXVII, 3, non quod natu fere minimus fuerit, ceu vulgo quidem credatur, sed quod seni Jacobo & gaudio fuerit, & auxilio singulari. Post hæc quinque instituendæ conciliationis ponit principia: nimirum Her & Onan, Judæ filios, eo quod ante ingressum familiæ in Ægyptum, obierint, plane hic non esse connumerandos; etsi in recensione familiæ Jacobi Gen. XLVI (quam tamen ad sequentes numeros v. 26 & 27 expressos plane non spectare, sed separatas suas rationes habere putat) sigillatim commemorantur: uxores & natus Jacobi huc prorsus non pertinere; filias vero, ut membra familiæ, non vero ut capita populi, esse numerandas: eos qui Gen. XLVI recensentur, Jacobi posteros omnes reipsa non vixisse, cum ille in Ægyptum abiret; neque etiam id velle sacrum Scriptorem, quia per præfixum \hookrightarrow eo loco adhibitum solum indicetur, eos omnes Jacobo in Ægypto degenti (stylo Hebraico) advenisse, h. e. ab eo, dum viveret, visos: Jacobum, antequam fato fungeretur, omnes nepotes suos capita linearum, ut filii tribuum capita erant, constituisse: denique Josephum, antequam obiret, suos quoque nepotes inter capita linearum retulisse.

His ita constitutis, ipsam Auctor noster conciliationem instituit, ejusque nervum p. 54 omnium clarissime sequentem in modum exponit: Primum Gen. XLVI, 27 familiam Jacobi *physice* & ita considerari, qualis ex eo prodierit; quo pacto omnes Jacobi, quos in Ægypto agnoverit, posteros, sublatis prius per principium præsuppositum, Her, Onan & Dina (utpote quam non secus, ac istos, inter Cananæos mortuam contendit) at Josepho ejusque filiis cum Serah filia connumeratis, fuisse numero LXX. Secundo Gen. XLVI, 26 eandem familiam *politice* concipi, numerarique omnia populi capita, tam tribuum, quam linearum, quæ moriens Jacobus constituerit, quæque in Palæstina hæreditatem obtinuerint, & Num. XXVI sigillatim describantur: quorum numerus,

rejeſta Serah, quippe foemina, & Saule, Simeonis gnato (quem ſpurium, adeoque e numero capitum populi Divini excluſum exiſtimat) fuerit LXVI. Tertio Deut. X, 12 recenſeri eadem populi capita, additis etiam iis, quæ Joſephus in tribubus Manaffeſſe & Ephraim capita linearum recens creaverat, unde jam proveniant LXX. Denique Act. VII, 14 omnia omnino populi Iſraelitici capita, atque etiam Saulem (qui poſt decimam generationem Divina lege in cenſum populi receptus, & Deut. X, 12 jam connumeratus ſit) & Levi ejuſque tres filios, quorum in acquirenda Palæſtinæ hæreditate nullum alias jus fuerit, ipſumque Jacobum, gentis univerſæ caput, enumerari, atque hinc numerum LXXV oriri.

Ceterum *ὡς ἐν παρῳδῳ*, ſecundo hujus Diſſertationis capite (nam XVII omnino capita continet) obſervat Auctor, ſuo quidem judicio manifeſtas tranſpoſitiones Chronologicas in Ebræis etiam Bibliis contineri, quando v. gr. mors Jacobi ante Joſephi venditionem, & Joſephi nativitas poſt fratrum natu poſteriorum natales enarratur: in numeris vero fidem ſe codici Ebræo inviolatam habere. Tandem in adjecta Præfatione Marollium, qui in Jo. Bernardi Novis Literariis Auctoris hac de re cogitata, antea jam publice propoſita, menſe Aprili 1704 impugnaverat, eundo per capita refellit, pluraque alia conſimilis argumenti ſcripta pollicetur,

AVIS SINCERE AUX CATHOLIQUES &c.

i. e.

SINCERA ADMONITIO AD CATHOLICOS FOEDERATI BELGII INCOLAS, de Decreto Romanæ Inquiſitionis contra Archiepiſcopum Sebaſtenum dato.

--- 1704, 12. plag. 15.

Tertius jam vertitur annus, ex quo univerſum Belgium Fœderatum, magnaue Romanæ Eccleſiæ pars, turbis vexatur domeſticis, quas controverſia Petri Coddæi, Archiepiſcopi Sebaſteni titularis & Eccleſiæ Fœderati Belgii, quotquot Pontifici Romano parent, ſumma cum poteſtate & Vicarii Apoſtolicæ axiomate præfecti, cum Jeſuitis aliſq; religioſis Ordinibus, miſſionis munere ibidem fungentibus, excitavit. Accuſatur ille, quod Janſenianis & Rigidis,

O

quos

quos vocare solent, insigniter faverit, libris Jansenismum disseminantibus in Belgio Fœderato edendis vel operam vel patrocinium attulerit, vernaculam S. Bibliorum lectionem promiscue concesserit, & quæ sunt hujus commatis alia. Clam hæc ab initio agebantur: quare vocatus Romam Archiepiscopus, ipso Jubilæo anno in Urbem venit, auditus a Collegio fidei propagandæ causa instituto, auditus a Congregatione Cardinalium peculiari, imo a Pontifice ipso, duos præsertim defensionis suæ causa libellos A. 1701 ibidem edidit, quorum prior *Declarationis*, alter *Responsionum* titulo comparuit. Sed prævaluere adversarii, Archiepiscopo infecta re in patriam remigrante: quem e vestigio insecutum est Decretum Inquisitionis Romanæ, præsentè Papa Clemente XI die 3 Apr. A. 1704 confectum, sed die 7 Maji demum publicatum, pag. 167 hujus opusculi exstans, quo libelli duo ab Archiepiscopo Romæ editi damnantur, ipseque Apostolici Vicarii munere privatur. Dum hæc geruntur, magna libellorum seges in subsidium Archiepiscopo venit, ejusque causam Belgica dicendi libertate defendit. Quos inter præcipuus est, quem nunc exponemus, a Presbytero quodam, ut videtur, Hollandico conscriptus, Belgicaque non minus, quam Gallica lingua editus.

Quæ in fronte libri exstant observationes, tum Sebasteni Archiepiscopi, tum Alecænsis & S. Pontii Thomeriarum Episcoporum, qui paria Romæ fata perpeffi erant, causas recensent, tū Lovanienses Theologos, qui nuper Alecænsis Episcopi Rituale damnarunt, non leviter castigant. Ipsum vero opusculum principio inculcat, eos recte omnino agere, qui Decretum Pontificis examinent, non cœco impetu amplectantur; Judices Ecclesiasticos, etiam supremæ cavæ, nonnunquam graviter impingere in sanctissimas justitiæ leges, (quod Aloyfii de Leon, & P. Hauzeur testimoniis confirmatur;) sanctissimos sæpe viros a Romanis Pontificibus indignis modis exceptos esse, ex quibus Basilium, Paulinum, Hieronymum, Herotem, Lazarum, Augustinum, Hilarium Arelatensem, Mamertum Viennensem, Petrum Diaconum, Julianum Toletanum, Bernhardum, Ludo 7. Alemantium, Alph. Toftatum, Savanarolam, Jo. Picum Mirandulanum, B. Carranzam, Jo. Grimmanum Aquilegiensem Patriarcham, Car. Borromæum, Bellarminum, Sorbonam, Episcopum

pum Aleſtensem, & S. Pontii Thomeriarum, aliosque sigillatim recenſet. Poſt hæc Curia Romanæ, quæ nunc eſt, geſta ſub cenſuram vocantur, quam Jeſuitarum fere tributariam Auſtor facit, dilatam idololatriæ Confucianæ apud Sinenſes Neo-Chriſtianos caſtigationem, & præcipitatam Caſus Conſcientiæ, quem vocant, Crypto-Janſeniani condemnationem, cum primis exagitanſ. Redit deinceps in orbitam ſuam Scriptor noſter, Pontificesque & falſos sæpe & falli poſſe, præſertim in rebus, quæ facti dicuntur, exemplis quibusdam, & Academiæ Pariſienſis ac Lovaniienſis; Cardinalium de Turre cremata, Cuſani, Baronii, Bellarmini, Pallavicini, Richeli, Laureæ & Aguirrii; Epiſcoporum Melch. Cani, Walenburgiorum, Petri de Marca, Ant. Godelli &c. Doctorum, Gerſonis, Almaini, Richerii, Launoji, Holdeni, Piroti, Tapperi, Latomii, Stapletoni, Sinrichii, Lupi, Payvæ; Monachorum, Dionyſii Carthuſiani, Fr. a Victoria, Banneſii, Gonetii, Contenſoni, Davenporti; Jeſuitarum denique Pallavicini, Gretſeri, Tanneri, Becani, Annati, Petavii, Sirmondi, Halloix, Brietii, Veronii &c. autoritatibus probat. Porro facta diſtinctione inter provincias Pontifici penitus ſubjectas, & libertatem veteris Eccleſiæ retinentes (ad poſteriores vero Galliam & Belgium refert) exiſtimat, Tribunal Inquiſitionis Romanum Officiale Papæ, qua Metropolitanii, repræſentare, nullamque adeo in provincias liberas poteſtatem obtinere: Pontificem ipſum in concilio Epiſcoporum, & juxta canones antiquiſſimos, Epiſcoporum cauſas judicare debere, idque fateri Leonem I, Gelaſium & Theologos probæ notæ. Denique ad Jeſuitarum provocat exemplum, qui Innocentii X Bullam A. 1646 datam, qua prohibetur, ne Provinciales, Rectores, aliique Superiores Ordinis, ultra triennium fungantur muneribus, auctore Didaco de Avendagno S. J. in Theſauro Indico Tom. II, cap. 4, p. 9 ſeqq. non ſolum examinarint, ſed & contra ordinem datam, errore obtentam corrigendamque exiſtimarint, docuerintque, contra eandem impune agi poſſe, ſi bona fide, ſecreto, vel ex opinione probabili agatur. Qua arrepta occasione, Decretum Inquiſitionis nuperum cum Bulla iſta, velut minus cum majori, contendit, monens Decretum adverſus Vicarium Apoſtolicum datum vel ideo rejiculum eſſe, quod contra ſuetam juſtitia formam tractatus ſit, quod eruditiffimi Cardinales eundem

innocentem pronunciaverint, atque a Fabrono, Congregationis Secretario, quem Archiepiscopus, expertus quippe eundem inimicum singularem, incassum sæpe recusaverit, pleraque confecta fuerint.

Quibus expositis, Auctor Decretum ipsum *κατὰ πόδα* examinat, in omnibus ferme ejus lineis deprehendens, quod culpet ac repudiet. Nos, iudicio Lectori relicto, præcipua rerum capita enotabimus: Jure Belgarum omne extraneum forum recusari posse: Episcopum Inquisitioni Romanæ subjectum non esse, sed in provincia sua a duodecim vicinis Episcopis judicari debere: Pontificem ex mera potestate egisse: nullos Archiepiscopi & librorum ab ipso editorum errores designatos fuisse: meris suspicionibus Decretum niti: lectionem librorum prohibitorum Episcopis injuste interdici: Vicarium Belgarum Apostolicum non esse Papæ Vicarium, sed vices gerere Episcoporum, qui olim in Fœderato Belgio fuerint, eorumque frui juribus, a Canonicis Ultrajectinis & Harlemensibus eligi, adeoque mero Pontificis beneplacito, (ut Decretum pronunciaverat) nec exauctorari, nec in ejus locum surrogari quempiam posse; (quo loco *ὡς ἐν παρόδῳ* probatur, Episcopatu vacante, auctoritatem omnem & jurisdictionem in Capitulo residere:) Pontificios Belgas, qui a primis usque Reformationis temporibus, sine interruptione ulla, inter Fœderatos substiterint, male ad conditionem Christianorum recens per Missionarios converforum, Sinensium & Tupinambiorum reduci. Et hæc quidem non sine bile ac sale proferuntur, addita conclusione, qua Cajetani, Sylv. Prieriatis, Franc. à Victoria, M. Cani, Payvæ & Marchantii testimoniis suadet, resistendum esse ejusmodi Decreto, nec schisma metuendum esse, si bene meritis Pontificiorum Fœderati Belgii incolarum & communis Pastor, etiam invito Papa, retineatur.

Accessit huic opellæ triplex appendix scriptorum ab Episcopis à Romana Curia male tractatis editorum, quæ, cum alibi existare haud facile meminerimus, excerpta quoque memoriæ causa dabimus. Primo loco consistit Epistola Circularis quatuor Episcoporum Gallorum, Alectensis, Apamiensis, Bellovacensis & Andegavensis A. 1668 Jansenisini causa oppressorum, ad omnes Galliarum Præsules missa. Postquam enim Clementis IX decreto

cautum esset, ut hi ab Episcopis quibusdam, contra canonicas constitutiones conscriptis, exauctorarentur, eorumque mandata, quæ Janseniani negotii gratia ediderant, Inquisitionis obelo configerentur, illi moleste hoc ferre, deque læsis Episcoporum privilegiis ac juribus conqueri: imperare canones Ecclesiasticos, ut non nisi a duodecim ejusdem provinciæ Præsulibus Episcopi judicarentur, neque appellationes Sardicensi synodo concessas huic sancito derogare, nec ipsam Gratiani compilationem: Episcopos Gallos suam sibi libertatem salvam hætenus conservasse, (quod exemplis & antiquis & recentioribus probatur:) vix tolerandum esse Curia Romanæ factum, quæ Episcopos, fratres collegasque Pontificis, contemnit adeo tractet, librosque eorundem, ipsis ne quidem præmonitis, in prohibitorum indicem referat.

Sequitur Epistola Pastoralis Nicolai Pavillonis, Episcopi Aletensis, itidem A. 1668 scripta, postquam Inquisitionis Romanæ Tribunal ejus Rituale, severioris disciplinæ Ecclesiasticæ specimen, damnaverat. Ille, cum de muneris sui, hætenus diligenter accurateque exantlati, ratione exposuisset, de Romani Pontificis versus se gestis graviter conqueritur: Inquisitionis decreta in Galliis irrita esse: Episcopos, Christi quippe vicarios Divino jure constitutos, clementius esse tractandos: librum ipsum censuram nullam commeruisse: cum primis vero omnes æquitatis limites transcendere Pontificis literas, dum Episcopis vicinis libri Ritualis combustionem imperet.

Tandem Episcopi S. Pontii Thomeriarum ad Clementem XI, qui nunc Pontificem summum agit, Epistola triennio abhinc scripta legitur. Conqueritur ille, libros suos, cum primis illum, quem reducendorum ad Ecclesiam Romanam Hugonotarum causa ediderat, ob controversias, quæ ipsi cum Monachis Recollectis intercessere, Romæ damnatos, nullo tamen errore speciaticim indicato: creari sibi cum primis hanc molestiam, quod negaverit, Mariam Deiparam una cum Christo in Eucharistia adorari, quod Hebræis Græcisque Scripturæ fontibus autoritatem præcipuam adscripserit, lectionem Biblicam Laicis concesserit, Sanctorum invocationem liberam fecerit, amorem, saltem inchoatum, ad pœnitentiam necessarium crediderit, hæreticorum personas odio prosequi noluerit; in his vero omni-

bus nihil a fide catholica alienum se commisisse, revocationemque adeo Decreti contra se dati & sperare, & omnibus modis expetere.

*EPISTOLA GUILIELMI COWPERI, SOCIETATIS REGIÆ
Socii, ad D. EDUARDUM TYSON data, Anatomien earum
Marsupialis Americani maris partium, quæ a fœminæ
partibus discrepant, ex-
hibens.*

Excerpta ex Actis Philosophicis Anglicis Mens. Mart. 1704. N. 290.

Fœmina erat Marsupiale Americanum, quod cultro Anatomico quondam subjecit, ac Societati Regiæ obtulit D. Eduardus Tyson, nosque in Actis hisce *Mense Septembri 1698 pag. 407, & in Supplement. Tom. III sect. IV pag. 149* exhibuimus. Jam quæ in mare peculiaria observantur, subjungit, D. Guil. Cowperus, quorum itidem mentionem hic facere, nostrarum duximus esse partium. Præter organa generationi dicata, Marsupiale Mas in eo differt a Fœmina, quod desideretur marsupium, a catulis inhabitandum, nec adsint muscoli ab ossibus marsupialibus, hyoidea a figura nuncupandis, emergentes & ad abdominis cutem desinentes. Nullum externe genitalium partium vestigium apparet, si scrotum exceperis, quod justam pro involvendis testibus nactum est capacitatem, nec certe aliud foramen conspiciebatur in his partibus externe, præter anum (*vid. Tab. III fig. I A*) ad intestinum rectum ducens: diductis autem hujus marginibus, alterum in conspectum venit (*B*) quod præputium esse penis sectio monstrabat. Compressis his partibus, duæ profluebant guttæ ex utroque anilatore, (*cc*) a duobus corporibus glandulosis, seu saccis circa sphincterem positis expressæ. Qui liquor idem videtur esse, ac qui in fœminæ marsupio inveniebatur, & cui peculiaris ille animalis fœtor in acceptum est referendus; his enim partibus cum cute cloacam investiente remotis, omnis disparebat fœtor. Dum cutis ab abdominis musculis separatur, ossa modo dicta in oculos incurrun, unde muscoli quidam oriuntur, femoris ossibus inserti, qui idem præstant officium ac muscoli psoas in aliis animalibus, quamquam hi exiliores fuerint. Musculi abdominis, potissimum recti, quod

quod his ossibus firmissime affigantur, majus robur adducit huic animali corpus elevandi, & crura posteriora versus anteriora movendi, quam aliis animalibus, ossibus dictis destitutis. Immediate sub cute circa anum musculus datur carneus, præputium, inferiores intestini recti partes & saccos odoriferos, una cum quatuor glandulis mucosis (*MM NN fig. 2. & Tab. IV fig. 1.*) circa penis radicem, ut & ipsum penis corpus involvens: quæ omnes partes muscoli hujus actione comprimuntur, imprimis si penis erigatur. Remoto scroto testiculi apparent, (*Q TV Tab. III fig. 2*) una cum vasis præparantibus & deferentibus (*Q Q*) intra musculos cremasteres (*PP*) inclusis. Hi muscoli perquam lati sunt, prout etiam in aliis animalibus vesicularum feminalium expertibus tales occurrunt; suspendunt enim non solum testes, sed comprimendo etiam epididymides & vasa deferentia, seminis per urethram ejaculationem coitus tempore promovent. In hoc siquidem animali dictarum vesicularum defectus epididymidum (*WW Tab. III. fig. 2 & Tab. IV fig. 1*) amplitudine compensatur, quæ justo majorem obtinere videntur porum: quam ob causam pariter tunicæ vaginales valde anguste coarctantur. (*TV RR Tab. III fig. 2.*) Postquam arteria magna (*iii Tab. III fig. 2*) & vena cava (*b*) sub diaphragmate cera repleta fuit, truncus descendens illius sub arteriis emulgentibus directe sub venæ cavæ trunco in hoc animali locari videbatur, nec rami iliaci arteriosi amplectebantur venosos; forsan quod in hoc animali, quod cauda ex arbore suspensum sæpissime capite propendet, non æque ac in animalibus aliis necessarium fuit, ut arteriæ iliacæ venas amplectendo & pulsu comprimendo sanguinis ad cor refluxum promoverent. Arteriæ spermaticæ (*aa*) exsurgunt ex anteriore parte trunci descendens arteriæ magnæ, & perforata leviter (**.....*) vena cava ad testes recta descendunt, neutiquam contortæ, ut in aliis quadrupedibus; quæ venæ cavæ perforatio forsan non solum pro transmittendis arteriis spermaticis, verum etiam pro inhibenda leniter sanguinis per easdem arterias ad testes delabentis velocitate, videtur formata. Venæ spermaticæ, relictis testibus, variis ornantur divisionibus & inosculationibus, ad unum truncum in utroque latere redeuntibus, & immediate super perforatione (*bb*) in venam cavam desinentibus. Si testium structura ratione vasorum suo-

suorum excretoriorum nondum cognita esset, hujus animalis inspectio industria eam detexisset. Incisa enim tunica vaginali (*RR Tab. III fig. 2. & Tab. IV fig. 1*) testiculi cum epididymidibus laxius cohærent, ita ut a se invicem sint separati, (*WXYZ*) magno autem vitro convexo instructus Author, ductum excretorium (*Z*) ab altero testiculi termino, ubi arteria & vena spermatica apparent, oriundum conspexit, qui ductus brevem sub hac forma emensus viam, in epididymides (*WW*) complicatur, & denique vasa deferentia (*SS*) constituit, quæ relictis præparantibus (*ab Tab. I fig. 2*) majorem nanciscuntur amplitudinem, pristinam angustiam recipientia, dum ureteribus (*ec*) superatis in urethram inferuntur, quorum orificia immediate sub vesicæ cervicæ caruncula in utroque latere detegit. Nullæ vesiculæ feminales in hoc animali conspiciuntur, quæ in uris, bobus, equis, &c. prope vasa deferentia sitæ sunt, quæ tamen non æque inter se communicant, ac in hominibus. In istis enim animalibus vasa deferentia & vesiculæ feminales communi orificio in urethram aperiuntur; ductus autem communicantes cum sint valde exiles, citius semen in urethram, quam ad vesiculas feminales deponitur. Urethræ longitudo inter vesicam & penem 4 excedit pollices, cujus pars ad 3 pollices cum dimidio corpore glanduloso, prostatæ humanis simili, obvolvitur, cujus ductus excretorii copiosi in urethram undique hiant. Pars hæc urethræ (*IKKL vid. Tab. III fig. 2 & Tab. IV fig. 1*) dicto modo prostatæ circumdata, in situ naturali & dum penis non erigitur, contorta & complicata est, sub erectione autem ejusdem extenditur, & compresso corpore glanduloso humorem in urethram urget. Prostatæ quorundam animalium, ut urforum, arietum &c. per musculos eas includentes, in hominibus per levatores ani comprimuntur. Circa radicem penis Marsupialis occurrunt binæ vesiculæ glandulosæ (*MM NN*) in utroque latere, in urethram humorem mucosum stillantes, similem illi, quem fundunt glandulæ in hominibus eodem in loco nuper ab Authore detectæ. Hæ vesiculæ comprimuntur non solum a tenui latoque sphinctere, verum etiam a bulbis corporum cavernosorum penis (*CC*) & urethræ, (*EE*) dum erigitur penis. Quæ compressio in hominibus ab intumescencia bulbi corporis cavernosi

urethræ petenda est. Et usque adeo natura sollicita est in bobus, arietibus, catis &c. in exprimendo glandularum harum liquore, ut singulas glandulas mucosas peculiari musculo instruxerit. Penem quod spectat singularis structuræ, præter glandem bifurcatum, (*BB. vid. Tab. III fig. 2 & Tab. IV fig. 1*) cavernosa corpora (*DD*) nullo modo cum ossibus pubis communicant, nec muscoli erectores vel directores (*CC*) ad ullum pertingunt os, quemadmodum in hominibus & quadrupedibus aliis; sed omnes hæ partes liberæ jacent sub ossibus pubis, altera corporum cavernosorum extremitate in glandem desinente. Multo minus corpus cavernosum urethræ & ipsius musculi (*EE vid. Tab. IV Fig. I*) sphincteriani inseruntur, verum integrum penis corpus liberum jacet, inter ossa pubis & intestinum rectum; hinc libere extrudi potest sub erectione extra præputium. Quam penis extrusionem non parum promovet in hoc animali urethra (*IKL. vid. Tab. III fig. 2*) satis longa, & in plures angulos acutos contorta aut complicata, quam quales figura monstrat: ita ut penis extrudi nequeat, quin vesica (*O.O*) insequatur. In anteriore penis parte musculorum par (*ffG*) erectioni inservit, quod carnosum est in corporibus cavernosis penis, (*DD*) unde exsurgit, & evadit tendinosum, (*ff*) dum duo transit ligamenta in ossibus pubis, & tandem unitur in unum tendinem (*G*) dorso penis insertum. Præter hoc, aliud par musculorum (*HH. vid. Tab. III fig. 2 & Tab. IV fig. 1*) retrahit penem erectum, ab intestino recto in extremitates corporum cavernosorum penis insertum. In catis, bobus, arietibus & ursis adsunt duo ligamenta, ab osse sacro vel ilio in utroque latere oriunda, & in corpora cavernosa penis desinentia, quæ instar horum musculorum penem in præputium retrahunt. Corpora cavernosa penis in Marsupiali differunt, quoad figuram, ab aliorum animalium corporibus cavernosis; eorum enim pars superior deprehenditur bulbosa (*DD. vid. Tab. III fig. 2 & Tab. IV fig. 1*) tegiturque musculis (*CC*) instar bulbi corporum cavernosorum in humana urethra, quæ pars in aliis animalibus conicam habet figuram. Musculi corporum cavernosorum penis in hoc animali cum minus connectantur cum osse pubis, dorsum penis ad dictum os movere, & venas comprimendo sanguinem refluentem neutiquam retardare possunt; ideo venæ po-

tius quædam amplæ per mediam bulbi (*KKC. vid. Tab. III fig. 3*) partem feruntur, & compressioni solum auscultant, ab intumescencia musculorum, (*CC*) quibus involvuntur, factæ. Qui potissimum erectionem penis in hoc animali conservat musculus, est sphincter ani latus supra commemoratus, illique connexus. Quando penis extruditur ano, sphincter hujus illum necessario amplectitur, id quod itidem a sphinctere ani foeminae in coitu contingit: unde creaturas has ad actum hunc exercendum non adeo promptas esse, augurari licet. Præterea figura penis expressa in *figura 3 Tab. III* docet, penem retrahi non posse, nisi glandulae (*AB*) detumuerint, quod forsan in his animalibus non accidit, nisi utriusque æstus deferbuerit. Cum bulbus corporis cavernosi urethrae formatus sit in homine, ut glandem urgente necessitate sufficienter distentum servet, necessarium videtur, hoc animal duos obtinere bulbos, in musculis suis (*EE vid. Tab. III fig. 2*) inclusos, pro continuanda turgescencia glandis bifurcati, (*AB vid. Tab. III fig. 3*) dum penis est erectus. Sub qua distensione glandis media urethrae pars necessario comprimitur (*D,*) & duo distincta orificia (*CC*) relinquuntur in utroque latere glandis (*AB*) bifurcati.

Explicatio Figurarum.

TAB. III.
Fig. I.

Tabula III Figura I monstrat figuram externam Genitalium Marsupialis (Opossi) maris, justo minorem.

- A. Ani pars inferior ad intestinum rectum ducens.
- B. Ani pars superior, vel orificium præputii.
- c. c. Duo orificiola luteum liquorem fundentia.
- D. Scrotum.
- E. Pars abdominis, in qua marsupium hæret in foemellis, in mare magis depressa.
- FF. Duo pollices pedum posteriorum.

Fig. II.

Figura II sistit partes anteriores organorum generationi dicatorum, veram magnitudinem servantes.

- AA. Corpus penis.
- BB. Glans bifurcatus.

Fig. II.



Fig. III.




Fig. IV.



Handwritten text at the top of the page, possibly a title or header, which is mostly illegible due to fading. It appears to contain the characters "M. 8A".

A small, faint circular stamp or mark located in the upper right quadrant of the page.

The main body of the page contains extremely faint, illegible text that appears to be bleed-through from the reverse side of the paper. The text is scattered across the page and is difficult to discern.

- CC. Musculi directoribus penis analogi, bulbos corporum cavernosorum penis includentes.
- DD. Duo corpora cavernosa penis, antequam conjungantur & corpus penis forment.
- EE. Partes duorum bulborum corporis cavernosi urethræ.
- Gff. Par musculorum, cujus tendines ff transeunt duo ligamenta circa ossa pubis, & tandem in unum tendinem G coeunt.
- HH. Duo musculi ab intestino recto oriundi, & parti oppositæ corporum cavernosorum penis inferti.
- I. Urethra, ubi prostatidis non includitur.
- KK. Prostatidæ urethram includentes.
- MM. NN. Duæ glandulæ mucosæ ab utroque latere radice penis sitæ, & in urethram humorem infundentes.
- OO. Vesica urinaria.
- PP. Musculi cremasteres.
- QQ. Musculus cremaster sinister tunicam vaginalem includens.
- RR. Tunica vaginalis in latere dextro aperta, ut inclusa vasa præparantia & deferens in conspectum veniant.
- SS. Vas deferens.
- TV. Tunica vaginalis testiculum sinistrum includens, cum sua epididymide V.
- W X Y Z. Testiculus dexter, prout incisa tunica vaginali apparet.
- W. Ejus epididymis.
- X. Corpus testiculi.
- Y. Arteria & vena spermatica testiculum intrans & deferens.
- Z. Ductus excretorius testiculi.
- aa. Arteriæ spermaticæ a parte anteriori trunci descendenti arteriæ magnæ ortæ, ubi communi ductu gaudent, qui tamen dividitur, dum per
- * aperturam trunci venæ cavæ transit.
- bb. Venæ spermaticæ in venam cavam intrantes.
- dd. Renes.
- ee. Ureteres.
- gg. Venæ emulgentes.
- ψ Pars arteriæ emulgentis sinistræ.

- h. Vena cava sub hepate.
 ii. Truncus descendens arteriæ aortæ.
 kk. Arteriæ mesentericæ.
 l. Arteria mesenterica inferior, quæ in hoc animali a magno truncu non exurgit.
 m. Glandula renalis sinistra.
 n. Glandula renalis dextra, pone truncum venæ cavæ sita.
 o. Truncus communis arteriæ, a quo ramus gastricus, mesentericus superior & inferior & emulgentes propullulant.

TAB. III.
 Fig. III.

Figura III depingit partem anteriorem penis, naturali magnitudine respondentem, corporibus cavernosis Mercurio repletis.

- AB. Glans bifurcatus.
 CC. Duæ aperturæ distinctæ.
 D Media orificii urethræ pars.
 E Duæ glandis venæ.
 F. Bulbi alterutrius corporis cavernosi penis.
 G. Bulbus corporis cavernosi urethræ.
 ♃. Bulborum apertura pro injectione Mercurii.
 H. Urethra.
 I. Musculi exsiccati.
 KK. Venæ ligatæ.

Fig. IV.

Figura IV repræsentat partem posteriorem penis.

- AB. Glans bifurcatus.
 EE. Partes venarum a glande redeuntium.
 FF. Bulbi corporum cavernosorum penis.
 GG. Duo bulbi corporis cavernosi urethræ.
 H. Urethra.
 KK kk. Venæ ligatæ.

TAB. IV.
 Fig. I.

Tabula IV Figura I exhibet partes posteriores genitalium.

- A. Corpus penis.
 B. Glans.
 CC. Bulbi corporum cavernosorum penis, muscularis suis tecti.
 DD. Corpora cavernosa penis.



Fig. II





Fig. III.



- EE Duo bulbi distincti corporis cavernosi urethrae, musculis suis involuti.
- FFG. Partes musculorum in parte anteriore penis sitorum.
- HH. Pars musculorum ab intestino recto exurgens, & lateribus corporum cavernosorum penis insertum.
- IKL. Urethra prostatica K L K involuta.
- MN. Duæ glandulae mucosae in utroque latere.
- O. Vesica urinaria.
- P. Musculus cremaster.
- Q. Tunica vaginalis aperta.
- R. Vasa praeparantia a trunco magno dissecta.
- SS. Vas deferens in utroque latere.
- WXYZ. Testiculus sinister.
- ee. Partes ureterum.
- * * Stylus in urethram insertus.

OBSERVATIONES QUÆDAM MEDICO - PRACTICÆ & PHYSIOLOGICÆ; inter quas paulo fusius de Asthmate, Hydrophobia, & Cordis in Embryone structura &c. agitur, Authore HUM. RIDLEY, M. D. & Colleg. Reg. Med. Lond. Soc.

Londini, impensis Jacobi Tonson, 1703. 8.
Constant 17 $\frac{1}{2}$. plag.

Magna quidem Clarissimo Authori in secandis hominum pariter ac animalium brutorum cadaveribus fuit solertia, quam vel solus ipsius *de Cerebro tractatus* elegantissimus, quem in *Actis nostris Anno 1696, Mense Majo pag. 201*, non solum commendavimus, verum etiam Ephemeridum Germanorum Volumini, jam sub prelo sudanti, Latinitate donatum, adjunctum iri accepimus, abunde docet: maxima tamen utilitate se probare ipsi nunquam non visa est Medicorum industria, qui phaenomena a natura cum morbo praeliante producta serio sagaciterque expendunt; quibus etiam notis quasi characteristicis morbi, mira aliquando symptomatum quorundam similitudine inter se conjuncti, etiamsi specie discrepantes, a se invicem differant, sedulo edocent, superque ea in-

tentiones curativas superstruunt. Cujus laboris a se pariter peracti specimen in hoc opere edere allaboravit. Sex enim ultra triginta exhibet observationes, in ægris variis morborum generibus ventis factas, in quibus historiam non solum morbi pertexit, sed subinde etiam discursum physiologicum & pathologicum subnectit, & quæ in cadaverum dissectionibus fuerant observata, candide communicat. Nos ea solum libabimus, quæ vel ipsa libri rubrica commendat, de hydrophobia scilicet, asthmate & cordis in embryone vasorum structura, sanguinisque circuitu.

Observatio igitur XXV ægrum sistit hydrophobicum, qui ante 13 menses a cane Danico rabioso morsus, inconcussa hæctenus sanitate gavifus erat, donec transacto hoc tempore, cogitabundus aliquantum & subtristis, de frigiditate circa vesperam & stupore quodam faciei molesto conquestus fuerit, quibus accesserit aquæ pavor, absque ullo tamen salivæ deglutiendæ metu. Insecuta demum per paroxysmos sunt deliria & convulsiones. Liquida omnia averfabatur, ita tamen, ut monitus potionis medicæ portionem aliquam per gulam, licet timide & non sine lucta satis manifesta, transmitteret. Aquæ pavorem, hisce ægris solennem, Noster a convulsionibus musculorum deglutationi interficientium, & interna caloris febrilis accensione, præfocationis metum inferentibus deducit, ita ut cujuscunque rei vel fluidæ vel solidæ appulsus, utpote partium pneumonicarum cavitatem pertransituræ, & ita aeris ingressum impedituræ, vel etiam aeris confertioem introitum magnopere reformident, & vel ab aliqua istius generis imaginatione penitus abhorreant. Aquæ immersionem, tanquam appropriatum morbi hujus remedium, strenue & violenter peragi debere jubet, causamque consistere putat in eximia illa spirituum humorumque agitatione & mutatione, quam, renitente & averfante natura, producit subita & invita in aquam projectio; hisce enim circumstantiis neglectis, nihil eam juvare, præsentis ægri casus testatur luctuosus, qui in reditu ex Belgio per mare, facto naufragio, aquas nando trajecit trium ad minimum miliarium, multoties interea opprimentibus undis submersus, priusquam ad littus pervenerit.

In Observationibus XXVI & XXVII duo asthmatis exempla proponit, unico præcipue symptomate a se invicem discrepantia,

videlicet sputatione, quæ ob eam essentialiter & omnino inter se vel in specie differre, & modo sicca, sympathica, seu convulsiva, modo humida, idiopathica vel vere pulmonica vulgo vocari solent; cum tamen revera, ex Authoris sententia, unus idemque sit affectus quoad causam formalem, & nulla hic omnino obtineat distinctio, nisi quam vel causæ occasionalis differentia, vel symptomati alicui supervenienti per accidens, juxta ægri temperamentum, acceptam referamus. In asthmate enim convulsivo sæpenumero sputatio sat copiosa supervenit, cum e contra, quæ in asthmate pulmonico dicto rejiciuntur phlegmata, non ex pulmonibus aut aspera arteria rejiciantur, sed per glandulas maxillares & sublinguales exprimantur, partim ob sanguinis nimis relaxatam ex seri redundantia compagem, partim ob ejusdem seri acrimoniam, fibrillas nerveas, per substantiam glandularum disseminatas, in contractiones stimulantem, unde sanguis in suo per vasa reductoria circuitu magnopere impeditus, majorem longe per eorum vasa excretoria solito copiam serositatum sub tenui salivæ forma, profunderè aptus natus est. Nec obstat, quod subinde in asthmaticorum pectore aquarum colluvies fuerit reperta, cum hæc frequenter nullum cum pulmonibus commercium primario & in primo suo ortu habuerit, nisi successive in molem adeo immensam accrescat, ut præ istius copia, jam causæ fixæ & solitariae rationem habente, spatium expansioni satis liberum non obtinuerint pulmones. Nec tamen id vult Clarissimus Author, quasi nullam omnino in hoc morbo seri in pulmonem exsudationem concederet, sed id, quod rejici videmus in paroxysmo, non causæ semper rationem habere, sed ob sanguinis circuitum impeditum ibi deponi existimat.

In Observatione XXXII fœminam in partu mortuam sistit; ex cujus abdomine extracti fœtus cor cum pulmonibus vasculisque appensis exsecuit, si quid inibi lateret, quod quovis modo circa partium istarum functiones eum erudiret, lustraturus. Inter alia foraminis ovalis, cum sanguine per id profuente, exhibet delineationem. Valvula, qua gaudet hoc foramen, a superiore marginis foraminis parte, & ex illo istius latere, quod auriculam sinistram spectat, enascitur, deorsum propendens tali latitudine, qualis veli instar, si quovis modo applicetur, vel propellatur ad forami-

TAB. IV.

Fig. III.

TAB. IV.
Fig. III.

minis circumferentiam, eam contegere valeat. (*vid. Tab. IV fig. 3 N. 1 c c*) Inferiori hujus parti chordulas quasdam rubras & fibrosas, quibus ad venæ pulmonalis parietem alligari videbatur, in vitulis semper conspexit, quæ tamen in hominibus semper desunt. Con hoc cum aliis infantum corculis conferens, valvulæ situm semper alium atque alium observavit, prout illis nullum vel aliquod, idque modo breve, modo diuturnum cum aere commercium fuit. In figuræ III. N. 1. conspicuum est, sanguinem in foetu nondum respirante, modo plane declivi a venæ trunco ascendente prope ad auriculam per foraminis partem inferiorem, e transverso directe illi patentē, in venæ pulmonalis extremitatem prope ad auriculam sinistram, statim ad sinistrū ventriculum transmigraturum. N. 2. videmus foraminis aperturam, quarta sui parte præter propter, respectu ad ejus circumferentiam habito, cum valvula ab imo sui situ dextram versus altius aliquantulum scandentem, in infante recens nato & per paucula momenta respiratione uso; unde colligere est, quod sanguis e vena cava illuc appellens, & aperturam istius foraminis e tramite suo pristino aliorsum (videlicet a *c N. 1 ad c N. 2.*) deflectentem, reperiens, in auriculam jam alveo suo inhiantem, cum sanguine reliquo a descendente venæ cavæ trunco refluxo, per partem foraminis jam clausam novo incepto cursu decurrat. N. 3. foraminis apertura adhuc altius suspensa, cum valvula juxta naturalem suam dispositionem, in foetu tres septimanas nato delineatur. N. 4. foramen cum sua apertura & valvula plane inversum in corde adulti apparet; ubi ejus apertura supra tuberculi, a Lovvero sic dicti, marginem inferiorem e latere venæ pulmonalis penitus se recondit, cum valvula eidem procul dubio tractu temporis prorsus, ni aliter quovis impedimento interveniente contingat, firmiter adhæsura. Est, ubi dehiscentiam intra valvulæ hujus extremitatem & tuberculi marginem prædictum superiorem conspexit Author, licet rarius id contingat. Cum enim ad summitatem N. 4. notatam adscenderit apertura, cum valvula plane inversa ad rivum sanguinis e pulmonibus transmissum magis exponitur; quo factum est, ut exigua forsan sanguinis portio, continuo illac irrependo, valvulam eo loci ab omni cum margine cohæsione, vel per totum vitæ humanæ spatium impediatur. Usus vasorum in corde quod

attinet, advertendum esse monet Vir Clarissimus, valvulam foramini ovali, seu potius rotundo appensam, ejusdem margini undique adnecti, servata solum quarta plus minus parte ad imum istius foraminis aperta, sanguinis transitui dicata; ita ut haud adeo magnam sanguinis quantitatem, ac haecenus creditum fuit, per eam transmitti posse, & proinde majorem longe ad arteriam pulmonalem ascendere, merito concludat. Cui argumento stabiliendo maxime facit canalis arteriosi constitutio, qui etsi naturali sua proportione, cum vacuus est, non prorsus ad aortae magnitudinem venit, liquore tamen quovis repletus, quam proxime, primo suo praecipue egressu, ad arteriae istius cavitatem accedit. Deinde attentionem meretur arteriae pulmonalis ramorum duorum structura. Hi enim statim a suo exortu, qui a parte hujus arteriae trunci interiori est, e regione canalis communicationis adversa, non solum admodum a se invicem utrinque, dextrorsum scilicet & sinistrorsum, maxima fere distantia inter se facta recedunt, quin etiam admodum in suo transitu declives evadunt, priusquam pulmones ingrediuntur. Cum igitur viam illam adeo deviam & impeditam sanguis invenerit, & ob valvularum semilunarium renitentiam facile regredi nequiverit, arteriam hanc non potest non reddere intumescentiorem. Utcunque autem de sanguinis circulatione per hoc viscus certior factus fuerit Author, nullus tamen dubitat, quin admodum lento gradu id fiat, cum ob conformationem vasorum, tum ob pulmonum substantiam, tunc temporis adeo densam & compactam, ut instar glandularum ad tactum dura & nodosa haec sentiatur. Nec sane, quomodo per pulmones circulatio sanguinis apte fieri queat, concipi potest, nisi vasa sanguinem excipientia, tempore gestationis, concidentibus tum pulmonibus, longe ampliora & capaciora existerent. Concesso autem tardiori hoc sanguinis per pulmones transitu, fit ut minus sanguinis per eos, quam si substantia eorum laxior rariorque fuisset, singula ventriculi dextri systole percurrat; propter eandem rationem, a confertiori ejus in hanc arteriam influxu, necesse erit, ut trunco ejus amplitudo major accedat. Hinc similiter cautum est, ne foetu postea in lucem edito, a longe uberiori sanguinis quantitate, huic arteriae allata, ab utriusque scilicet venae cavae truncis re-

flui,

flui, & celeri ejus appulsu, cessantibus jam foraminis rotundi & tubuli arteriosi officiis, arteriæ hujus parietes subito disrumpantur.

Tandem non possumus non experimentum Clarissimi Ridley, circa urachum foetus nati & post pauca momenta mortui factum, insimul commemorare. Scilicet urachi ex vesica exitum per stylum & flatum, sed frustra, etiamsi omni diligentia id fecerit, inquisivit. Eam denique aqua fontana (cujus tria cochlearia integra capiebat) repletam fundo deorsum filo suspendit, quam totam spatio tridui per urachum in vas suppositum lente & guttatim transiisse reperit; hinc de perforatione urachi factus certior, eam setarum & graciliorum specillorum immissione ulterius inquirendo prosequabatur. Cum autem nullo modo eam detegere valuisset, demum inversa prius vesica, & intruso subtus digito, in rugosa ejus tunica versus fundum, eo loco, ubi de ea procedit urachus, papillam quandam oculis detexit, cujus apicem forcibus cum abscidisset, statim oculis incurrit perforatio. Huic intrusum specillum facile in urachum transit, & postea adaptato tubulo, eum cavitate pennæ anserinæ & amplius donatum deprehendit.

Explicatio Figurarum.

TAB. IV.
Fig. II.

Figura II delineat cor foetus cum suis vasis, postquam hic in spiritu vini integer per aliquot annos conservatus & postea apertus fuit.

A Cor.

b. Auricula dextra.

c. Auricula sinistra.

dd. Pulmones.

ee. Arteria aorta.

f. Arteria dextra subclavia.

g. Arteria sinistra subclavia.

h. Arteria carotis dextra } utræque cranium versus

i. Arteria carotis sinistra } ampliores.

kk. Arteriæ cervicales seu vertebrales, dextra & sinistra, per vertebrarum colli processus usque ad cerebrum transmissæ.

- ll. Rami ejus utrinque inde exeuntes.
 m. Arteria pulmonalis seu vena arteriosa.
 n. Canalis seu tubulus arteriosus.
 o. Nervus octavi paris seu par vagum.
 p. Plexus ejus inferior altior hic, quam in tabulis Willisii vel Vieus-
 senii depingitur.
 q. Ramulus distinctus ab hoc plexu descendens & nervum recur-
 rentem constituens, absque reflexione ulla super arteriam sub-
 claviam: num ita a natura, an per aliquod accidens in sectio-
 ne, nescit Author.
 rr. Ramulus recurrens dexter.
 ss. Rami aliquot (num nervei vel sanguinei, nescit Author) ab hoc
 plexu in nervum recurrentem & ulterius propagati, eorum
 instar, qui in Willisii figura a nervi intercostalis plexu medio
 distribuuntur.
 tt. Nervus intercostalis, cujus plexus gangliiformis medius hic
 deest.
 r. Plexus ejus thoracicus.
 ww. Plexus ejus superior.
 x. Trachea.
 y. Vena cava descendens abscissa.

Figura III sistit Foramen ovale seu rotundum naturali
 aliquanto majus.

TAB. IV.
 Fig. III.

- ab. Foramen ovale.
 ccc. Valvula.
 e. Ejus apertura.
 dd. Sanguis per eam transfluens.

THESAURUS GRÆCARUM ANTIQUITATUM
contextus & designatus a JACOBO GRONOVIO.
Volumen Undecimum & Duodecimum. Quibus acce-
dit Tomus Indices Generales
complectens.

Lugduni Batavorum, apud P. van der Aa, 1701, 1702, fol.

Vol. XI constat Alph. 8. plag. 13.

- XII - - Alph. 5. plag. 19.

& plurimis figuris.

Index - - Alph. 5. plag. 8.

UNdecimum hoc Antiquitatum Græcarum Thesauri volumen Historica, Geographica, Nautica, Equorum curam, Tropæa & Exequias sistit, atque istis scriptis absolvitur. Pag. (I) comparent Dicæarchi *Geographica quædam, sive de Vita Græciæ. Ejusdem descriptio Græciæ, versibus Jambicis, ad Theophrastum, Henrico Stephano interprete, cum ipsius & Isaaci Casauboni annotationibus. Accedit Henrici Stephani ad Dicæarchum, & suam in illum lucubrationem appendicula.* Quamvis vero & Stephanus & Casaubonus præclaris maxime observationibus Dicæarchi libellum illustraverint, ad eumque rite explanandum multum studii ac laboris attulerint; neutiquam tamen omnes hujus instituti rationes ita explicari potuerunt, quin hinc inde relicta quædam fuerint, quæ pleniorē enucleationem jure merito flagitare viderentur. Proinde ad se pertinere eruditissimus Gronovius judicavit, perquirere ista in præfatione diligentius, adhibitaque solertia efficere, ut menda ea, quæ aliorum, Stephani imprimis, aciem fugerant, tempestive tollerentur. Quo consilio monet, Stephanum col. (9) de Minervæ templo, quod scribitur esse πολυτελές, ἀπόβιον, ἄξιον θεᾶς, agentem, nimis licenter vocem ἀπόβιον mutare in ἀπόβλεπτον, cum reponendum sit ἀποπτον, id quod plane respondeat literis vetustæ scripturæ, & congruat verbis Plutarchi in Camillo, ἱερὸν, inquiringis, εἰς τὴν ἀγορὰν ἀποπτον. Quid sit ὑπόδημα ὑσκλητόν, quod col. (28) Thebanis scæminis tribuitur, se definire posse negat, nisi statuatur loco vocabuli ὑσκλητόν legendum esse δικτυωτόν, quod optime conveniat calceis fere nudos pedes ostendentibus, ut in reticulatim positis corrigiis nimium rara essent foramina. Col. (32) in urbe Chalcide quum dicantur esse ὕδατα τὰ μὲν πολλὰ ἀλυκὰ, ἐν δὲ ἡσυχῇ μὲν ὑπόπλατυ, hoc posterius plane vitiosum esse monet, idque omnino vidisse Stephanum; at in eo Virum doctissimum errasse, quod supposuerit ὑπόπαχυ, quod plane non sit oppositum & diversum τῷ ἀλυκῷ, neque proprium aqua-

aquarum: verosimile ergo videri, Dicæarchum ὑπογλυκὺ, *subdulce* scripsisse. Qui col. (36) citantur, versiculos

Λάρισσά τε μετ' αὐτὴν δ' Αὐλῖς. ἢ Βοιωτῖα

Χῶρα δὲ μετὰ Φωκῆς δῖπκεται

ita restituit, ut legat: Λάρισσά τε μετ' αὐτὴν Δαυλῖς. Affirmat quippe, falsum esse, quod Larissæ vicina sit Aulis, illa scilicet, quæ in inferioribus dicatur Ἄυλις τε βοιωτῶν πόλις: potius ita de Daulide statuendum esse, uti appareat ex Strabonis lib. IX, p. 423. Prætermittimus de industria reliqua, quandoquidem ista latius persequi, instituti ratio prohibet. Proxime hinc abest Henrici Stephani *Dialogus, Dicæarchi Sympraçtor, vel de Græcorum moribus, præsertimque Atheniensium, supplementum*. Sequitur pag. 1 Erasmi Vindingi, Pauli F. *Hellen*. Exponuntur in hoc opere, quod ex Auctoris MS. autographo nunc primum editur, antiquæ Græciæ populorum incunabula, migrationes, coloniarum deductiones, & res præcipuæ gestæ, urbiumque & regnorum origines, mutationes, interitus, & Principum in iis successiones, e Græcis præcipue scriptoribus, Historicis, Poetis, Geographis, Oratoribus & Grammaticis. De quo etsi præclare sentiat Gronovius, dolet tamen, opus hoc, priusquam ad se transmitteretur, a nullo harum rerum intelligenti viro recognitum, ac politius limatum esse. Cum enim constiterit foliis solutis, multa que adfuerint inducta, multa denuo allita, multa variis signis annotata, fieri non potuisse, quin multa a mente Auctoris & veritate aliena ibi contineantur; quorum proinde numerum inquit, ac dato commemorandi loco recenset. Inde comparent Lazari Bayfii *de re Navali liber, seu annotationes in L. 2 De Captivis & postliminio reversis*, cum figuris, pag. 564: Stephani Doleti *de re Navali liber*, ad Lazarum Bayfium, pag. 629: Cæli Calcagnini *de re Nautica commentatio*, ad Lilius Gregorium Gyraldum, pag. 741: Jo. Schefferi *de varietate Navium dissertatio*, pag. 769: Josephi Laurentii *de varietate Navium schediasma*, pag. 789: Joachimi Camerarii *Hippocomicus, seu de curandis equis, item de nominibus Equestribus Græcis & Latinis collectio*, pag. 793: Julii Cæsaris Bulengeri *de Triumphis, spoliis bellicis, trophæis, arcubus triumphalibus, & pompa triumphi, liber unicus*, p. 857: Francisci Modii *de Triumphis, ludis & spectaculis veterum libri duo*,

pag. 961: Jo. Meursii *de Funere liber singularis, in quo Græci & Romani ritus*, p. 1073: Josephi Laurentii *de Funeribus Antiquorum tractatus, in quo ritus funebres ante rogam, in rogo, & post rogam illustrantur & explicantur*, p. 1164: Jo. Andreae Quenstedii *de Sepultura Veterum tractatus, sive de antiquis ritibus sepulchralibus Græcorum, Romanorum, Judæorum ac Christianorum*, p. 1201: Petri la Seine *Homeri Nepenthes, seu de abolendo luctu liber*, p. 1329.

Duodecimum volumen tria solummodo, eaque reconditæ ac veræ eruditionis plenissima scripta complectitur, inter quæ primum locum occupant Veterum Sepulcra, seu *Mausolea Romanorum & Etruscorum, inventa in urbe Roma, in quibus multa ad eruditionem monumenta continentur, collecta & delineata* a Petro Sanctio Bartolio, cum *explicationibus* Joannis Petri Bellorii. *Ex Italico in Latinum sermonem transtulit* Alexander Dukerus, cum figuris. His subjunguntur Veterum Lucernæ Sepulcrales, *collectæ ex cavernis & specubus subterraneis urbis Romæ, figuris æneis expressæ, in quibus multa ad eruditionem monumenta continentur, delineatæ secundum formas suas* a Petro Sanctio Bartolio. *Divise in tres partes, cum observationibus* Joannis Petri Bellorii. *Ex Italico in Latinum sermonem transtulit* Alexander Dukerus. Prodiit hoc opus Italica lingua conscriptum Romæ 1691 in fol. dignumque illud judicavit Celeberrimus Begerus, quod Latina civitate donaret. Vid. Acta nostra A. 1692, p. 224, & A. 1702, pag. 208. Eandem operam elegantissimo scripto Alexander Dukerus navavit cujus versio hic extat, atque præstantissima hæc antiquitatis monumenta aliquot accessionibus locupletata exhibet. Tertium locum sibi vindicat Jo. Potteri *Archæologia Græca, sive Antiquitatum Græciæ corpus absolutissimum*. Editus hic varia multiplicique doctrina refertus liber in Anglia fuit, & patria proinde lingua confectus lucem aspexit, sed nunc ob singularem reconditamque eruditionem, Latina civitate donari meruit. Quod officium Vir quidam doctus ita obiit, ut non solum in convertendo illo multum studii, solertiaeque adhibuerit, sed translationem quoque Clarissimo & nobis alias quoque in his Actis laudato Auctori, ut de ea censeret, transmissit. Factum inde, ut & versionem penitus examinaverit Clarissi-

us Auctor, ipsumque librum uberrima variarum rerum accessione auxerit. Ab initio ejus, qui duodecimi totius Thesauri voluminis partem secundam constituit, & separatim emi potest, comparetur ororum, capitum & titulorum syllabus, in fine vero accuratus rerum verborumque index est subjectus.

Ne vero splendidissimo Thesauri operi universo quid deesset, quod ad ejus commendationem facere possit, peculiaris Tomus Index destinatus est. Quorum hæc est ratio, ut primus effigies, aliter auctores & opera, tertius res & verba, quæ undecim voluminibus prioribus & duodecimi parte prima continentur, exhibeant. Demandata primum hæc cura fuerat Jo. Gravenhage apud Hulstam Verbi Divini Ministro; ast cum hic morte interceptus esset, quorum cura & industria id, quod deerat, perficeret, eligendi fuerunt.

*II MANES STRUVIANI, SIVE DE VITA ET
SCRIPTIS GEORGII ADAMI STRUVII, Illustris quondam Jure-
Consulti, quibus justa persolvit mæstissimus filius, BUR-
CARD GOTTHELFF
STRUVE.*

Jenæ, apud Joannem Bielckium, 1705. 8. Plag. 9.

Magnum inter litteratos nomen est *Georgii Adami Struvii*, quem communem Germaniæ Præceptorem norunt, qui juris adfident. Hujus igitur merita cum tanta sint in Jurisprudentiâ, ut inter summos nostri temporis Jureconsultos merito sit referendus, filius ejus inter natu minores, Vir Clarissimus & Historiarum in Illustri Academia Jenensi hoc tempore Professor, pietatis duxit, Orbi erudito exponere, quæ sibi de vita, fati atque scrip- tis beati parentis essent cognita, cujus ductum brevius sequemur. natus erat ille Germaniæ nostræ Ulpianus Magdeburgi V Kl. Octobris A. 1619, patre *Bartholdo Struvio*, hæreditario in Wandesleben, JCo, & judicii Archiepiscopalis, quod Magdeburgi erat, præfecto: a vero Struviorum familia ex Ducatu Brunsvicensi originem trahente. Mater ejusdem erat *Anna Margaretha Brunneria*, exabili Brunnerorum & Fomannorum familia prognata. Hæc autem Brunnerorum familia ex Lehenstein, Bohemiæ prope Egram ar-
ce

ce orta, inter alios *Georgium Brunnerum*, Camerae Spirensis adfessorem, atque ex materna gente *Ortholphum Fomannum* in academia Jenensi olim antecessorem celeberrimum, numerat. Traditus noster primum Lycei Magdeburgensis præceptoribus ad ingenii culturam, anno 1630 vero, die 18 Octobris, annum agens duodecimum, in gymnasium Schleusingense, inter tertii ordinis discipulos, rectore Sergero est receptus. Integrum fere sexennium in hoc gymnasio exegit, præceptore potissimum usus *Andrea Reyhero*, atque die 30 Aprilis anni 1636, cœtui discentium in episcopum scholasticum præfectus, habita insuper a dicto Reyhero solenni oratione. Eodem anno, ætatis vero decimo septimo, a suis demum avocatus, insigni cum testimonio ex gymnasio dimissus est. Paulo post, die 11 Junii ejusdem anni, in academiam Jenensem a parentibus missus, præceptores ibi nactus est, *Philippum Hortium* in morali & practica philosophia, in philosophicis aliis *Danielem Stahlium*, in physicis *Joannem Zeifoldum*. Præ cæteris vero assidue frequentavit scholas *Joannis Michaelis Dilherri*, oratoriæ atque historiarum Professoris, sub cujus etiam præsidio anno 1638 publice defendit *de victoria & clade* dissertationem, proprio Marte elaboratam, atque statui illorum temporum accommodatam. In jurisprudentia doctores secutus est *Dominicum Arumæum*, *Petrum Theodoricum*, *Erasmum Ungebauerum*, *Ortholphum Fomannum*, & *Sebastianum Beer* curiæ provincialis Advocatum. Triennio continuo, & quod excedit, in eadem academia exacto, honorifico cum testimonio, a *Paulo Marquardo Slegelio*, Rectore Magnifico, academiæ nomine concesso, dimissus est. Neque tamen fata propitia ibi semper fuit expertus. Dum enim Jena a milite Cæsareo diriperetur, tempore feralis istius belli Germanici, irruebant quoque milites in nostri musæum, mortem minantes, bombardam ad feriendum paratam pectori ipsius adplicata, ut vix singulari Dei beneficio, aliorum interventu servaretur. Hicce autem terror in tantum labefactavit nostri valetudinem, ut pæne vitæ incurreret periculum. Relicta hyemali tempore anno 1640 Jenensi academia, reliquam hyemis partem domi transegit. Insequenti vero anno, in almam Juliam se contulit, ut vestigia legeret, quæ in hac academia fuerat ingressus. *Conradum Hornejum* ibi audivit inter-

pretantem Aristotelis Nicomachiorum libros, cujus etiam ductu variis exercitationibus vacabat. In politicis audivit Hermannum Conringium, jura majestatis & politicam Aristotelis interpretantem. Hunc etiam præceptorem secutus in historiis, dum explicaret Tacitum de moribus Germanorum, Diepholdi genealogiam, atque alia. Specimen quoque profectuum in hisce studiis edidit, habita sub Conringii præsidio *de Ducibus & Comitibus Imperii Germanici* dissertatione, quæ inter Conringianas alias extat. Inter Jureconsultos Hahnium secutus, quem interpretantem audivit Pandectas & Codicem, & præcipue collegio ejus Wesenbeciano interfuit. Cum autem facile adduci non posset laudatus Hahnus, ut ipse viva voce juventutem doceret, sed pleraque in calamum daret, ipse quoque vicaria Struvii opera, in dictandis ad Wesenbecii Paratitla observationibus, utebatur. Ejusdem præsidio noster usus in dissertatione a se elaborata, *de damnis, illis præcipue, quæ ex dolo, culpa aut casu proveniunt, horumque correctionibus & præstationibus*. Hisce exantlatis, nomen professus est apud Collegium Juridicum, atque præviis examinibus, ad inauguralem disputationem *de Vindicta privata* fuit admissus, habitam A. 1645 Februarii mense. Vocatus postea, mense Aprili ejusdem anni, ad Assessoris in Scabinatu Halensi munus; id quod illum movit, ut sequenti anno Doctoris insignia in se conferri peteret. Annum Halæ nondum transegerat & dimidium, cum auspiciis Serenissimorum Saxoniae Ducum, ad ornandam Juris Professionem, in locum Gothofredi Fibigii, in academiam Jenensem vocaretur, commendante illum præcipue Georgio Frantzio, Cancellario Gothano, in numerum Professorum, habita prius dissertatione pro loco *de Aedificiis privatis*, 12 Decembris anni 1646 receptus. Inde quoque in Scabinatum, atque numerum Adessorum Curiae Provincialis, fuit adlectus. In hac autem academia quanto semper cum applausu docuerit, in commune notum est. Immo Syntagmata ejusdem feudalis atque civilis juris, quæ in plerasque Germaniæ academias recepta, satis de communi adplausu testantur. Et cum latius propagaretur etiam extra academias ipsius fama, in consilium vocabatur a Brunovicensium republica, delato ipsi anno 1660 primi consilarii munere, ita ut quater in anno eo migraret. Id quod etiam, adnventibus

Serenissimis Saxoniae Ducibus, ad triennium suscepit, quo præterlapso, muneri renuntiavit. Annus agebatur 1667, cum a Serenissimis Saxoniae Ducibus, Vinariensis lineæ, ipsi Consilarii aulici munus, atque rerum cameralium summa, clementissime demandaretur. Multa quidem in hoc munere publicorum negotiorum mole obrutus erat, quæ tamen minime obstabant, quo minus inter aulæ negotia, varios quoque publici boni causa ederet tractatus, præcipue *Evolutiones, & Jus Sacrum Justinianæum*. In hoc munere transactioni quoque, ratione Altenburgensis successionis factæ interfuit. In quo negotio pertractando talem se præstitit, ut non solum Ernestus Pius, contrarias licet partes tueretur, illum numismate aureo donaret, sed etiam facta postea divisione, Consilarii intimi munere ac dignitate augetur. Subsequenti anno 1673, mortuo Richtero, in Jenensem academiam fuit revocatus, atque Ordinarii in Juris Collegio munus ipsi delatum est, relicta nihilominus Consilarii intimi dignitate. Cui muneri cum adnexa esset juris Canonici professio, idem & voce & scriptis illustrare aggressus est. Dolendum saltim, quod illi, quos publico destinaret labores, perfecti non fuerint, atque eorundem solum extent adhuc collectanea, licet inter hæc varia responsa ad causas & beneficia ecclesiastica spectantia. Sed neque ipsa meta dignitatum. Cum enim mortuo Bernhardo, Saxoniae Duce, unicus superesset Jenensis lineæ Saxonicus Princeps, Joannes Guilielmus, atque illo minorenni adhuc, tutelare regimen formaretur, illius Præses noster anno 1680 ordinabatur, demandata etiam Consistorii cura, & redituum provincialium directorio. Ne itaque laborum mole obrueretur, cedebat juris professione, solo retento Ordinarii munere. Solatium autem in tanto negotiorum cumulo quærebat in Musis, disputationibus vacabat tam publicis quam privatis, editis etiam tractatibus, illo præsertim *de Invocatione nominis Divini, & Jurisprudentia Germanica*, licet ante jamdum jussu Ernesti Pii elaborata. Mortuo vero Juventutis Principe, & cum eo Jenensi linea extincta, dissolvebatur regimen, terris partim ad Vinariensem, partim Isenacensem domum delatis. Redibat igitur noster, quod sibi reservaverat, ad ordinem Juridicum, idque mense Junio anni 1691, juris Canonici vestigia relegens, lectionibus potissimum publicis atque diversis

acroamatibus vacans. Eodem anno a Serenissimo Hasso - Darmstadiensi Landgravio in partes curarum vocatus, & Consilarii intimi munere ac titulo honoratus est. In academico munere, Rectoratus vices bis gessit, Decani vero quater & decies, Brabeutæ quinque. Hæc origo, studiorum progressus, & honorum incrementa. Quantum ad statum familiarem, uxores binas habuit: priorem *Annam Mariam*, Christophori Philippi Richteri filiam unicam, ex qua suscepit septem filios, filiam unicam; alteram sibi matrimonio junxit anno 1663 *Susannam*, Burcardi Berlichii filiam natu secundam, ex qua XVII liberorum pater factus. Ex binis matrimoniis quinque solum sunt superstites. Corpus ipsi contigerat firmum, quadratum, justa temperie bene dispositum, & gerendis negotiis obduratum. Valetudine utebatur prospera, ter solum in omni ætate morbo, sed gravi correptus. Pius alias, religiosus & constans erat. Inter adversarios habuit illustrem alias *Jctum*, *Henricum Coccejum*, qui in materia de dolo, culpa & casu contra eum egit: *Gerhardum Pfankuchium*, in materia retorsionis: *Theodoricum Paulum* in quæstione, an sacerdotes ab actione injuriarum sint immunes. Quartus adversarius erat personatus ille *Antonius a Mara*, sive *Elias Schnegas*, qui dum in tractatu suo de concursu creditorum, alios Jureconsultos magni nominis lacefferet, nostrum etiam erroris arguere voluit, defendente tamen illum Filio, vitam hanc describente. Per illustri vero Baro *de Lincker*, dum Analectis suis utrumque syntagma vel explicaret, vel in quibusdam suppleret, dissentendum ab eo quodammodo existimavit, sed pro mutuo, quod inter utrosque intercedebat studio, multa cum modestia. Inter discipulos, præter per plures alios, magnis honorum gradibus ad cumulatos, præcipue numerabat magnum olim aulæ Berolinensis Status Ministrum, *Paulum Fuchsum*. Immo multi erant, qui ipsius Syntagmata vel in compendium, vel tabulas synopticas redigerent. Civile vero Syntagma prolixo Commentario illustravit *Petrus Müllerus*. Quid? quod ipsi Galli Jurisprudentiam ipsius Romano-Germanicam in suam linguam transtulerunt. Sed fatalis nostro dies atque terminus erat quintus decimus Decembris anni 1692, cum ipse debilitatis licet, solito plus, catarrho suffocativo viribus, consultantibus tamen collegis adesset, & cum de causa, quæ ad

Scabinatum delata, ad eos retulisset, inopinato adficiebatur, omnibus pæne eundem derelinquentibus viribus. Quietique datus a suavissima conjugè, moxque vocati & Medicus, & supremus Ecclesiæ Antistes, officio dexterrime uterque functi sunt. Sed vix aliquot horas supervixerat, instantibus jam extremis, cum inter suorum suspiria & planctus atque preces, animam suam, circa horam quartam matutinam, in manus Dei placide dimitteret, annis tribus & septuaginta major, septem & quadraginta liberorum aut pater aut avus. Hæc sunt, quæ de vita ac fati parentis narrat filius moestissimus. Subsequitur funebre programma, Academiæ Jenensis nomine, die exequiarum 16 Decembris, publice adfixum, atque ultimo loco catalogus scriptorum beati Viri atque dissertationum.

DE NUPERO SCHISMATE ANGLICANO PARÆnesis ad Exteros tam Reformatos quam etiam Pontificios, quæ Jura Episcoporum vetera, eorundemque a Magistratu seculari independentia, omnibus asserenda commendantur ab HENRICO DODWELLO, A. M. Dubliniensi.

Londini, impensis Richardi Smith, 1704, in 8.

Constat plagulis 17.

Cum Guilielmus, gloriosissimæ memoriæ Rex Angliæ, feliciter Londinum appulisset, ac in primo Parlamento, ipsius auspiciis convocato, decretum fuisset, ut quicumque Parlamento assiderent, a juramento fidelitatis Jacobo II præstito absolverentur, novumque novo Regi juramentum præstarent; non pauci inter Episcopos id præstare veriti sunt, ac eapropter Episcopatu exuti fuerunt. Quos cum a Magistratu civili deponi haud potuisse, multi sibi persuasum haberent, Episcopos novos, qui in locum depositorum surrogati fuerant, nec recipi, nec cum iisdem communionem quandam haberi posse judicarunt, imo quotquot cum illis facerent, schismatis cujusdam accusare non dubitarunt. Cui sententiæ, inter eruditissimos Angliæ Viros, Dodwellus etiam adductus, libellum præsentem in lucem publicam emittere, inque eo Episcoporum jura a prima origine repetere, ac jus in eadem Magistratui civili derogare voluit. In quo tractationem exorsurus

doctissimus Autor, primum admonet exteros, ut sibi prospiciant, ne quid mali exempli ab Anglis ad eos redundet, quod ipsorum quoque communionem precariam, nec diutius duraturam, quam Magistratui civili videatur, reddat: dein omnem schismatis nuper apud Anglos orti causam ab Episcopis suis amoliri, & in eorum adversarios transferre studet: tandem exteris factum hoc dijudicandum tradit, ea tamen lege, ut secundum primævæ Ecclesiæ placita, non juxta præconceptas modernarum etiam Ecclesiarum opiniones, illud examinent. Quibus præmissis, ante omnia duo primævæ Ecclesiæ intervalla, unde quidem ad nostra tempora deduci solet argumentatio, caute invicem secernenda esse notat, & quidem prius eorum fuisse monet, cum in universam Christi Ecclesiam, talem primatum obtineret Episcopus Hierosolymitanus, qualem Pontifex templi Hierosolymitani Judæus in Synagogas Judæorum per orbem dispersas habuerit. Tum enim ἀρχιερεῦσι seu Principibus sacerdotum (per quos Pontifices, Expontifices, Segenes seu vicarios Pontificum, qui totius δωδεκαφύλα, seu duodecim tribuum nomine, sacris publicis præfuerint, intelligit) in Synedrio Christianorum Hierosolymitano Apostolos, pro tribuum quoque numero duodenas, respondisse. Quod autem primum hoc Ecclesiæ Hierosolymitanæ Collegium, ad Collegii apud Judæos Hieratici instar, communi ἀρχιερέων nomine haud insignitum fuerit, in ratiociniis illius ævi Platonice de Archetypis atque Ectypis, causas valde commodas inveniri censet, quæ eo denique redire videntur, ut cum Christus ipse, ὁ Λόγος, Prototypus, unicus esset ac æternus Sacerdos, & κατ' ἐξοχήν ac vere Ἀρχιερεὺς, Apostoli a nomine tam venerando sibi temperare voverint, Collegiumque suum modestiori aliquo vocabulo, quod ministros Christi potius quam collegas sonaret, censuerint insigniendum, ne quam sibi paritatem cum Λόγῳ vindicare viderentur. Porro observat, cum explendo duodenario Apostolorum numero non sufficerent, qui ex eadem cum Christo stirpe essent, aliunde arcessendos fuisse, qui tribuum numerum æquarent: in hoc tamen Apostolorum Collegio, primum locum Christi cognatos habuisse. A primo, quod Hierosolymis erat, isto Cleri Christiani Collegio ad secundum progreditur, atque istud cum secundo Synedrii Judaici Collegio non modo commune Presbyterorum nomen, sed & parem numerum ha-

buisse docet, id colligens ex libro Apocalypseos, ubi 24 Presbyterorum mentio injicitur, & juxta ipsum Ecclesia Hierosolymitana, qua Synedrio Hierosolymitano respondit, adumbratur: præterea asserit, a secundo hoc Christianorum Hierosolymitanorum Collegio ad exteras ecclesias exemplum Presbyterorum transiisse, atque sic nullum esse potuisse locum presbyteris laicis. Cum igitur utriusque Cleri, Judaici pariter ac Christiani, Hierosolymitani Collegia adeo accurate sibi invicem responderint, facile hinc colligi posse opinatur, Clero Christianorum Hierosolymitano obsequium omnes orbis universi ecclesias debuisse, uti Clero Hierosolymitano Judæo omnes per mundum universum dispersæ Judæorum synagogæ paruerint: imo ex hac convenientia inferre satagit, primo hoc Apostolorum spatio, Christianis omnibus unitatis principium Episcopum Hierosolymitanum fuisse; ad eundem plane modum, quo & Judæis omnibus, quantumvis invicem dissitis, unitatis principium summus fuerit Pontifex, qui rem sacram omnium nomine procuraret: paulatim deinde Rectorum ordinariorum potestatem in ecclesiis exteris, ecclesiæ forte Hierosolymitanæ consensu, augmenta cepisse: primis autem temporibus vix alios, quam illius ministros, Hierosolyma missos, in ecclesias ecclesiæ Hierosolymitanæ obnoxias disciplinam ac potestatem exercuisse: ipsos tamen hos ministros itinerarios utriusque Collegii, tam Apostolorum quam Presbyterorum, Clero citra dubium obnoxios fuisse. Ne vero, quæ de primatu ecclesiæ Hierosolymitanæ in universam Christi ecclesiam adducta sunt, in cerebro suo finxisse videretur Clarissimus Autor, eundem proximis post Apostolos temporibus non ignotum fuisse, corroborare studet, eumque in finem ad Hegesippum e statu ecclesiæ Hierosolymitanæ de statu ecclesiæ Catholicæ judicantem; ad traditionem quandam de Apostolis, aliisque Domini tam cognatis quam discipulis, e peregrinationibus domum reversis, ut Simeonem Cleopæ episcopum Hierosolymitanum constituerent; ad Clementem Romanum, qui non Petrum, sed Jacobum Episcopum Episcoporum salutarit; ad ordinem epistolarum Catholicarum, inter quas primus locus epistolæ S. Jacobi, ob hujus prærogativam, assignatus fuerit; ad Epiphanium, qui hæresi 70 num. 10 hunc ecclesiæ Hierosolymitanæ primatum agnoverit, provocat. Exposito ita ec-

clesiae Christianorum Hierosolymitanæ in reliquas jure, quod juxta ipsum ad Trajani usque tempora se extendit, ad alterum Ecclesiae intervallum. & hodiernum regimen ejus pergit, illiusque constitutionem, licet ab Apostolis emanarit, omnibus tamen N. T. scriptis recentiorem, ac proinde ibi haud expectandam esse tradit, imo perhibet, minus necessarium esse, ut regiminis ecclesiastici forma, hodie inter Christianos observanda, in sacris literis commemoretur, quandoquidem sine illa mentione parem, imo forsan etiam majorem habeamus saltim regiminis ab Apostolis in ecclesia universa relictæ certitudinem, quam quæ in libris ab Apostolis scriptis nobis relicta fuerit. Sepositis igitur libris Scripturæ canonicis, e quorum silentio regiminis ecclesiastici juri nihil decedere credit, ad recentiora monumenta sese confert, atque ex illis, quæ demum nova jura, & qua ratione, singulis ecclesiis ex Hierosolymitanæ clade accesserint, perlustrare, ac quo melius rerum deinde gestarum nexus intelligatur tempus, quo tanta illa mutatio contigerit, paulo curatius, quam hactenus factum, indagare suscipit, atque docet, post Simeonis Cleopæ cædem, (quam olim anno æræ vulgaris CXVI contigisse sibi persuaserat, jam vero ad initium imperii a Trajano gesti, annum puta CIV vel CV, referendam esse suspicatur) in singulis ecclesiis Episcopos pares Episcopo olim Hierosolymitano successisse, dissipataque ecclesia Hierosolymitana, & causis omnibus primatus spoliata, primatum ipsum etiam Dei providentia fuisse sublatum: episcopis primis potestatem Apostolos dedisse, non tamen tantam, quæ illos ab officio Apostolis debito excusaret: post cædem Simeonis Cleopæ, Collegium Apostolorum Ephesi sub moderamine S. Johannis Apostoli degisse, atque ita primatum ab ecclesia Hierosolymitana ad Ephesinam translatum esse, nec multo post, autoribus Apostolis, nomen Episcopi *πρωτοκαθέδρου*, seu primam sedem occupantibus, proprium fieri cœpisse; non tamen effecisse magnificentum illum Episcoporum titulum, ut Apostolis obnoxii non essent *πρωτοκαθέδρου*: tempus autem, quo hoc novo Episcoporum nomine donati ab Apostolis fuerint *πρωτοκαθέδρου*, in tanta vetustatis caligine constituere, fatetur esse difficillimum, id tamen anno Christi CVI, ante stabilitum a Collegio Ephesino Evangeliorum Canonem præter propter contigisse hariolatur, idque dein probare satagit.

git. Quod Episcopi nomen, commune antea cum aliis, ubique & tam repente *πρωτοκαθεδρι* soli obtinere cœperint, ex suis hypothefibus facile declarari posse affirmat. Juxta ipsius namque mentem, juris Hierosolymitani legitima devolutio rationem omnem exclusit, cur quis merito adversaretur: imo fecit, cur boni omnes æquique amantes eam tuerentur: jus vero illud principii unitatis non corpori universo, sed corporis tantummodo capiti, & personæ adeo singulari, convenire commode potuit: sic æmulos nullos vel unica illa ratio *πρωτοκαθεδρίας*, seu primariæ sedis, admisit: nec de personis, quas in prima sede, ab ultimis Ecclesiæ Apostolicæ Hierosolymitanæ ministris constitutas, repererat ipsa illa devolutio, certamen ullum enasci potuit: etenim quos prima apud suos sede dignos judicavisset ecclesia illa Apostolica, iidem digni etiam juribus, ad primas sedes postea devolutis, censerentur debuerunt. Circa nomen Episcopi observat, quod illud prima significatione Dei proprium sit, inde autem ad alios, qui ejus personam repræsentarent, præcipue autem ad sacerdotes primarios aliosque intimioris admissionis amicos emanarit: quod Apostoli ac Presbyteri exterarum ecclesiarum, nondum coercendi potestate donati, Episcopi appellati sint, quia eleemosynis Deo sacris distribuendis præfecti fuerant. A nexu visibilium Episcoporum cum invisibili causam arcessit, cur singulorum Episcoporum sententiæ jus communionis universalis dederint vel abstulerint. Etenim cum admissus in ecclesiam ab Episcopo in una solum ditione, a Christo etiam similiter admissus sit, & contra ejectus ex ecclesia, a Christo ipso pariter ejectus fuerit: collegæ certe in Episcopatu nulli jus esse potuisse, repudiandi a sua communionem, quem Christus ipse in suam admisit, corporisque sui membrum per vicarium suum visibilem agnovit; nec contra, jus ulli esse potuisse in suam communionem admittendi, quem Christus pariter, per vicarium suum visibilem, a se alienum damnandumque pronunciavit. Hinc in gratiam *Φιλαρχαίων*, quid ecclesiæ Catholicæ nomine intellexerit Ignatius, disquirat, variisque sententiis repudiatis, illum Ecclesiam invisibilem & archetypam, sub Christo archetypo & invisibili Episcopo, Catholicam appellasse asserit; propugnatque ecclesias etiam particulares Catholicas appellari posse, quæ servant cum cœlesti Apostolorum

ecclesia communionem : non posse autem illas , quæ singularum ecclesiarum regimen monarchicum immutare ausæ sint. Porro quid S. Cypriani verba , de una ecclesia , uno episcopo , uno episcopatu , cujus a singulis in solidum pars teneatur , sibi velint , exponit ; ac declarat , Episcopos proprium sibi collegium , & quidem non solum de facto , sed de jure , atque ex ecclesiæ Christianæ commodo constituisse : unum episcoporum ab Apostolis electorum , alterum potestate non superasse : omnem imparitatem , quæ subsequenti tempore inter Episcopos obtinuit , singulorum factis tribuendam esse , quæ tantundem valuerit , quantum ipsa pacta valent. Quam diu vero inter Episcopos paritas illa obtinuerit , tot primævis monumentis deperditis , difficulter admodum definiri posse judicat. Suspiciatur tamen , ad tempora fere Constantini eam perdurasse : iis enim canones Conciliorum de rebus diocesanis privatis primum conditos deprehendi. Quod Episcoporum in sedes vacantes suffiendorum jus , non ad Presbyteria , sed ad Collegii Provincialis Episcopos spectarit , liquidum esse autumat ; difficilior autem Auctori quæstio videtur , num Episcopum episcopatu exuendi jus habuerint Collegæ , cum pares inter se essent , & vere Episcoporum non ausi fuerint esse episcopi. Circa quod problema extra controversiam ponit , quod potuerint Collegæ eum saltim pro Collega non agnoscere , qui seipsum ob admitta crimina episcopi dignitate privavit : sed crimina talia esse oportuisse , quibus non solum meruerit , ut exueretur , sed quæ ipso facto illum exuerint , episcopalisque honoris incapacem fecerint. Ad quæ crimina refert , si quis idolis sacrificarit : cum enim nulla communio Christo sit & Diabolo , nec mensæ Diaboli particeps mensæ Domini particeps fieri queat , multo minus communicantium omnium caput ac unitatis principium cum Christo communionem habere potuisse. Iisdem criminibus accenset , si quis hæresi se commaculasset. Etenim cum literarum formarum finis hic præcipuus fuerit , ut commune fidei depositum hoc commercio inviolatum servaretur , in propatulo esse , qui aliam fidem sequebantur , jus nullum collegii orthodoxi , nec commercii literarum formarum amplius habuisse. In eorum criminum numero schisma denique collocat , utpote quod ab Ecclesia , ac proinde etiam a collegio sacerdotali & collegii commercio , aliquem separavit.

rit. De regiminis ecclesiastici origine cum ita egisset Auctor, in Episcoporum potestate longe majus, quam vulgo creditur, momentum esse monet, atque Reformatos ad restaurandum Episcopatum exhortatur. Demonstrat porro, primævis Episcoporum juribus adversari, quæ Romanus Pontifex sibi vindicat; primatum illum certe ad articulos fidei non posse referri; incertam admodum esse illam Ecclesiæ Catholicæ unitatem, quæ ab unius Ecclesiæ episcopo, tanquam cæterorum capite, arcessitur; bono ecclesiæ publico longe utiliorem esse omnium episcoporum paritatem, quam si unus Episcopi Hierosolymitani hæres Episcopus Romanus fuisset. Absoluto ita primo de veteribus Episcoporum juribus capite, ad secundum de Episcoporum a seculari potestate independentia accedit, ac postquam eandem probare studuit, monet, Principibus secularibus in hoc negotio neque Reformatos, neque Pontificios admodum fidere posse: ad ecclesiæ dissolutionem spectare, si Principibus Episcopos officio ecclesiastico exuendi concedatur potestas; ne quidem commodis suis inservire Principes, vim religioni inferentes: ad bonum reformationis publicum facere, si Episcopi cum primævis suis juribus restarentur: primæva illa Episcoporum jura, ad concordiam cum modestioribus fidei Romanæ sociis promovendam, multum conducere: Ecclesiæ etiam Pontificiæ non prodesse Principis tutelam, si, quam tuetur in Pontificem, ecclesiæ libertatem ipse violaverit: officia in episcopos primæva digna plane esse, quæ hodiernis etiam catechesibus inferantur.

JOSEPHI PITTON TOURNEFORT AQUISSEXTIENSIS, Doctoris Medici Parisiensis, Academia Regiæ Scientiarum Socii, & in Horto Regio Botanices Professoris, Corollarium Institutionum Rei Herbariæ.

Parisiis e Typographia Regia, 1703. in 4to.

Constat plag. 9 & tab. æn. 13.

PEculiare id habet præ aliis studium Historiæ Naturalis universum, maxime Botanicum, ut quo major copia rerum nobis cognita fuerit, hoc majus oriatur desiderium videndi plura. Atque hæc ipsa insatiabilis cupiditas impulit modo nominatum Tournefort

fort, ad suscipiendum iter longe durissimum plenumque multiplici periculo. Vix absolverat Institutiones Rei Herbariæ, (Anno 1701 Mense Augusto a nobis indicatas,) pulcherrimum opus, in quo 673 plantarum genera, sed species 8846 diligentissime describuntur, & ea libido visendi exterarum regiones, Orientales præcipue, invasit eum, ut rariores conquireret stirpes, eas etiam, quas olim celebrasse ac in frequenti usu habuisse veteres Medicorum principes, nihilominus hodie deperditas aut ignotas novimus. Adjutus igitur munificentia Ludovici Magni Regis Galliarum, una cum sociis D. Andr. Gundelsheimer, Medico Germano, & Claudio Aubriet Gallo-Campano, pictore peritissimo, primum ad Ægæi maris insulas tum Cyclades, tum Sporades, abiit, postmodum Constantinopolim, Pontum Euxinum usque Trapezuntem visitavit, in Bithynia, Paphlagonia, Cappadocia, utraque Armenia, Iberia, Galatia, Mysia, Phrygia, Æolide, Lydia & Ionia exploratis collectisque plantis non satiatus rediit: maluisset enim Syriam ac Ægyptum peragrare, nisi pestis inibi dire grassata eum deterruisset. Interim non poenitendos peregrinationis fructus ex locis illis reportavit secum: plantas namque rarissimas 1356, ac inter has 25 genera prorsus nova invenit, atque in hoc Corollario descriptas delineatasque in publicum edidit.

Kurzer Entwurff der Einigkeit der Evangelisch-Lutherischen und Reformirten im Grund des Glaubens/
abgefasset von SAMUEL STRIMESIO.

b. e.

*BREVIS DELINEATIO CONSENSUS INTER
Evangelicos Lutheranos & Reformatos in fundamento fidei, singulari desiderio promovenda unionis Christiane inter utrasque
Ecclesias consignata a SAMUELE STRIMESIO, SS.*

*Theol. Doctore, ejusdemque Professore Ordinario, &
Pastore Primario in Academia Regia
ad Viadrum.*

Apud Jer. Schreyen & Jo. Christoph. Hartmann, 1704, 8.

Plag. II.

Celeberrimus inter Reformatæ religionis Doctores *Samuel Stri-*
mesius, in præfenti Delineatione id agit, ut ostendat, Ecclesiarum
 Lutheranæ - ac Reformatæ - Evangelicarum doctrinas, quod ad fidei
 fundamentum attinet, convenire, ac proinde nihil obstare, quo mi-
 nus colligari in unum cõrpus mutuatque fidei societatem coire
 queant. Trium itaque quæstionum brevi, sed luculenta discussione,
 p. 5. 6. 7. operis tractationem absolvit. Primo enim quærit, utrumne discrimen sit ponendum inter veritates, quæ theologicae aut sacrae tantum dicuntur, & inter eas, quæ cum ipso fidei fundamento arcte connectuntur? Deinde disquirit, quænam istæ sint veritates aut doctrinae, quæ cum fidei fundamento necessarium nexum habeant? Quibus explicatis, probare denique nititur, Reformatos cum Lutheranis, in istis doctrinis, quæ fidei & salutis fundamentum constituunt, convenire, adeoque nullam adesse rationem, cur ad constituendam inter utrasque Ecclesias unionem, animus non sit adji-
 ciendus.

Quod inter veritates tantum theologicas, & quæ fundamentum salutis constituunt, differentia sit admittenda, liquere arbitratur, quoniam priores sic comparatae sint, ut vel plane ignorari, vel memoria iterum excidere possint, salva hominis salute; cujusmodi est doctrina de motu vel quiete telluris. Ipsos Apostolos, Petrum & Paulum, dissensisse inter se de veritatibus quibusdam theologis. In primitiva Ecclesia dissensisse Victorem Episcopum Romanum ab Asiaticis Ecclesiis de celebrando Paschatis festo, vitioque ab omnibus verti Victori, quod ideo Polycratem, Ephesinum Episcopum cum omnibus Asiae ecclesiis a communione absciderit. Lutherum Bohemos fratrum loco habuisse, tametsi ipse fateatur in Præfatione ipsorum Confessionis, quæ Wittebergæ A. 1533 prodiit, adjectæ, quod non in omnibus inter se atque ipsos conveniat. Eundem charos eximiosque habuisse Helvetios, licet non omnino se invicem intellexerint. Esse cum inter Reformatæ, tum Lutheranae Ecclesiae Doctores, in quibusdam dogmatibus dissensum, qui nihilo interim minus unitate Spiritus, per vinculum charitatis, inter semet invicem jungantur. Neque fieri posse, ut in tanta temperamentorum, corporum, intellectus, cognitionis, inclinationum, educationis, institutionis, præjudiciorumque diversitate, & causarum in vel extra hominem po-
 sita-

sitarum, unum idemque omnes sentiant. Proinde nihil aliud fu-
 peresse, quam ut de dogmatibus, ipsum fidei & salutis fundamen-
 tum constituentibus, tantum circumspiciamus, utpote in quibus
 consensus atque unionis ratio solum requiratur. Hinc explicantur
 criteria, ex quibus doctrinæ ad ipsum fidei fundamentum pertinen-
 tes cognosci possint. Nimirum requiri ad hoc, ut vel Deus ipse
 veritates istas ad salutem esse necessarias revelaverit, vel ut ex evi-
 denti consecutione idem intelligi possit. Consequentiam autem
 evidentem vel ad necessariam doctrinam, vel ad expressionem ne-
 cessitatis ejus ad salutem, respicere. Ex quo arguuntur in
 defectu peccantes Sociniani & Arminianorum nonnulli, in excessu
 autem, qui fundamentum substantiale, dogmaticum & organicum
 posuerint, ad quod omnia dogmata, uti antecedens quoddam, aut
 constituens, aut consequens retulerint, & qui consequentias ex Au-
 ctorum hypothesebus sive vere sive perperam deductas, ipsis licet
 vel maxime renitentibus impingant. Cum vero nonnulli sex, alii
 quinque, quatuor alii, & iterum alii tria tantum dissensionis capita,
 inter Ecclesiam Lutheranam & Reformatam constituerint, propo-
 nuntur primum quatuor argumenta, quibus consensus harum Eccle-
 siarum fundamentalis probatur; deinceps vindicantur a dissensu fun-
 damentali tria ista capita, quæ unionem impedire plerisque creduntur.
Primum, quo utrarumque Ecclesiarum consensus in fidei funda-
 mento confirmatur, desumptum est a consensu circa Scripturam
 S. tanquam principium, uti loquuntur, adæquatum credendi atque
 agendi; *secundum* a quinque præcipuis capitibus religionis Chri-
 stianæ, nimirum a Fide, Lege, Oratione Dominica, Baptismo & S.
 Coena; *tertium* a convenientia circa Augustanam Confessionem
 invariata; *quartum* a convenientia circa Formulam Concordiæ
 strictè dictam, & explicantur ea, quæ dubios reddere nonnullos hac in
 re potuissent. Nam cum Formula Concordiæ circa tres tantum ar-
 ticulos, scilicet in loco de *Cæna Domini*, de *Persona Christi*, & de
Prædestinatione, dissensum suum adversus Reformatos testetur, de
 hisce tribus sigillatim sibi agendum esse, putavit Auctor Celeberri-
 mus. Ut igitur nullum dissensum fundamentalem, in articulo de
Cæna Domini, inter Reformatos & Lutheranos intercedere osten-
 dat, docet ex suæ Ecclesiæ Doctoribus, ipsos concedere primo, ve-

p. 27.

p. 30.

p. 33.

p. 34.

p. 36.

p. 42.

p. 43.

p. 46.

p. 49.

p. 57.

p. 62.

- rum corpus & sanguinem Christi vere & substantialiter adesse, atque cum pane & vino distribui; deinde corpus & sanguinem Christi supernaturali & cœlesti modo cum pane & vino sumi; adeoque dissensum constitui tantum in eo, an corpus & sanguis Christi ore sumatur, atque an ab indignis non minus quam dignis ore corporis accipiatur: adductisque Reformationum negandi rationibus, existimat, quomodocunque tandem res comparata sit, illud omnibus perspicuum apertumque esse, dissensum circa hæc ad fundamentum fidei non pertinere, quoniam neque quisquam propterea vitæ cœlestis jacturam pati possit, & ipsi dissentientes circa ea, quæ præcipua in S. Cœna sunt, nimirum quoad spiritualem manducationem conveniant. Imo totum de cœna Domini articulum non esse ex sententia etiam Doctorum Lutheranorum fundamentalem, ac ipsum Lutherum initio reformationis statuisse, non committi errorem fundamento fidei repugnantem, si quis transsubstantiari panem crediderit, in reformationis quoque progressu professum, se amplius Bucero spiritualem manducationem concedenti litem non moturum. Adjungitur quoque responsio ad quinque argumenta, quæ Vir quidam eruditus objecerat, ut omnis circa hunc articulum orta dubitatio tolleretur. In loco *de Christo* concedi inquit a Reformatis fere omnia, quæ Formula Concordiæ proponit: difficultatem in hoc solum motam esse, an naturæ humanæ finitæ, in abstracto sumptæ, communicatæ fuerint proprietates divinæ essentialis, & vice versa; quoniam proprietates essentialis, imprimis in Ente simplicissimo, qualis est divina natura, cum rei essentia unum sint idemque. Sed cum concedatur, Christum esse verum Deum & hominem in una indivisa persona; eidem tanquam vero Deo & homini competere omnia attributa essentialia divina & humana, ne uno quidem excepto; personæ in concreto, sive ab humanitate sive divinitate denominetur, non solum utrasque proprietates, verum etiam quicquid Christus in terris aut cœlo perfecit, aut adhuc agit, aut acturus est, non secundum solum nomen, sed rem ipsam tribui, evidens esse putat, dissensum in hac sublimi materia non esse fundamentalem. Denique in articulo *de Prædestinatione*, approbari a Reformatis dicit Vir Reverendus, quæ in Formula Concordiæ leguntur, quæque non tam Reformatis, quam nonnullis inter ipsos Lutheranos

opposita fuisse deprehendantur. Adducit proinde, ad meliorem intelligentiam, Universalistarum & Particularistarum Reformato-
 rum, atque ipsorum Lutheranorum sententias de Prædestinatione. p. 99. 104.
 Inductos autem fuisse Reformatos, cum nonnullis Lutheranis, ante Hunnii & Mylii tempora, in istam de prædestinatione mentem, ne quid tribuisse viderentur viribus humanis, in consequenda salute nostra. Eandem fovisse sententiam Augustinum & Patres nonnullos. Sed cum vulgo objiciatur, neminem, secundum Reformato-
 rum doctrinam, de salute certum esse posse, quoniam p. 116.
 propositionibus universalibus, in quibus particulares subsumptiones continentur, destituantur; respondet, licet universales absolutæ propositiones de gratia Dei non proponantur, haberi tamen p. 119.
 propositiones universales accommodas sive limitatas, quarum vi tutius quispiam de salute sua subsumere & concludere queat, quam p. 121.
 propositis propositionibus universalibus absolutis, sub quibus etiam impii contineantur. Neque minorem fructum ex hac doctrina percipere convertendos, aut in statu tentationis constitutos. Convertendis enim primo proponi poenitentiam, sub poenitentibus autem ipsos contineri tentatos, adeoque utrosque sub propositione universali accommoda, quod Deus omnes poenitentes & credentes salvos fieri velit, subsumere & judicium de salute sua facere posse. p. 123.
 p. 124.

Quibus explicatis, hortatur & rogat Vir pacis Ecclesiasticæ studiosissimus, ut quisque pro dignitate, doctrina & officio sibi a Deo concesso, ad promovendum opus tam sanctum & salutare connitatur, cum jam majorum vestigia extent, cujus rei exemplum ab Evangelicis Statibus Francofurti A. 1634 editum subjicitur, & Potentissimi Borussiae Regis voluntas plurimorumque studium idem probet. Tanta vero animi moderatione atque candore, in commendando hoc negotio utitur Vir Celeberrimus, ut neque pacem cum veritatis jactura optet, eandemque si rei Christianæ minus convenientem intellexisset, se impediturum profiteatur. p. 143.
 p. 159.

NOVA LITERARIA.

Berolini die proximo 5 Februarii, ætatis anno septuagesimo primo, ad Superos, per placidam analysin, transiisse Theologum ac Poly-

lyhystorem toto orbe celeberrimum, *Philippum Jacobum Spenerum*, publice jam constat. De quo uberrimus dicendi campus nobis pateret, nisi persuasissimum haberemus, futurum proxime, ut justo studio composita Vitæ ejus recensio, & librorum ab ipso editorum catalogus, publicæ luci exponatur. Ex Italia denique, post molestissimas moras, libros expectamus novos, ac inter hos etiam, quos jam mense Majo anni superioris indicaveramus. De quibus proinde memoranda erunt plura, quamprimum ad nos pervenerint. Interim non dissimulamus, *Jo. Vignolæ Dissertationem de Columna Imperatoris Antonini Pii, Romæ in Campo Martio A. 1703 detecta*, cui tum dixeramus ultimam manum imponi, prælo nondum commissam, Auctore hæctenus per morbum præpedito. Contra spes est, *Justi Fontanini Forojulienfis Vindicias antiquorum, Diplomatum adversus Bartholomæi Germonii Disceptationem de veteribus Regum Francorum Diplomatum & Arte secernendi antiqua diplomata vera a falsis*, propediem prodituras. Quem admodum nec id tacemus, *Petri Marcellini Corradini Veteris Latii Profani & Sacri partem primam, seu Latium Gentile, Romæ typis Francisci Gonzagæ publici nuper juris factam*: alteram vero, nempe Latium sacrum, sub prælo jam sudare. Inter libros alios in Italia superiore anno editos commendantur: *Triduana Concertatio de Canone librorum sacrerum, acta in Seminario Montis Falisci*, auctore Fr. Guillelmo Bonjour Tolofano, Ordinis Eremitarum S. Augustini, & in Seminario Montis Falisci Divinarum Litterarum Professore. Apud Montem Faliscum, 1704. 4. *Dissertatio Historica de ducentis Augustinianis Scriptoribus, qui obierunt post magnam unionem Ordinis Eremitici usque ad finem Tridentini Concilii amplioris Bibliotheca Augustinensis prævia*. Authore Fr. Antonio Gandolfo Genuensi. Romæ 1704. 4. *De Prærogativa Oecumenicæ Nomenclationis & Potestatis Romani Pontificis a Constantinopolitanis Præsulibus usurpata, Historica Dissertatio*. Auctore Ant. Vaira Veneto, Patavii 1704. fol. *Vita di S. Emidio Vescovo d' Ascoli, e Martire* Composta da Paolo Antonio Appiani della C. di Gesu, Consultor della S. Congregazione dell' Indice. Edizione seconda. In Roma, 1704. 8. *De Aure humana Tractatus, in quo integra ejus fabrica multis novis inventis & iconismis illustrata describitur*. Auctore Antonio Maria Valsalva, Bononiæ, 1704. 4. De aliis alias.

A C T A ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Aprilis, Anno MDCCV.

THE HISTORY OF THE REBELLION AND CIVIL
Wars in England, begun in the Year 1641. Written by the
Right Honourable EDWARD CARL OF CLA-
RENDON. Volume the first.

Oxford, printed at the Theater, 1704. fol.

HISTOIRE DE LA REBELLION ET DES GUER-
res Civiles d'Angleterre, depuis 1641 jusqu'au retablissement du Roi
Charles II. Par EDWARD COMTE DE CLARENDON.
Tome I divisé en deux Parties.

A La Haye, chez Louis & Henry van Dole, 1704. 12.

i. e.

HISTORIA REBELLIONIS ET BELLORUM ANGLIÆ CI-
viliū ab A. 1641 usque ad restitutionem Caroli II Regis. Au-
ctore EDUARDO CLARENDONII CO-
MITE. Tomus I.

Anglica editio constat Alph. 6. plag. 9. Versio autem Gallica
Alphab. 2.

MOtuū inter imperantes atque subditos civilium exempla, plu-
rium quidem regnorum ac provinciarum annales nobis fugge-
runt, nunquam vero, per omnium seculorum decursum, aliud magis
detestabile aut abominandum reperimus, quam intestinum istud Ma-
gnæ Britanniae bellum, quod ne Augusto quidem Caroli I Regis san-
guine, sacrilega carnificis manu, præter omnem cultioris ævi ac populi
honorem, effuso confici vel extingui potuit. Cujus historiam quum

T

mul-

multi pro variis partium studiis varie contexuerint, neminem tamen stylo moderatiore & majore cura composuisse novimus, quam EDUARDUM HYDE, CLARENDONII Comitem, Magnum olim Britanniae & Universitatis etiam Oxoniensis Cancellarium, virum de regis partibus, quas sequutus est semper, & de muneribus ipsi collatis optime meritum, sed eo nomine infelicem, quod, licet perpetuus Caroli II Regis in exilio comes, & post ejus restitutionem, gravissimorum in Anglia negotiorum administer fuerit, Parlamenti nihilo minus jussu solum vertere, & relicta patria senectutis suae annos residuos apud exteros transigere, coactus fuit. Cujus quidem rei causa credita multis fuit, quod Jacobus Eboracensium tum temporis Dux, Regis Frater, qui rejectis Reformatae Anglorum Ecclesiae symbolis, ad Pontificiorum scholas transierat, filiam ejus, patre plane inscio, in matrimonium duxerat: tametsi insigni profecto, quod eventus docuit, Britanniarum emolumento, quandoquidem ex ea duas filias suscepit, quarum altera MARIA, Guilielmo Arausionensium Principi deinceps nupta, anno superioris seculi octavo supra octogesimum, libertatem populi atque Ecclesiae Anglicanae, contra ipsum parentem Jacobum, Romanensium infestis machinationibus nimis faventem, servavit; altera vero ANNA, Georgio Danorum Principi nupta, & post Mariae ac Guilielmi decessum, Magnae Britanniae, Franciae ac Hiberniae Regina, augustissimis hodie auspiciis regnat, ac una cum Foederatis, per terrestrium ac navalium copiarum ducem celebratissimos, Gallorum, Hispanorum Bavarorumque, universae Europae hactenus insultantium, potentiam reprimat. Accesserunt interim malevolentiae adversus Clarendonium aliae dein rationes, Pontificiorum scilicet, quorum occultis in aula conatibus mascule obstiterat, & foemellarum insuper odium, quarum amoribus Carolus II Rex nimium quantum capiebatur, nihili plane habitis rumoribus, quos de scandalosa earum vita, & exosa cordationibus Anglis indole, saepissime ad Regem detulit Comes noster. Colophonem denique infortunio illius addiderunt multi ex comitatu aulico male erga ipsum animati, qui quod Regi Carolo consultum ab eo fuisse crederent, ut illos, quos nuper hostes habuerat, beneficiis majoribus sibi devinciret, veteres autem amicos & clientes fidos negligentius haberet, Curiae sive Parlamenti Anglicani Adfessores indefinenter stimularunt, ut edicto publico venerandus senex in exilium

lium mitteretur, cujus tamen facti Regem postea plus vice simplici poenituit.

Hic ergo Hydius, Clarendonii Comitis titulo postmodum decoratus, rebellionis Anglicanæ descriptionem duplici de causa adortus est, tum quod ad id faciendum Carolus I Rex jussu suo calcar addidisset, tum quod omnium, quæ gesta sunt, spectator ipse atque auditor extitit. Erat enim inferioris in Britannia Curia (la Chambre des Communes) Senator, atque in Comitibus A. 1640 habitis, regiam auctoritatem tamdiu contra calumniatores & novaturientes pro virili tutatus est, donec cum aliis furori insanientium cedere, atque in Carolinis castris receptum quærere, necesse duxit. Ne autem illi, qui a regio capite tempestatem hanc exitiabilem omni conamine avertere contenderunt, atque id propter a sectariis Cromwellianis in Annalibus eorum male traducuntur, merita laude apud posteros excidant, aut paucorum hominum malitiosa pervicacia, per quam parum abfuit ut universa Britannorum natio ad incitas redigeretur, ex memoria hominum deleatur, huc quidem celeberrimi Auctoris Commentarii faciunt, quorum Tomum primum, quos duo alii excipient, in quinque Libros distinxit. *Primus* exhibet ultimos regiminis a Jacobo I Rege exerciti annos, iter; Caroli Principis cum Buckinghamio Duce in Hispaniam, pro ineundo cum Infante Hispanica matrimonio susceptum; Jacobi Regis obitum, Buckinghamii cædem, præcipuorum Status Administrorum characteres, ac Caroli filii successoris in Scotia coronationem, variorumque tumultuum, ob Liturgiam Anglicanam Laudi Cantuariensis Archiepiscopi suafu Scotiis Ecclesiis obtrusam, semina. *Secundus* motuum a Scotis excitatorum circumstantias, belli intestini exitum, novi deinceps dissidii inter Scotos & Anglos exorti mala, & Parlamenti Anglici a Rege dissoluti causas recenset. *Tertius* Parlamentum anno 1640 a Rege convocatum nobis sistit, quod fatali turbine Regiæ Majestatis jura prorsus pessumdedit, & Straffordio Comiti d. 22 Maji anni 1641 caput amputari jussit. *Quartus* Regem ad Scotos ob pacem cum iis sancientiam profectum, mox ad Londinenses reducem, sed ob Curia inferioris atrocissimos insultus, ad Eboracenses profugum exhibet. *Quintus* denique liber molimina Regis apud Eboracenses degentis contra Parlamentum suscepta, missos a Rege ad Curiam, a Curia vero rursus ad

Regem libellos varios, tum adparatum utriusque partis bellicum, & signa exeunte mense Augusto anni 1642 invicem collata narrat.

Hæc summa commentariorum superficialia est: de cætero argumenti, quod Illustris Auctor pertractat, amplitudinem, ordinem rerum, eventuum plane singularium circumstantias, virorum maximorum characteres, studia partium, & quem in narrationibus singularis præ se tulit, candorem, quis est, qui illa recensibus nostris hætenus adhibita brevitate, extremis licet ductibus, delineare queat? Hunc enimvero in censum veniunt, quæ Libro primo de Georgii Buckinghamii Ducis apud Jacobum & Carolum Reges gratia, de itinere cum Carolo Principe in Hispaniam factò, ac post irritas matrimonii inter Carolum & Hispaniarum Infantem ineundi pactiones, belli Philippo III indicti causis legimus. Et has quidem minus recte amoribus Buckinghamii cum Olivaresiana conjugè tribui, Auctor monet, quum Olivaresiana provecæ jam ætatis ac neglectæ formæ fœmina fuerit. Ast non dissimulat, Ducem, cum postea in Gallia Legati munere, ad conciliandas inter Virginem Regiam Henricam Mariam & Carolum I Angliæ Regem nuptias fungeretur, indecentiore ac tantum non infano in Fœminam Principem amore exarsisse, & postquam Regiam Sponsam in Angliam deduxisset, prosequendo amoris novum splendidissimumque in Galliam iter meditatatum fuisse, cumque admonitus esset, a fidis ministris de vitæ insidiis a Gallis, qui rem subodorati fuerant, redire auso structis adeo excanduisse, ut *Fœminam Principem ingratis totius Franciæ se invisurum* exclamaverit, implacabili exin in Gallos odio concepto. Quæ nimia in Viro linguæ licentia tanto minus mira nobis videtur, quando Clarendonius memorat, Ducem aliquando eo audaciæ pervenisse, ut Regiam Caroli I uxorem, quod Buckinghamii matrem tardius, quam promiserat, invisisset, indecenter admodum increpauerit, & *illam* cordatius paulo respondentem *scire jusserit, non deesse apud Britannos exempla Reginarum, quibus capita ense fuerint rescissa.* Istud autem inprimis in Buckinghamio, maximo alias sæculi sui Duce, notavit Auctor noster, neminem ex familiaribus ejus fuisse, qui ipsum fragilitatis suæ atque odii, non apud proceres tantum, sed & apud plebem, obstinatione nimia contracti admoneret: inde siquidem factum esse, ut non tantum Jacobi Regis, paulo ante obitum illius, gratiam, sed vitam denique ipsam, a Joanne Feltono, cultro in pectus Ducis impacto.

perdiderit. Quæ de turbis Scoticis Libro secundo occurrunt, legi omnino merentur, extatque hoc inter alia singulare Argatheliæ Comitis, animum erga Regem optimum valde ingratum gerentis, monumentum. Nimirum Parens ejus hunc suum filium prodigum, atque paternis admonitionibus rarius obtemperantem, exheredare constituerat, sed quo minus id faceret, Carolus Rex intercessit, qui exacerbatum patris animum ita emollivit, ut filio bonorum omnium aditum concederet, sibi tantum, ceu seni, certa annuorum reddituum portione servata. Quæ pactorum tabulæ dum signarentur, patrem ita ad Carolum Regem loquutum fuisse, Hydius noster scribit: *Domine, jussa tua jam exsequutus sum, quamvis valde invitus. Sed vereor, ne indoles filii mei tibi minus cognita sit, quam par erat. Animo enim præditus est vafro atque infido, quique neminem constanter colit. Vires ac reditus juvenis ex voluntate tua auxili, qui tamen, si occasio affulserit, primus omnium adversus te ipsum insurget.* Neque istud de filio augurium falsum fuit, quippe Regis partes in disidiis Scoticis inter primos postea deseruit. Cumque is Montis-Rosarum Comitem in plurimis æmulum haberet, factum est, ut ambo illi juvenes, ambitione sua quietem Scotiæ continuo turbantes, ad exemplum Romanorum *Cæsar & Pompejus* adpellarentur, quorum ille, Lucano teste, neminem priorem, hic vero parem neminem ferre potuit. In tertii Libri memorabilibus, tragicus Comitis Straffordii casus locum præcipuum meretur. Cum enim Parlamenti inferioris Curia membra, sanctioris apud Regem Consilii conatus & decreta exactiori censuræ subjicerent, regimen Episcopale tollendum penitus existimarent, Episcopos a consensu superioris Senatus (qui ex Ducibus & Paribus Angliæ constat) arcerent, variisque artibus & Regis fatali quadam indulgentia, Carolum ad triennalis Parlamenti constitutionem adigerent, (id quod primum destructæ paulatim regis auctoritatis indicium fuit) inter præcipua calamitatis publicæ momenta captivitas quoque Comitis Straffordii, Proregis Hibernici, numeranda fuit, cui præter alia accusationis capita, id quoque objecerunt, quod *minimum regis auctoritatis digitum plus valere, quam integrum Legum corpus,* dixerat. Itaque in necem viri vaferrimus

rimus quisque conspiravit, & Comes, regiae quasi caedis praecursor, quum omnia retro ire, civilibusque bellis enses adparari mente praesaga jam videret, ipse ad maturandam mortis suae sententiam Regem hortatus est, ne fortean, ob consensum summi Principis denegatum furibunda, plebs ab insanientibus ejus adversariis ad tumultum concitaretur, & Regiae Majestati per refractarios ignominia fieret. Ex illo autem tempore, omnium fere infortuniorum cumulus Anglos simul oppressit. Romanenses enim in Hibernia, temporis opportunitate usi, circiter quadraginta millia Protestantium intra paucos dies maetabant. Scoti rebelles patriae suae fines egressi, ipsam Angliae Septentrionalis oram infestabant. Parlamentum vero non pedetentim, sed torrentis instar in Regem grassari, omnia ejus jura & praerogativas subvertere, fidissimos quosque Principis comites, quamvis culpae nullius confcios, vel ideo tamen, quia sectariis candor illorum displicuerat, ad carceres destinare, commeatui bellico & munitionibus regis perditissimos ex suo grege homines praeficere, omnia Caroli molimina sinistre interpretari, & famosissimos quotidie libellos Regis edictis opponere, atque adeo administrationis robur & suprema regni jura suae tantum libidini mancipare, non dubitavit. Quinam Carolo in tanta rerum inclinatione animus fuerit, quae ratione praefecturam castris Hullensis, imperium classis, exercitum terrestrem, commeatum omnem, nervum insuper gerendi belli, modo nimia indulgentia, modo rigore nimio amiserit, quibus dolis inferior Curia Senatores ac Purpuratos regni in partes suas pertraxerit, quanam consiliorum in singulis congressibus diversitas, quis Remonstrationum, uti adpellabant, ab utraque parte publicatarum tenor, quanam praecipuorum rebellionis capitum artes & ingenia fuerint, id omne accuratissima & cogitata scriptione in reliquis libris Auctor noster adnotavit, ad quem lectores plura scire desiderantes merito ablegamus. Dolemus tantum, posteriores Tomos, in quibus Historiam civilis belli ab anno 1642 ad 1660, quo septima Junii mensis die, Carolo II Regi diadematis aviti honor restituebatur, persecutus est, nondum publici juris apud nos esse factos. Neque enim dubitamus, si leonem ex ungue aestimare liceat, reliquos etiam libros multa
omni-

omnino singularia continere, quorum intimiorem notitiam Cancellarius noster ex schedis publicis hauserat, & quæ in aliis tumultuum Anglicorum commentariis frustra quæremus.

A COLLECTION OF VOYAGES AND TRAVELS.

i. e.

SYLLOGE ITINERARIORUM, QUORUM ALIQUA e linguis exoticis in Anglicam translata, alia nunc primum e schedis Auctorum prodeunt: quibus accessere quaedam & olim Anglice impressa, sed rariora & præstantiora.

Volumina IV.

Londini, apud Awnsham Churchill & Johannem Churchill,
1704, in fol.

Constant Alph. 39½, & quamplurimis figuris æneis, tam separatim impressis, quam passim textui insertis.

NOn uno anno absolutum est tam vastum opus, si quid e præfixo Wilhelmi Regis privilegio, quod annum 1700 subscriptum habet, conjectare licet, nec tantæ molis futurum speraverant initio Bibliopolæ, qui cum e majoribus operibus compendia facere constituissent, mutata sententia, integra nunc scripta figuris suis omnibus exornata repræsentant, spem insuper facientes, se, quæ plura in ipsorum manus inciderint lectu digna, aliis deinceps supplementorum tomis publicaturos. Præmissa est operi, præter præfationem generalem librorum insertorum conspectum exhibentem, Dissertatio præliminaris, qua universa Historia Navalis, ab origine ad nostra hæc tempora, per complures paginas erudite traditur. Ut enim de ipsis profectionum maritimarum, ab A. 1360 ad nostra tempora, a variis gentibus institutarum Annalibus, qui hic exhibentur, nihil dicamus, elegantia sunt, quæ de origine navium earumque usu, imprimis apud Phœnices seu Cananitas, tum & apud Græcos & Romanos, e probatissimis scriptoribus, speciatim e Bocharto & Morisoto afferuntur; qua occasione obiter etiam de Salomonis profectione in Ophir, seu Indiam, ut Noster putat, Orientalem ductu stellarum facta agitur, & Plinii locus ex L. V. C. 12 producitur, ubi Phœnicibus quinque inventa, literæ, stellarum
cogni-

cognitio, navigandi ars, disciplina militaris, & exstructio urbium tribuitur. Hinc de recentiori acus magneticæ invento agens Auctor, negat in Plautino illo versu in Mercat.

Huc secundus ventus nunc est, cape modo versoriam,
per versoriam, quod quidam voluere, acum illam indicatam, eoque veteribus non ignotam fuisse. Neque ejus acus usum a Paulo Veneto, circa annum 1260 e China reduce, ad Europæos primum translatum fuisse putat, etsi Lusitani asserant, Chinensibus a multis seculis familiarem eum fuisse. Quin optimo jure ejus acus inventionem tribui credit Flavio Gioiæ, Amalphitano, qui circa A. 1300 vixit. Cæterum de mirandæ rei hujus causis parum Noster est sollicitus, earumque inquisitionem perdocto in Anglia Viro permittit, cujus meditationes de Magnete propediem expectentur. Subjectus est huic dissertationi catalogus plurium Itinerariorum, quæ passim non uno idiomate prodierunt, quorum simul characteres describuntur. Ex his non erit ab hoc loco alienum, nonnullas Itinerariorum collectiones referre. Commendatur imprimis Theodori & Johannis de Brye *India Orientalis & Occidentalis*, Francof. 1624 VI voluminibus in fol. impressa, qua in collectione præstantissima quæque de utraque India Itineraria, e linguis, quibus exaratae erant, in Latinam translata exhibentur. Meliorem tamen, eamque omnibus penè numeris absolutam Syllogen, jam antea A. 1613 vulgaverat inter Italos Jo. Baptista Ramusio, sub tit. *Delle Navigazioni & Viaggi*, Venetiis III voluminibus in fol. editam, in qua itinera ad omnes mundi plagas suscepta singulari studio collecta comparent. E Gallis notus satis est Melchisedecus Thevenot, qui duobus in fol. voluminibus varia itineraria Gallice vulgavit. Ex Anglis demum primus Richardus Hacluytus Itineraria varia, *Voyages by Sea and Land*, collegit, & tribus partibus, quæ spissum in fol. volumen faciunt, divisa Lond. 1598 publici juris fecit. Quem secutus Samuel Purchassius varia pariter Itineraria, sub titulo *Pilgrims*, Londini 1625 V voluminibus in fol. edidit; uterque nullo delectu usus.

Majori cum cura versati sunt, quicunque volumina hæc collegerunt. Continentur autem in Vol. I p. I Hispani cujusdam Dominicanus, Ferdinandi Navarette, *Relatio Historica, Politica, Moral*
 ralis

ralis & Ecclesiastica de Regno Chinae, quae Hispanice conscripta in paucissimorum manus pervenit, quod artibus Jesuitarum, qui liberius ab Auctore L. II actiones Missionariorum in China expositas indignabantur, factum, ut ab Inquisitionis magistris, antequam publice prodiret, vendi prohiberetur. Quantum quidem ad Auctorem, is anno 1646 in Philippinas primum Insulas delatus est, unde de his quoque curiosa multa operi inseruit; inde ex longo itinere redux factus, anno 1673 Archiepiscopatum Hispaniolae obtinuit. Pag. 425 Martini Baumgarten Iter in Aegyptum, Arabiam, Palaestinam & Syriam anno 1507 institutum, e Latino exemplari, quod manu Josephi Scaligeri emendatum erat, Anglice, praemissa Auctoris vita, translatum, in quo praeterquam, quod multa de veteri harum regionum historia inserta sunt, singularia habentur, quae de Mamalucis Auctor affert. Pag. 303 Relatio de Regno Cilensi, auctoribus Henrico Brewero & El a Herckemanno, qui eo A. 1642 & 1643, jussu Societatis Indiae Occidentalis, quae in Belgio obtinet, profecti erant. Pag. 526 brevis Insulae Formosae Descriptio, auctore Georgio Candidio, verbi Divini quondam apud Belgas in ea insula Ministro; quam quo jure quave injuria sub censuram nuperrime Georgius Psalmanaazaar, qui in insula illa natum se contendit, in nova Formosae Insulae Descriptione, Anglice & Gallice edita, vocaverit, alii viderint. Pag. 534 Auctoris anonymi de Japonia, Regumque & magnatum Japonensium annuis redivibus, observationes curiosae. Pag. 541 Johannis Monckii Iter in partes Septentrionales, jussu Christiani IV Daniae Regis A. 1619 & 1620 susceptum, antea Germanice Francof. A. 1650 editum, quod & ob veritatis studium apprime commendatur, & de Gronelandia potissimum, tum veteri, tum nova, singularia habet. Pag. 571 descriptio Ucraniae, in qua Auctor Gallus Beauplan, Matheseos peritissimus, per complures annos, circa medium seculi superioris versatus est, & non minus circa mores, quam naturalem ejus provinciae historiam, parum alias nota observavit. Pag. 611 & 651 duo Itinera in Regnum Congum a Missionariis facta, quae Italice antea prodierant; & denique pag. 767 Thomae Roe, Jacobi I Angliae Regis ad Indorum Monarcham Ichan Guire Legati, Iter, quod ut in Purchassii collectione mancum exhibetur, ita a Thevenoto Vol. I recusum est haud magis castigat.

In Volumine II extat primo loco Johannis Nieuhoff Iter in Brasiliam & Indiam Orientalem, quod pluribus figuris ornatum Belgice primum prodiit. Inde p. 371 sequitur Iter & fata Johannis Smithi, Angli, in Europa, Asia, Africa & America inde ab A. 1592 ad A. 1629 peregrinati, quo in opere singularia sunt, quæ ad Anglorum in Nova Anglia ab A. 1624 ad A. 1629 stabilitas sedes pertinent. Pag. 413 Diaria duo ab his, qui circa annum 1634, partim in Insula S. Mauritii prope Gronelandium, partim in Montibus Acutis, seu Spitzberga decesserant, relicta; & pag. 429 brevis Relatio de nonnullis, qui haud procul Spitzberga naufragium passi sunt anno 1646: cuncta e Belgico idiomate translata. Pag. 431 Isaaci Peyrerii, qui Gallorum ad Danos legato ab epistolis fuit, & auctor creditur libri de Præadamitis, Descriptio Islandiæ & Gronelandiæ, quam stimulante Mothe-Vajerio dedit Gallice. Pag. 479 Thomæ Jamesii, Angli, Iter ad detegendam novam viam, qua per Septentrionalem atque Occidentalem plagam perveniri possit in mare Australe (*for the Discovery of the North-West Passage into the South-Sea*) susceptum, quod ut apud curiosos vulgo in pretio est, ita imprimis Boyleo singulares de frigore observationes suppeditavit. Pag. 545 & seq. inserta sunt duo Itinera e Belgico traducta, alterum Legati Moscovitici in Chinam, (e quo apparet, quod obiter notamus, Pequinum cum Cambalu urbe, quam per errorem in Tartaria collocant, plane eandem esse;) alterum Zachariæ Wagneri in Brasiliam & Indiam Orientalem: utrumque perbreve. Nec immerito inter itineraria p. 557 refertur Vita Christophori Columbi & Historia Indiæ Occidentalis ab eo detectæ, auctore filio ejus Ferdinando Columbo, Italice consignata; quippe præter observationes varias, ab ipso Christophoro in ea expeditione factas, singula exhibet, quæ ad detectam circa annum 1492 Americam pertinent. Pag. 689 sequitur Johannis Gravii Pyramidographia, de qua ex ejus Vita, a Viro Clarissimo Thoma Smitho conscripta, in Actis nostris A. 1700 p. 516 diximus, ut plura hoc loco addere supersedeamus; cui jungitur p. 737 ejusdem Auctoris Syntagma de Pede Romano & Denario, de quo pariter l. c. pag. 517 mentionem fecimus. Denique accessit pag. 787 Christophori Borri Narratio de Cocinchina, Italico olim idiomate:

conscripta, quæ, quanquam prolixa non sit, elegantissimas observationes complectitur.

Volumen III exhibet pag. 1 disertam eamque accuratissimam Relationem de Regno Cile, quæ auctore Alfonso de Ovalle, Romæ A. 1649 Hispano sermone prodierat, & digna nuper visa est Societati Regiæ Anglicanæ, ut ejus in vernaculum traducendæ provinciam Socio cuidam suo demandaverit: complectitur enim de rebus Peruvianis & Mexicanis parum alias obvia, & ob fidem singularem, præ cæteris omnibus ejus generis scriptis commendatur. Sequuntur pag. 154 Wilhelmi Monsonis Dissertationes ad Rem Navalem spectantes, nunc primum e schedis Autoris vulgatæ, cujus ubique fides atque ingenuitas emicant. In his res sub Elisabetha & Jacobo I in mari gestæ, quibus ipse interfuit, tum navales pugnas ordinandi modus, prælia inter Hispanos Anglosque in ipsis Indiæ Occidentalis littoribus commissa, Caroli I ad Gades conatus, Anglorumque apparatus navalis omnis, ut & quæ ab Hispanis atque Lusitanis in Asia, Africa & America paulatim fuerint detecta, eleganter ab Auctore, & ut virum harum rerum peritum decet, describuntur. Clauditur hic tomus pag. 561 Descriptione littorum Malabaricæ, Coromandelæ, & Ceylani insulæ in India Orientali, quæ auctore Philippo Baldæo, Delphensi, Amstelodami A. 1672 Germanice excusa prostat, e qua patet, quemadmodum Lusitani eas primum ditiones occupaverint, utque ejecti iterum fuerint a Belgis, quæ sit quoque adjacentium ditionum ratio, quæ lingua Malabarica, quæ religio Indorum Orientalium.

In Volumine IV existat pag. 1 Iter circa mundum recentissimum a Francisco Gemello Carenio, qui anno demum 1698 ex eo itinere redux factus est, viro non modo opibus probe instructo, verum & in re omni versatissimo, & legum Doctore, Italico idiomate VI voluminibus in 8 vulgatum. In quo uti de Turcia imprimis, Persia, India, China, Insulis Philippinis & Nova Hispania, magna cum cura egit, legesque & mores gentium, & ipsas quoque plantarum figuras diligenter annotavit Auctor, ita & distantias locorum, si quisquam alius, accuratissime designavit. Pag. 607 Anonymi cujusdam Belgæ Relatio de Regno Corea & Insula Quelpartia, quo ejectus per naufragium fuerat; quæ cum

sola sit, quæ de Regno illo exstat, (quandoquidem peregrini, qui eo delati sunt, haudquaquam iterum dimittuntur,) lectu digna futura erit, si modo vera narrat Auctor, qui se singulari fato liberum evasisse refert; quod Nostri quidem editores, qui e Gallico sermone librum traduxerunt, in dubium non vocant. Pag. 633 Descriptio Itineris a duobus Germanis, Antonio Sepp & Antonio Behme, ex Hispania in Paraguaïam regionem Americæ Meridionalis A. 1691 suscepti, in qua de urbe ejus, quæ Bonus aer (*Buenos ayres*) dicitur, non injucunda habentur: prodierat autem antea Belgice. Pag. 665 Fragmentum de Insulis Salomonis in mari Australi sitis, & A. 1695 ab Hispanis detectis, quod & Collectioni Thevenoti insertum est. Pag. 680 Historia Paraguaïæ, Tucumania, Fluvii Argentei (*Rio de la Plata*) Paranæ, Guairæ, Urvaicæ & Ciles, a Nicolao del Teeho, Jesuita, qui per annos viginti quinque in eo tractu commoratus est, Latine consignata. Pag. 808 Eduardi Pelhami Narratio de octoviris in Gronelandia A. 1630 miro modo servatis. Pag. 822 Jo. Baptistæ Morini Iter ad fodinas Hungariæ A. 1615 factum, & pag. 829 Wilhelmi Ten-Rhyne Relatio de Capite Bonæ Spei & Hottentotis: uterque libellus e Latina lingua translatus. Denique pag. 846 Richardi Bollandi Delineatio Eretri Herculei A. 1615 facta, variisque observationibus illustrata. Accessit singulis Tomis Index realis locupletissimus.

THE SCOTTISH HISTORICAL LIBRARY.

i. e.

BIBLIOTHECA HISTORICA SCOTICA, Exhibens brevem conspectum Auctorum plerorumque, qui scribenda Generali Scotia Historia, ad unionem usque Angliæ atq; Scotiæ, inservire poterunt. Auctore WILHELMO NICOLSON Archi-Diacono Carleolensi.

Londini, apud T. Childe, 1702, 8. Alph. i. pl. 3.

ET si sero exhibemus hanc Scotiæ Bibliothecam, tantum tamen abest, ut Bibliothecæ Anglicanæ, quæ eodem auctore tribus tomis, in Actis nostris A. 1697 p. 27, A. 1700 p. 245, & Suppl. T. III p. 257 ex merito commendatis, prodiit, postponi quoad ac-

curatum Historicorum recensum debeat, ut potius se ipsum in ea superasse Nicolsonius sibi videatur, eoque prætermittenda nobis omnino non sit. Non est tamen, cur in erudita præfatione diu hæreamus, in qua de Comitibus Clericorum (*convocations*) deque antiquitate jurisdictionis Archiepiscoporum, ut & Communium in Parliamentis, & rebus quibusdam aliis, contra Atterburium disputat, a quo se indignius habitum queritur. Strypius vero, qui Vitam Cranmeri scripserat, & a Nostro, ob immodicum pruritus res heterogeneas infarciendi, notatus fuerat in Bibl. Angl. T. II (unde nos quoque censuram transcripsimus Suppl. T. III p. 264) modestiam laudat, eique injuriam a se factam fatetur, atque eo nomine notatum potius cupit Hacketi librum *Lof of A. B. Williams*, eodem fere tempore vulgatum. Tum quibus præsidii instructus ad hanc Bibliothecam scribendam accesserit, declarat. Quippe non tantum in Anglia in Longavillanam, Lambethanam item, & imprimis Cottonianam, Bibliothecas admissus est, quarum hæc refertissima monumentis Scoticis (quandoquidem ipse Johannes Cottonus e Regia Brussiorum Scotiæ familia oriundus erat) verum & in ipsa Scotia referatos omnes loculos reperit, speciatim vero, quæ ab Alexandro Seton de Legum scriptoribus, & a Roberto Sibbaldo de reliquis omnis generis monumentis communicata habuit, magnopere extollit. Sed ad ipsum librum convertimur, in quo recensendo ita versabimur, ut potissima eorum librorum habeatur ratio, qui, ex quo Acta hæc condere cœpimus, prodire, & ad nos e Scotia allati non sunt. Capite I, quod de Geographiæ, Historiæ item Naturalis, & formæ Regiminis, quod in Scotia obtinuit, scriptoribus conscriptum est, commendat primo Tacitum in Vita Agricolæ a Guilielmo Barclajo egregie illustratum, quem obiter notat tanti æstimatum fuisse Lipsio, ut ei calæmum suum testamento legaverit. Optat autem, ut, quæ in manibus habeat laudati Sibbaldi manuscripta, nempe *Britannia Cornelii Taciti & Conjectanea in eam tabula Ptolomæica partem, quæ Septentrionalem Insulæ plagam describit*, in lucem prodeant. Tum præter Ptolomæum & Antoninum, Nennium imprimis & Bedam in Geographicis legendos putat, Hæstorem vero Boethium diligentem quidem, sed credulum scri-

Præf. p. 2. sq.

p. 36.

p. 37.

p. 38.

p. 2.

p. 7.

p. 10.

- p. 11. ptorem appellat, a quo Brigantes in Gallovidia, Silures in Car-
 ricta, & Deiri in Laudonia perperam collocentur. In Leslæi De-
 scriptione Scotiæ, æque ac in ejus Historia, singularem agnoscit pru-
 dentiam. At Camdenum ait, ob Scoticas origines non satis in-
 tellectas, nonnullorum censuras incurrisse, ut Humii, qui *Camde-*
 p. 14. *nea*, & Drummondi, qui *Nuntium Scoto-Britannum* & librum
 Anglicum *Perspicilla Camdeno parata* reliquit, quæ adhuc in scri-
 niis latent. Imprimis autem in Geographicis *Theatrum Scotiæ*,
 p. 17. quod in Atlante Bleaviano exhibetur, commendat, & in eo sin-
 p. 18. gularem operam Roberti Gordoni laudat, cujus tamen eruditas
 observationes bibliopolam Amstelodamensem passim addit muti-
 lasse, ut, quod Carolo II destinatum opus erat, posset eo aptius
 Cromwello A. 1655 dedicare, cui ne displicere omnino liber pos-
 set, Buchanani dialogum de Jure Regni reliquis opusculis in eo
 p. 25. Theatro obviis præmiserit. Novum deinde *Theatrum Scotiæ* Londi-
 p. 26. ni A. 1691 vulgatum conscripsit Johannes Slezer, cui idem fere acci-
 dit; nam cum figuris, quæ admixtæ sunt elegantissimæ, Latinas
 descriptiones subjecisset, eas mendose satis in Anglicam linguam,
 inconsulto prorsus auctore, translatas bibliopola publicavit. Cæ-
 p. 21. terum nuntiat Noster, Johannem Adair, Hydrographi Regni
 p. 22. Scotiæ titulo dignissimum, littorum Scotiæ descriptionem & map-
 pas hydrographicas elegantissimas componere, & sub titulo, *Descri-*
ption of the Sea-Coasts and Islands of Scotland editurum.
 p. 27. In Historia Naturali, præter Andream Balfour, magnopere com-
 mendatur Robertus Sibbaldus, cujus *Scotia illustrata* Edinb. 1684
 f. prodiit, mox cum supplementis novis recudenda. Quantum
 p. 32. ad Rei Herbariæ scriptores, non inficiatur quidem Auctor, Josi-
 nam Regem Scotorum a Boethio L. II Hist. Scot. herbarum per-
 quam gnarum perhiberi, utrum autem, quod Baleus tradit, *de*
 p. 33. *herbarum viribus* librum consignaverit, in medio relinquit. Mul-
 tum vero extollit Jacobi Sutherlandi *Hortum Medicum Edinbur-*
gensem Edinburgi A. 1683 editum, cujus locupletior editio indies a-
 p. 34. vide expectatur. In Re Metallica producit Thomæ Atkinsoni
 manuscriptum de Metallis Scotiæ librum, & Johannis Borthwick
 brevem *Narrationem de Metallis & Mineralibus in Scotia*. De
 p. 36. Jure Populi apud Scotos, primus aliquid commentatus Nostro di-
 p. 37. citur

itur David Chambre in dissertatione, quæ libro, *Histoire abrégée de tous les Roys de France, Angleterre & Escosse*, Parisiis A. 1579 edito annectitur, ubi populum Scoticum, ob bella cum Britannis, supremam suam potestatem in Fergum transfulisse, eumque primum Regem creasse scripserat. Quam sententiam statim biennio post Georgius Buchananus, edito Edinburgi dialogo *de Jure Regni apud Scotos*, pluribus argumentis tutandam suscepit. Verum ut primum postea Parlamentum convocatum est, A. 1584 publica censura illius decreto uterque liber notatus est. Cum itaque aliquo usque sopita controversia esset, resuscitavit eam demum Rutherfordus, & in libro *Lex Rex* Londini A. 1644 vulgato, Maxwellum alterius libri, *Sacrosancta Regum Majestas* inscripti, auctorem false perstrinxit, Regibus Scotiæ nec merum imperium competere, & resisti impune posse adserens. Ex adversa parte Buchanani sententiam Winzetus, Wilh. Barclajus, Johannes Weems, Jacobus Turner & Gilbertus Burnetus confutarunt. Imprimis vero erudite litem diremit vir eximius, & nobis haud semel commendatus, Georgius Mackenzie, cujus liber Anglicus *Jus Regium* Londini A. 1684 vulgatus, Universitati Oxoniensi consecratus est, quod in ea publico decreto, anno antecedente, theses quædam contrariæ fuissent damnatæ, & libri eam sententiam professi publice cremati. Porro de tractatibus Scotorum cum aliis gentibus dum agit Noster, commendat imprimis, quæ in Cottoniana Bibliotheca asservantur, volumina undecim haud exigua, pacta omnia Anglorum Scotorumque, ab initio Regni Henrici VIII, usque ad utriusque gentis unionem complexa, e quibus excerptas foederum tabulas complures in *Archivis Regiis reseratis*, opere eximio, brevi, ut sperat, publicabit Rymerus, qui & reliquarum gentium cum Anglis foedera eo libro repræsentabit. In Heraldicis, præter Lyndfæi manuscriptum, magnopere extollit laudati Mackenziei librum *The Science of Heraldry*, Edinburgi A. 1680 f. editum, cui præmisit Auctor observationes de Legibus Præcedentiæ apud Scotos. Orcadum Historiam, præter Robertum Jamesium, etiam Thormodum Torffæum & Jacobum Wallace scripsisse, vel ex Actis nostris Suppl. T. III p. 337 & A. 1701 p. 149 constat; illud tamen hic observamus, eam descriptionem, quam Jacobus Wallace

p. 38.

p. 39.

p. 42.

p. 43.

p. 44.

p. 47.

p. 49.

p. 53.

- filius paulo auctiorem proprio nomine Lond. A. 1700 edidit, a patre
 ejus Jacobo antea, Sibbaldi suafu, ad complendum Scotiæ Thea-
 trum elucubratam, & Edinburgi A. 1693 vulgatam fuisse. E reliquis,
 qui provinciarum & urbium descriptiones edidisse memorantur,
 p. 58. unum Philopolitejum, auctorem Pseudonymum, vero nomine
 p. 59. Skene dictum, nominamus, qui Aberdoniæ A. 1685 duos libellos,
 alterum *Memorials for the Government of the Royal - Burghs*
 p. 61. *in Scotland*, alterum *A succinct Survey of the famous City of A-*
berdeen excudit. In Capite II, Historicos Scotiæ generaliores re-
 præsentante, de Pictorum, Danorum item & Saxonum, quæ in Scotia
 supersunt, vetustis monumentis quædam præfatus Auctor, Maria-
 num & Davidem Scotos producit, & de Veremundi aliorumque
 auctoritate, late disputat, nec Chronica S. Crucis Edinburgensia a
 p. 79. Whartono in Anglia Sacra P. I vulgata omittit; de Chronicis vero
 Mailrosensibus observat, multum ea, quæ manuscripta passim existunt
 p. 80. in Scotia, differre ab Oxonii impressis, quippe in quibus ne qui-
 dem mentio fiat homagii Henrico Angliæ Regi a Malcolmo Re-
 ge Scotiæ præstiti; hinc & in Appendice num. III Johannis Jame-
 sonii refert ad exemplar impressum annotata quædam lectu digna.
 p. 82. Inde de Johanne Campobello, & multo fusius de Johanne de For-
 p. 92. dun agit, cui debetur, quod vulgo vocant, *Scoto-Chronicon*. Ejus
 cum varia passim in Scotia exemplaria manuscripta existunt, quæ
 sæpe a loco, in quo asservabantur, denominationem nacta sunt,
 factum inde esse Noster notat, ut quæ unum opus constituunt,
 pro pluribus fuerint venditata. Eadem enim contineri probat in
Libro nigro Sconensi, tum *Libro nigro Pasletensi*, *Libro Carthusia-*
 p. 93. *norum de Perth*, & similibus. Hunc auctorem libris tribus prio-
 p. 96. ribus exacte sequitur Wilhelmus Elphinston, teste Stillingflecto.
 p. 98. De Gaweno Dowglas, quem Baleus & ex eo Vossius de rebus
 Scoticis scripsisse, dubium qua fide, referunt, nihil statuit Nicolso-
 p. 99. nius; ea tamen occasione miris modis commendat ejusdem *Ænei-*
da Virgilio Scotico carmine translata, tanta elegantia, ut cum La-
 tino exemplari certare possint; quod hoc magis mirum, quoniam
 versionem intra octodecim mensium spatium absolvit, & ita se
 accommodavit Maroni, ut verbum verbo, linea lineæ responderet.
 p. 101. seqq. Johannem Majorem veritatis quam eloquentiæ, Hectorem vero
 p. 108. seqq. Boe-

Boethium eloquentiæ quam veritatis utique studiosiorem, atque illum quidem A. 1521, hunc A. 1526, utrumque Parisiis primo a Badio Ascensio vulgatum fuisse censet. De Johanne Leslæo, qui septem libris prioribus nihil fere aliud egit, quam ut Boethium redigeret in compendium, juvat Buchanani, quam e notis ejus manuscriptis Noster attulit, censuram transcribere: *Leslaus Boethii Epitomator a nonnullis censetur; eum enim, quod potuit, imitatus est. Uterque laudem suam meretur, sed neuter præstitit, quod facile potuit, si paulo plus judicii adhibuisset in describendis regionibus, ipsarumque nominibus assignandis, & in rebus enarrandis ab anilibus fabulis abstinuisset, & a maledicentia in purioris religionis vindices.* At de ipso Buchanano, cujus Historia primum Edinburgi A. 1582 f. prodiit, variorum judicia hic cumulantur, e quibus arridet imprimis, quod e Roberti Gordoni Epistola quadam manuscripta adfertur, dignum utique, quod pariter cum Lectoribus nostris integrum communicemus: *Georg. Buchananus Vir in omni humaniore literatura probe exercitus, Poetarum sui sæculi multorumque præcedentium omnium consensu princeps: ille tamen ea aggressus est, quæ fame ejus intererat non attigisse; & intra Poeseos limites se continuisse. Tribus primis Historiæ suæ libris Conviciatorem agit, non Historicum; & præter jejunam Regni nostri descriptionem (quam tamen desultoria levitate prætervehitur) doctis viris nihil præstare videtur, in re antiquaria non satis instructus. Sed non hæc impune tulit, a Camdeno (omnium Britannia Antiquariorum longe primo) male habitus. Procedente Historia (ut innumera sphalmata taceam) contra Kennethum Regem intonat horrendum &c. Ubi ad sua tempora ventum, Deus bone! jam confusa rerum facie, & turbis fluctuante Regno, quam aperte in partes transit? Jam non Historicus, sed Causidicus; detorta veritate rerum, parum apud ipsum sinceri. Et hæc omnia, ut unum hominem Mæcenatem suum stabiliret; quem tamen, antequam vita exiret, cruenta morte sublatum vidit. Sed non ideo refrinxit inde partium studium; ut testatur egregius ille dialogus aut cento, de Jure Regni, quem extrema ætate procudit: ubi illa tractat, quæ perfectum Theologum & peritissimum Jureconsultum, postulant, homo ad hæc impar, e scholis & ludimagistrorum fe-*

p. 110.

p. 112.

p. 113.

p. 118.

rulis, in hac ardua rerum evectus. Vapulat tamen a duobus popularibus suis, viris eruditissimis & omnis juris peritissimis, Blacwodæo & Barclajo, quorum doctissimi libri de ea re exstant. Jure sane cum eo ita actum esse, fatentur omnes, qui sine affectu illa legunt. Qui enim Centonem de Jure Regni & Historiam, ejus exacte consideraverit, inveniet tractatu de Jure Regni thesin propositam; Historiam autem sic detortam, ut thesi firmiter habeatur. Non hæc refero, ut Clarissimi Viri Manibus insultem (quis enim, aut quantulus ego?) hoc enim piaculare; sed veritati obniti, aut eam celare, in rebus tantis impium. Reliquos, Dav. Chambre Buchanano coævum, Franciscum Thynne, Jacobum Howel, cujus *Bella Scot-Anglica* prodierunt Lond. 1648, Andream du Chesne, Eduardum Ayscu, Johannem Monnipenny, Davidem Hume & quosdam Anonymos prætermittimus. In Cap. III primum litem eam exponit, quæ Floido Episcopo Asaphensi, qui Regiæ Scotorum familiæ decerpere nonnihil conatus fuerat, cum Sibbaldo & Mackenzero intercessit, cui accessere etiam ab altera parte Stillingfletus, ab altera Thomas Price. Inter Genealogicos porro scriptores memorat Wilhelmum Slatyer, qui inde ab Adamo, & Georgium Owenum Harry, qui a Noacho stirpem Regiam deduxit; sed utrumque superavit Thomas Lyte, qui certiora habet in opere Anglico eleganti, quo Scoticam Regum familiam a Carolo M. derivavit, egregie ob studium exquisitum a Jacobo VI ejusque filio Carolo remuneratus. Tum illi in hoc capite recensentur, qui de Regibus Scotiæ eorumque gestis sigillatim aliquid commentati sunt, e quibus recentiores aliquos producere nobis suffecerit. Equidem plerique Historici cum Buchanano Elisabetham concubinam Roberti II, eoque Johannem nothum fuisse, antehac tradidere; quod si ita se haberet, non essent sine labe Johannis seu Roberti III posterum, & qui cum his sanguine junguntur, complures Principes alii. Eam nostro demum tempore absterfit Vir nobilissimus Tarbat, edito A. 1695 Edinburgi libro: *Vindication of Robert the Third from the Imputation of Bastardy* &c. quo anno Parisiis quoque diploma authenticum, quod ad firmandam Tarbati sententiam facit, e Collegio Scotorum prodit. Ad Roberti II, qui primus Stuartus vocatus est, historiam pariter

refert Noster librum *Memoirs of the Family of the Stuarts*, Londini A. 1683 vulgatum, cujus recensum biennio post in Actis his pag. 22 dedimus, ejusque auctorem, nobis illo tempore ignoratum, nominat R. Watson, Edinburgi ante Ministerio motum, eoque affectui passim indulgentem. Ubi porro ad Jacobum I ventum est, imprimis laudat, quæ de illo & quatuor ejusdem successoribus, in libro *History of Scotland from 1423 to 1542*, Londini 1655, f. iterumque 1681, 8 vulgato commentatus est Wilhelmus Drummond. Magnus inde eorum numerus producitur, qui vitam & gesta Mariæ descripserunt, quos eo lubentius prætermittimus, quod plerique vel gratiæ, vel odio aliquid dederunt. In historia denique Jacobi VI, præter alios, Melvillii imprimis Commentarios, nobis etiam A. 1694 p. 449 memoratos, commendat. In Cap. IV post eos, qui de Jure Ecclesiæ Scoticæ scripserunt, scriptores Historiæ Ecclesiasticæ percenset, e quibus uti Joannem Knoxum non uno nomine notari a scriptoribus ostendit, ita Joanni Spotswoodo veritatis laudem omnino tribuit, de quo juvat iterum audire Gordonum in epistola citata: *Fæctus hic est acris, vividi & sublimis ingenii, ubi candor & veritatis studium elucet; narratio simplex, nuda, procul omni affectu. Felix iste Præsul, non ex Scholasticorum subselliis, sed in luce rerum & culmine negotiorum, tantis rebus dicendis par. Non tamen ad hæc se accinxit, nisi consulto Rege Jacobo, qui ad hæc eum impulerat, præfatus non se posse bona fide banc Historiam condere, nisi multorum offensa, qui ipsi aut quorum majores laboraturi sint. Jussit Rex audacter pergeret & ubique veritati litaret. Quod ab illo non segniter præstitum: modestia tamen & mansuetudo animi toto opere lucet.* Knoxo & ejus generis aliis favere videtur D. Calderwood, cujus Historiæ Ecclesiasticæ, quæ aliquot voluminibus exstat manuscripta, compendium prodiit Edinburgi A. 1678, f. Præter hos, reformationis imprimis Scoticæ historiam Alexander Petrie, Spotswoodo parum favens, sub titulo *A Compendious History of the Catholik Church from 600 to 1600* Hagæ A. 1663, f. publicavit, & Wilhelmo III, tum temporis Principi Arausionensi, inscripsit, præfixis singulari omine Angliæ insignibus. Omittimus e Pontificiis Thompsonum, Conæum, Dempsterum, Dav. Camerarium, Watsonum, alios. Sigillatim deinde

p. 155.

p. 159-174.

p. 175.

p. 188.

p. 194.

p. 198.

p. 203.

p. 207.

p. 210.

- Cap. V, quæ Episcopatum, Monasteriorum & Universitatum jura concernunt, pleraque manuscripta, recensentur, quæ ex ipso Auctore discere præstat. Neque minus in manuscriptis maximam partem delitefcunt, quæ Cap. VI de Biographis afferuntur; ubi inter alia memoratur, Sibbaldum *Catalogum Alphabeticum Scotorum, qui de variis scientiis & artibus scripserunt post A. 1500*, tum *Catalogum Historicorum, Geographicorum & Politicorum, qui de rebus Scotiæ scripserunt*, cui accesserit *Poetarum Scotorum, qui Latine scripserunt, Catalogus*, nec non *Tractatum de Scotis, qui scriptis suis rem Medicam vel promoverint vel illustraverint*, magna industria consignasse, & Nicolsonio liberaliter communicasse, quorum operum postremum in gratiam imprimis cujusdam Galli Cattier, qui Vitas Medicorum edere molitur, collegerit. Cæterum parari nunc splendidissimam omnium Buchanani operum editionem, sub finem hujus capituli Auctor nunciat. In Cap. VII, ubi de monumentis publicis, iisque rebus, quæ ad forum pertinent, agit, non modo Eduardum I, quicquid diplomatum & monumentorum inveniri in Scotia poterat, in Angliam asportasse observat, ut fomitem rebellionis ea ratione subditis eriperet; verum & Monachos, tempore reformationis manipulatim Romam profectos, multa monumenta secum abstulisse, & demum Cromwellum reliquias fere omnes in Angliam detulisse, quæ cum in Scotiam remittendæ essent, naufragio perierint. Inde omnem fori rationem exponit, & quid sint Scotis *Charters, Signatures, Seals, Court of Chancery, Courts Ecclesiastical, Coroners, Court-Baron, Regality, Deeds of Sale, Mac-Alpine* atque ejus generis alia, tradit. Tum antiquissimum Corpus Juris Scotici, quod Londini A. 1613 Latine editum, ab initialibus vocabulis *Regiam Majestatem* vulgo vocant, considerat, ejusque auctoritatem contra Cragium defendit, & cætera quoque, quæ in illa editione adjuncta sunt, ut, *Quoniam Attachiamenta: L. L. Burgorum: Statuta Gilda &c.* pro merito expendit. Porro de Actis Parlamenti Scotici loquitur, & fusius paulo post de libris ad praxin forenses spectantibus (*Præctiques*) agit, ubi circa criminalia Mackenzei librum, *Laws and Customs of Scotland in Matters Criminal*, Edinb. 1678, 4, & 1699, f. editum allegat, tum cognoscendis vocabulis Juridicis Joannis Skene opus *de Verborum significatione* multum inservire tradit, & Tho-

mæ Cragii *Jus Feudale* laudat, quo libro probare autor voluit, leges Scotiae legibus Angliæ nequaquam repugnare, eoque utriusque Regni unionem esse perfacilem. Ejusdem *de Homino* librum elegantem, quo Scotos nunquam Anglis homagium præstitisse asseruit, hæctenus in bibliothecis latentem, Redpathus demum, jussu Rymeri in Anglicam linguam nostro tempore transtulit, & sub titulo *Scotlands Souverainty asserted*, Londini A. 1695, 8 vulgavit. Denique & alii eodem capite recensentur, qui de unione Angliæ atque Scotiae aliquid tradiderunt. Postremo Capite VIII de moneta Scotiae agit Auctor, ac ante omnia observat, antiquissimis temporibus & milites propriis impensis militiam in Scotia secutos, & ignotam plane Scotis pecuniam fuisse, quippe ejus loco frumento usis aut bovina carne. Postquam inde, quo tempore primum eudi in Scotia moneta coeperit, disputasset, duo hæc diligenter notari cupit, primo, proportionem inter aurum & argentum fuisse in Scotia ut unum ad duodecim; deinde, Scotos valorem auri & argenti ad diversa trutinæ genera exigere consuevisse. Hinc aureos primum nummos considerat, in quibus pauca memoratu digna occurrunt. Uti enim in plerisque aliis insignia Scotiae cum epigraphe *Salvum fac populum tuum Domine*, ita in Jacobi V nummis *Honor Regis judicium diligit*, in Mariæ vero *Diligite justitiam*, item *Justus fide vivit*, vel *Crucis arma sequamur*, aut *Ecce ancilla Domini*, & similes inscriptiones deprehenduntur. Singulare tamen videtur Jacobi VI numisma aureum, in quo Rex repræsentatur coronatus, altera manu gladium, altera olivam protendens, additis verbis *In utrumque paratus 1575*, in altera facie scutum Scotiae coronatum exstat, cum inscriptione *Parcere subjectis & debellare superbos*. Aliud ejusdem effigiem laureatam repræsentat, adscriptumque nomen, & ex adversa parte cardium sex capitum, quorum superius coronatum; appositæ sunt ex utroque latere literæ I & R, & subscripta inferius figura 6, cum lemmate: *Nemo me impune lacesset 1590*. Rursus aliud Regem sistit insolito pileo tectum, carduoque obseptum, & in averfa leonem coronatum, sceptrum versus nubes attollentem, in quibus Hebraicis literis scriptum nomen *Jehovah*, circumscriptis verbis *Te solum vereor 1591*. Nec argenteis immorabimur, e quibus unicum producere satis erit ejusdem

p. 276.

p. 277.

p. 283.

p. 288.

p. 292.

p. 293.

p. 300.

p. 303.

p. 304.

p. 325.

dem Jacobi nummum. Exhibet in altera facie scutum Scotiae coronatum, idque literis I & R coronatis veluti subnixum, appositum nomine; in altera nudum enssem cuspide coronatum, & additam manum, extenso digito monstrantem numerum XXX, quo valor triginta solidorum designatur; additur quoque annus 1567, & circumposita, Buchanani, ut creditur, instinctu verba: *Pro me. Si mereor, in me.* Accessit ultimo loco appendix, in qua pauca quaedam e manuscriptis excerpta, quorum in ipso opere passim facta fuerat mentio, continentur.

RITUALE ECCLESIASTICUM. PARS POSTERIOR.
Auctore CASPARE CALVOERIO.

Jenæ, sumptibus J. C. Kœnigii, Bibl. Gosl. 1705. 4.
Constat Alph. 4, pl. 2 cum fig.

Quem in *priori* Ritualis hujus Ecclesiastici *parte*, mense *Julio* superioris anni p. 303 seqq. in his *Actis* a nobis recensita, tractandi modum & ordinem servavit Reverendus Calvoerius: eum etiam in *parte* ejusdem *posteriori* est secutus. Ac uti in illa ritus Ecclesiarum Evangelicarum Ecclesiasticos, qui primum in vitæ ingressu, dein in vitæ progressu, & demum in vitæ egressu servari solent, suo ubivis ordine pertractavit: ita in hac Sectione I *Loca sacra*, templa nimirum, & quæ in iis occurrunt, altaria, baptisteria, campanas, suggestum, chorum &c. Sectione II *Tempora sacra*, & in iis diem Dominicum, festa solemniora, dies Apostolorum, hebdomadaria sacra, &c. Sectione III *Personas sacras*, ut sunt Episcopi & Superintendentes, Pastores & Diaconi, Ecclesiae Provisores atque Custodes &c. Sectione IV *Ritus sacros*, qui *corpore* peraguntur, v. g. adorationem ad Orientem, capitis inclinationem, preces sub pileo, manuum elevationem & complicationem &c. ac demum Sectione V rationem *cantum Ecclesiasticorum* perlustrat. Ubique vero cujusvis ritus originem, usum & abusum, uno vel altero figura quadam ænea subinde simul illustrato, evolvit.

Quo absoluto *Epilogum scutatatum*, quem jam parte prima Ritualis hujus promiserat, subjungit, quo *necessitatem & utilitatem*

tem rituum Ecclesiasticorum, adversus eos, qui secus sentiunt, longa & gravi oratione vindicat.

Cui celeberrimi *Guilielmi Cavei*, Ishworthæ, prope Londinum, d. XI. Cal. Jun. A. M. DCCI ad se datam *Epistolam* annectit, in qua, quæ sua sit de *Presbyteri Pœnitentiarîi* in Ecclesia institutione, ejusque per *Nectarium* abrogatione sententia, Caveus, ea de re rogatus, ad *Calvoerium* perscribit; cujus summam hic quoque exhiberi, e re fuerit. Hunc locum, utut illico statim, si quem alium, in Historia Ecclesiastica perplexum valde, ac Pontificiorum artibus & consiliis vexatissimum esse, non diffiteatur: tamen non videre se ait primo loco Caveus, cur suspectam esse jubeat narrationem, quam de muneris Pœnitentiarîi abrogatione *Socrates* tradunt atque *Sozomenus*: quod Scriptores sint gravissimi & ἀξιόπιστοι, rei que gestæ ferme ætate pares; & præterea *Socrates* testetur, se ex ipsius *Eudæmonis* Presbyteri, qui id consilii *Nectario* dederat, ore rem totam hausisse. Addi posse, hanc historiam nihil falsi, nihilque absurdi in se continere, quo in suspicionem venire debeat. Atque hinc secundo loco liquere commonet, munus Pœnitentiarîi diu ante Leonis M. tempora in Ecclesia viguisse. *Nectarium* enim A. 381 factum esse Episcopum C. P. & nondum finito seculo vitam clausisse. Nec de hoc munere, tanquam recens instituto, Historicos Ecclesiasticos loqui; sed potius, ni male meminerit, morem hunc εως πολλῶν ab Ecclesia servatum fuisse, *Socratem* diserte referre. Tertio tamen neutiquam sibi verisimile videri dicit, quod Pœnitentiarîi munus ubique, & in omnibus Ecclesiis, sed in quibusdam tantum, iisque majoribus sedibus, Græcis præsertim & Orientalibus, obtinerit. Quod enim de Ecclesiis Occidentalibus, & præcipue Romana habet *Sozomenus*, ad hanc rem minime pertinere. Et hinc forsan non incommode peti posse rationem, cur in Scriptoribus Conciliisque vetustioribus, nulla hujus muneris mentio fiat: quia videlicet non erat lex Ecclesiæ communis, sed tantum particularium quarundam Ecclesiarum singularis mos, & singulare institutum. Publico Ecclesiæ jure, solis Episcopis pœnitentes absolvere, pacemque dare, fuisse licitum. Nihilominus quibusdam in locis & casibus, non Presbyteris modo, sed & Diaconis licuisse confessiones accipere, & pœnitentibus manum reconciliatricem imponere.

nere, ex Cypriano aliisque luce clarius constare. At quo tempore primum nata sit Presbyteri Pœnitentiarii institutio, non adeo constare, quarto loco non dissimulat. Procul dubio eam gradatim obtinuisse, vimque diversis temporibus nactam. Fortasse ortam esse sub persecutione Deciana, at languide progressam; donec tempore Diocletiani, Episcopis pene ubique dispersis, & vel in exilium actis, vel carceri mancipatis, vel martyrio coronatis, maxime necessarium fuerit, ut istiusmodi munus Presbyteris quibusdam concederetur. Id quod temporis tractu nonnullis in locis continuatum, tandem in statam & solennem institutionem praxinque evaserit. Posthæc abrogato demum iterum per Nectarium Presbyteri Pœnitentiarii munere, non tamen mox etiam sublatam esse censet privatam peccatorum confessionem Sacerdoti factam; sed integrum pœnitentibus relictum, Sacerdotes stimulante conscientia consulere, & ab iis sublevamen impetrare: maxime, cum nulla expressa Christi lege vel institutione ad confessionem privatam fuerint adacti. Atque inde miris, addit, strophis se torquere Scriptores Pontificios, Baronium, Bellarminum, Petavium, Valesum, Thomasinum, aliosque, ut confessionem suam auricularem factam tectam tueantur, & cum hoc Nectarii facto concilient. At laterem eos lavare, & Æthiopem dealbare satagere. Certum enim esse, abrogato Pœnitentiarii munere, Nectarium unicuique permisisse, τῷ ἰδίῳ σωματόῳ τῶν μυστηρίων μετέχειν, ut pro arbitrio, animique sui conscientia, ad sacramentorum communionem accederent. Nec aliter hodie facere necessum esse, nisi necessitas urgeat & peccatorum stimulus gravissimus, ut pœnitentes conscientiam suam exonerent, & a Sacerdote, pro potestate ei facta, absolutionem nanciscantur. Et hunc quidem modum in Ecclesia Anglicana hucusque servari, ubi in formula Eucharistica moneantur accessuri, ut post examen factum, si quis aliter conscientiam suam tranquillare nequeat, prius Pastorem suum, aliumve prudentem doctumque verbi Dei Ministrum conveniat, eique gravamina animique sui ægritudines aperiat: qui impetrata absolutione, adhibitoque spirituali consilio, remoto omni scrupulo dubioque, conscientiam suam sanam & quietam reddere possit.

Addit tandem Calvoerius *Canonem Chronicum* præceptorum

in hoc opere memoratorum Scriptorum, Conciliorum ac Imperatorum, ad calculos, qui Caveano de primis Christianis operi adjecti sunt, plurimam partem redactum; ut & *Indicem rerum*, quæ in hac parte altera Ritualis Ecclesiastici occurrunt.

*BURCARDI GOTTHELFFI STRUVII SELECTA
Bibliotheca Historica, secundum Monarchias, Regna, Secula &
Materias distincta: accessit index auctorum &
rerum.*

Jenæ apud Ern. Claud. Bailliar, 1704 8. constat 2 $\frac{1}{2}$ Alph.

Recensuimus in Actis superioris anni Auctoris Clarissimi Introductionem in rem literariam atque Bibliothecam Juris, quibus, uti promiserat, nunc addit Bibliothecam Historicam. Unum supra triginta capita continet, in quibus talem ordinem servat, ut ab universali Historia progressum faciat ad particularem: ab hac ad Historiæ adminicula. Caput primum quidem recenset Scriptores Bibliothecæ Historicæ, & de methodo legendi cognoscendique historias. Secundum & tertium fontes Historiarum, scriptores antiquos & recentiores Monarchiæ Assyriorum, Persarum, Græcorum & Regnorum Asiaticorum continet. Quartum Scriptores Historiæ Romanæ in statu libero; quintum Scriptores Historiæ Augustæ ordinat. Sextum de Scriptoribus Historiæ Byzantinæ agit. Septimum Scriptores Historiæ Imperatorum Germanicorum comprehendit. Octavum Scriptores Historiæ universalis. Nonum Scriptores Historiæ Gothorum, Longobardorum, aliarumque gentium barbararum persequitur. Decimum Scriptores Rerum Hebraicarum. Undecimum Scriptores rerum Orientalium. Duodecimum caput Scriptores rerum Africanarum & Americanarum explicat. A generalibus hisce, antiquis & orientalibus, progreditur ad Scriptores Historiæ particularis, quos secundum regna distinxit, ita ut capite decimo tertio agat de Scriptoribus Rerum Portugallicarum atque Hispanicarum, decimo quarto de Scriptoribus Regni Gallicani & Navarreni, decimo quinto de Scriptoribus Rerum Belgicarum, decimo sexto de Scriptoribus Rerum Britannicarum. Prolixius deducuntur Scriptores Historiæ Germanicæ, quibus diutius inhæret Auctor. Caput decimum septimum quidem

dem Historiæ Germanicæ generalis Scriptores examinat; ubi simul de his qui de Historia Archiepiscopatum, Episcopatum, Abbatiarum, Monasteriorum scripserunt; agit. Decimum octavum Scriptores Rerum Austriacarum cum adnexis provinciis: decimum nonum Scriptores Rerum Ungaricarum, Bohemicarum & Silesiacarum comprehendit. Caput vigesimum Scriptores Rerum Borussiae & Brandenburgicarum cum provinciis annexis; vigesimum primum Scriptores Historiæ Bavaricæ & Palatinæ; vigesimum secundum Scriptores Historiæ Saxonicæ; vigesimum tertium Scriptores Historiæ Brunsvicensis & Lüneburgensis; vigesimum quartum Scriptores Historiæ Principum Germaniæ; vigesimum quintum Scriptores Historiæ Comitum, Civitatum Imperialium, Circulorum & Provinciarum Imperii Romano-Germanici proponit. A Germanica Historia per Helvetios, quorum Scriptores capite vigesimo sexto exponit, transit capite vigesimo septimo ad Scriptores Historiæ Italicæ; atque ab his pergit ad eos, qui historiam regnorum Septentrionalium Daniæ, Sueciæ, Norwegiæ, Poloniæ, Moscoviæ atque Lithuanæ explicarunt, quos tribus capitibus absolvit. Ultimo demum capite exponit Scriptores, qui Introductionem in Historiam Regnorum dederunt, Geographicos, Chronologicos, Heraldicos, illos, qui de Ordinibus equestribus egerunt, vel Calendaria atque Dictionaria Historica publicarunt. In singulis capitibus, maxime vero in Monarchiarum descriptione, antiquiores a recentioribus distinxit, Universalis vero Historiæ Scriptores secundum secula, quibus vixerunt, proposuit. In Particularis Historiæ Scriptoribus ordinem servavit propositæ materiæ convenientem, ut præmitteret semper illos, qui ad chorographiam, statum regni ejusdemque provinciarum naturalem, mores & naturam incolarum faciunt. Hos insequuntur qui originem gentis, historiam regni vel universalem vel particularem, regum successionem, bella, particulares etiam eventus descripserunt. Tertia pars politica est, in qua Scriptores de forma & statu regiminis, ministris præcipuis, interesse publico, Statu ecclesiastico, re nummaria, insignibus, aliisque politicam doctrinam concernentibus, agentes exponuntur. De potioribus Scriptoribus, brevi addito indicio censet, quid in quovis commendandum, quid

vitio vertendum, declarans: reliquorum vero mediocris notæ Scriptorum nomina, atque librorum titulos solum adduxisse contentus.

CHRISTFR. WÆCHTLERI, D. DE CANCELLARIIS VETERUM Commentatio.

Dresdæ, apud Jo. Mich. Funck 1705. in 4. plag. 5.

GRatulaturus Perillustri atque Excellentissimo Domino Gvolff. Siegfrido a Kötteriz de moderno Vice-Cancellariatu per Saxoniam Electoralem, commune propemodum assertum virorum etiam eruditorum, non fuisse adeo magnæ dignitatis Cancellariorum officium sub priscis Imperatoribus, discutiendum sibi sumsit celeberrimus Autor. Discernendam scilicet dicit primam vocis significationem ab ea, quæ postmodum fuerit imposita, & a priore illa toto genere recedit. Corticem retinuisse illud nomen, reliquis omnibus absorptis. Incaute vero non paucos scriptores ipsum munus Cancellarii hodiernum tribuere vocabulo adhuc rudi, neque jam tum elaborato. Inprimis fecisse hoc Petrum Pithœum, & verbis Flavii Vopisci in Vita Carini non parum abusum, neque quicquam huc pertinere vel locum Sidonii Apollinaris, (cujus etiam lectio tentatur) vel plura alia loca Cassiodori, quæ singula excutiuntur. Tum vero Edictum Turcii Aproniani, Præfecti Urbi, neque ad Carini mentem, neque ad Cassiodori spectare, & penitus turbari ordinem temporum. Exhibere istud Gruterum, & Jacobum Gothofredum ad C. Theodosianum, de Suariis &c. cujus partem liceat adjiciamus: *Ratio. docuit. utilitate. suadente. consuetudine. micandi. sumnota. sub. exagio. potius. pecora. vendere. quam. digitis. concludentibus. tradere. . . ut. quantum. caro. occisi. pecoris. appendat. & . emptor. norit. & . venditor. commodis. omnibus. & . preda. damnata. quam. tribunus. officium. CANCELLARIUS. & . Scriba. de. pecuariis. capere. consueverant. quæ. forma. interdicti. & . dispositionis. sub. gladii. periculo. perpetuo. custodienda. mandatur.* Quæ non ex verbis Agathia modo, sed & libris Basilicōv atque Novellis, ita illustrantur, ut ad tempora recentiora fiat simul descensus, maxime etiam ad periodum Caroli M, cum aliqua tamen censura Gul. Budæi, quasi

per illum titulus hic tantam, quam habet, acceperit amplitudinem. Qua in re rectius senserit Spelmannus: a quo tamen rursus recedit alicubi Noster. Sensim utique crevisse eam auctoritatem, atque clericis adhæsisse primum, qui quum Quæstores sacri Palatii vocari nollent, temperamentum in vocabulo humili quæfiverint. Hieronymum autem Cancellarii munere apud Damasum fuisse functum, minus bene dici seculo quarto, facta collatione cum stylo seculi tertii exeuntis, apud Fl. Vopiscum. Damasum enim ad ipsum Hieronymum scribere: *epistolas tuas tota aviditate legi atque descripsi*. In iis autem de Scripturis interrogare Damasum, respondere Hieronymum; forte tunc non amplius juvenem, quod Erasmo placuerit. Venisse enim illum Romam anno CCCLXXXII, regressum tertio statim anno, defuncto scilicet Damaso, in Syriam, & Romam amplius non vidisse. Si igitur ponamus, Hieronymum fuisse natum anno CCCXXIX, utique habuisse virilem ætatem; nisi quod in inveniendis ipsius natali mire variarint Scriptores, Prosper, Spondanus, Antonius Pagi, Henricus Hammondus cum Blondello, a quibus omnibus seorsim sentiat Jo. Cinellius. Digniorem autem cura sua iudicavit Autor lapidem repertum in Catalonia:

HIC NATUS DAMASUS PONTIFEX ROMANUS
DISCIPULUS ET MONACHUS S. HIERONYMI
PRESBYTERI, QUI OBIT ERA. CAESARIS CCCCV.

Sensum illius ita explicari ab aliis: auctorem fuisse Hieronymum certi ordinis Monachorum, & illam regulam amplexum, etiam Damasum in supremo apice dignitatis Pontificiæ. Quæ cum explodantur, Nostro potius videtur suggillari familiaritas, quæ Damaso cum Hieronymo per triennium non integrum intercesserit. Omnes quidem Epistolas, quæ utrique tribuuntur, non esse genuinas, nec tamen etiam omnes spurias. Postquam igitur tot seculorum lapsu novum omnino vocabulum videretur proCUSUM, certasse Politicos cum Episcopis in ambiendo titulo Cancellarii. Ubi transitus fit ad tempora Damasi II Pontificis, & Regum Francorum, tandemque inquiruntur incunabula primæ & hereditariæ foundationis trium Archi-Cancellariatuum Imperii, secundum Capitularia & diplomata, quæ abunde producuntur. Neque po-

tuit censuram hic evitare Lehmanni Chronicon, ac suo modo Onuphrius Panvinius, Limnæus. Sequuntur Diplomata recentiora, & innuitur, rem totam actam fuisse per consensum Ecclesiarum Germanicarum cum Romana. Cui eximiam Bodinus dicam scripserit in laudem gentis suæ: *se XXX regni Gallie Cancellarios ex antiquitatibus commemorare posse, qui in Cardinalium cœtum aut in collegium Pontificum fuerint cooptati sed posterioris ætatis prudentiam prævidisse, quam periculosum illud esset Reipublicæ, ideoque ad civilem ordinem summam dignitatem regni sui deduxisse.* Fluctuante hic iudicio Mallincroti. Ab isto caractere Cancellariorum civilium deflectit Autor ad Cancellarios Academiarum, ac de Academia Pragensi in medium profert privilegium Innocentii Pontificis integrum ex codice MS. in quo contineatur præter alia, etiam copia privilegii Studii Bononiensis, a Theodosio indulti sub anno CCCCXXIII. Eaque occasione regreditur ad alloquium Per-Illustris atque Excellentissimi Domini Vice-Cancellarii Nostri moderni: cuius non tam anni, & non tam honores, quibus in aula Saxo-Numburgensi jamdiu cumulatus, quam ipsa divinitas genii ex uno Consilio sanctiore in aliud, æque aut magis adhuc sanctum, visa hætenus fuerit festinare. In additionibus autem occurrunt observationes una plures; qualis illa de Marcellino Comite, quem ex verbis incertis Cassiodori, perperam opinati quidam sint, fuisse Cancellarium Justiniani adhuc patricii, Aubertus putat Miræus, Nicolaus Alemannus, Guil. Caveus. Simili lapsu Mæcenatem vocari Cancellarium Augusti, & vestigia ejus rei Pancirollum quæsisisse in Horatio. Porro notatur Carolus du Fresne, & Jo. Jac. Hoffmannus, quod neque Cassiodori ætatis, nec alias temporum rationem habuerint. Itidem peccasse hic Renatum Choppinum & Andream Schottum, atque iterum Hoffmannum, & Mabilionium. Ac post hos denuo Du Fresnium, circa locum Mauricii: cui alium surrogat Noster, & neutrum de cappa S. Martini accipiendum existimat. Quumque toties laudatus hic fuerit Cassiodorus, eo etiam nomine commendatur Nostro, quod & sacrorum librorum curam non minus habuerit. Ac de Epistola quidem ad Romanos non esse dubium: Homilias autem Chryso-stomi ad Hebræos fecisse in Latinum transferri per Mutianum. Si-

militer Clementem Alexandrinum in Petri I, Johannis I & II & Jacobi, itidem per alios. Præterea non ipsum, sed amicos ejus Homilias Chrysoſtomi in Actus Apoſtolorum tranſtuliffe, fatente Caſſiodoro Divinarum Inſtitutionum capite nono: niſi quod Triconio Donatiſtæ in Apocalypſin tantum in bonis dictis *χρεſημῶν*, in malis *ἀχρεſῶν* ipſe affixerit, quantum tranſiens repperit. Breves vero illas explanationes, quarum fiat mentio in præfatione de Orthographia, aut non extare cenſet, aut non eſſe Clementis Alexandrini, ſed ipſius Caſſiodori. Et hæc quidem hæctenus inter præſentes Autoris curas forenſes.

EMMENOLOGIA: IN QUA FLUXUS MULIEBRIS Menſtrui Phenomena, Periodi, Vitia, cum Medendi Methodo, ad Rationes Mechanicas exiguntur. Auctore JOHANNE FREIND, M. B. Æd. Chriſti Alumno.

Oxonix, e Theatro Sheldoniano, A. 1703, in 4to.
Conſtat Alphas. 1 pl. 4.

Qui Naturæ veſtigia fideliter legunt Phyſici pariter ac Medici, abdita ejus eruunt feliciter: neque enim ulla ratione vel modo corporis humani affectiones innotefcent planius, ac ſi leges eas, quas ſuis motibus præſcripſit Natura, ſedulo conſulamur. Hanc ipſam in explicandis Naturæ arcanis viam ſingulari cum induſtria ac laude ſequitur Clariffimus præſentis Emmenologiæ Auctor Jo. Freind. Non neſcius enim, quam infeliciter ceſſerit hæctenus plerisque, qui de Menſibus ad naufeam uſque ſcripferunt, dum ingenio ſuo abrepti, ſuorum potius ſomniorum, quam naturæ fuerint interpretes: operam ſuam haud male collocari ratus eſt, ſi Menſium naturam paulo accuratius explicare aggredieretur, deducta ab elementis mechanicis eorum theoria. Capita, quibus abſolvitur tractatus elegantiffimus, in univerſum ſunt XIV. I. de purgationis Menſtrux nature, II. de variis circa hanc materiam opinionibus, III. de plethoræ cauſis, & quare fiat in foeminis, IV. de ſtructure uteri & vaginæ, V. de modo, quo Menſes movent plethora, VI. de Argumentis contra plethoram, VII. de pe-
rio-

iodis, VIII. de phænomenis, IX. de iis, quæ aut citius cient, aut
 liutius retardant menses, X. de symptomatis, quæ a suppressis men-
 sibus oriuntur, XI. de methodo in suppressis mensibus therapeu-
 tica; cui subnectuntur historiæ, XII. de symptomatis, quæ a
 mensium fluxu immodico oriuntur. XIII. de methodo in fluxu
 mensium immodico therapeutica, cui itidem adjiciuntur historiæ.
 XIV. de remediorum viribus & operatione. Notatu digniora ex
 singulis sunt sequentia:

Plethoram cum Galeno statuit mensium causam, eandem- Cap. III.

que a perspiratione impedita dependere persuasus est Clarissimus Cap. IV.
 Auctor. Minor enim in foeminis materiæ perspirabilis secretio, ob
 minorem sanguinis velocitatem, quæ ex pulsu, & capillarium va-
 sorum angustia, quæ ex textura in sexu sequiori delicatula proba-
 ri potest, observatur. Aortæ truncus descendens multo am-
 plior in foeminis, quam in viris, ut non modo ad musculos exclu-
 dendo foetui inservientes, sed ad uterum etiam major sanguinis

quantitas deferatur; quæ vasorum capacitas & multitudo facit, ut Cap. V.
 non alium, nisi per uterum, sibi exitum quærant menses. Cum
 eousque increbuerit sanguinis momentum, ut ei oppugnando va-
 sa minime sufficiant, locum facile cedunt, ut per ipsorum tunicas
 sanguis erumpat; vasa vero uterina, utpote carne parum suffulta,
 ad cedendum sunt facillima. Suum etiam in hoc negotio confert

symbolum valvularum in venis uterinis defectus; nihil enim, hoc Cap. VI.
 supposito, obstat, quo minus sanguis omnis, qui in ramis amplio-
 ribus continetur, retro versus capillarium angustias corruat, & te-
 nella orificia ita premat, ut impulsu quovis diffiliant. Qui ne-
 gant plethoram esse mensium causam, nihil probant, dum graci-
 lissimas etiam foeminas per uterum purgari opponunt. Has ipsas
 enim sanguine præ obesis exuberare, Galenus jam suo tempore no-
 vit, & quotidiana confirmat observatio, in lactantibus gracili cor-
 pore præditis, menstrua solenniter fere celebrari. Quod si tales a
 plethora ipsa suppressionem mensium gigni asserant, fallaciam

non causæ ut causæ committunt; neque enim plethoræ tunc, Cap. VII.
 sed sanguinis lentiori potius eadem adscribenda. Ratio pe-
 riodorum, quæ in mensium fluxu observantur, hæc est: quanti-
 tas sanguinis mense quolibet evacuati cum sit circiter unciarum

viginti, totius massæ sanguineæ est pars fere decima; hac igitur sanguini accessione facta, sub fine cujusque currentisperiodi momentum sanguinis erit decima parte fortius, singuli porro in corpore canales decima parte prementur magis & distendentur: ita canales pressionem die uno aut altero ante fluxum nona parte adauctam sustinere possunt, decima vero accedente, locum cedunt, uti lancibus ad æquilibrium perductis, si quid ultra adjicias, præponderat. Menstruis igitur fluentibus, vasa omni eo sanguine, qui plethoram constituit, deplentur, cessantibus vero, ad consuetum corporis pondus redeunt mulieres: unde iterum deficiente perspiratione, necesse est, ut intra idem tempus eadem accumuletur sanguinis redundantia. Quod si detur, vasa sanguinea ab hujusmodi plethora semel dirumpi posse, sequitur omnino, si similis mense quolibet redeat plethora, eundem etiam fluxum reverti debere: deficiente vero in foeminis perspiratione, abunde sufficit intervallum menstruum, ut plethora talis increbrescere & accumulari queat.

Cap. VIII.

Quod menses communiter ultra septimum septenarium non persistant, a mutatione fibrarum evenire statuitur: in senectute enim hæ ipsæ non modo rigidæ magis & renitentes fiunt, ut a sanguinis momento perfringi nequeant, sed capillarium oscula etiam, ex quibus fluere consueverunt menses, continua tandem cicatrice, quasi callo ita obducta sunt, (quemadmodum in hæmorrhoidibus sæpius incisis contingit,) ut per ea nullus ultra sanguini pateat exitus. Adeo mensibus tandem deficientibus, alia in corpore secretoria assuetudine continua ita se tandem comparabunt, ut plethoram, quæ mense quolibet coacervatur, accipere ac deplere possint.

Cap. X.

Causam suppressionis mensium, vel a vasorum vitio, vel a plethora cum lentore conjuncta, deducit Clarissimus Autor. A vasorum vitio suppressionem venisse, signum diagnosticon habetur, si adsit dolor circa uterum tensivus, venarum tumor, faciei color floridus; quod magis adhuc certum, si fortius insimul increbescat pulsus. A plethora excedente autem sanguinis qualitas vitari ac lentore gravari potest, partim, quia in tanta sanguinis copia particulæ ejus in angustius spatium coguntur, adeoque facile coalescunt, partim, quod ob intumescentiam fibrarum, motus cordis imminuatur, partim, quod in tali statu, absumptis per reliqua

corporis secretoria tenuioribus & aquosis sanguinis particulis, spissiores remaneant. In curanda mensium suppressione, venæsectio non nisi præmissis purgantibus atque emmenagogis suadetur. In his enim, cum ea sit operandi ratio, ut humores viscidos dissolvent atque attenuent, sanguis jam ante comminutus laxiusque coherens, copia detracta, facilius dimovetur, & fortius momentum concipit. Igitur triduo ante consuetum tempus secatur vena, ut tum præcipue novus sanguini accrescat impetus, cum augmenti summam attigerit plethora. Quoad locum, ubi vena secanda, cum citra lentorem sanguis exuberans vasorum vitio restrictus fuerit, saphæna eligitur, quia a vena cava pariter, ac illa, quæ circa talum est, ducit originem: adeoq; cum fluido largius influente major sit vasorum distensio, facilius aperietur sanguini menstruo egressus. Interdum tamen præstat venam in brachio prius, & deinde in malleolis aperire: diminuta quippe per venam in brachio sectam sanguinis copia, augetur velocitas, postea vero, aperta saphæna, sanguis ad interiora se præcipitat, & auget eam, quæ ad vasa uterina continuo increfcit, plethoram; unde aucta plethora & velocitate, augetur etiam ad ipsorum latera sanguinis momentum. In Historia prima, quæ capiti XI. annexa, de cathartico- rum inconstanti operatione hæc est Clarissimi Auctoris opinio: in iis, quibus patentiora sunt lacteorum oscula, sive id a natura, sive vitio aliquo provenerit, ita, ut medicamentum omne in sanguinem facile transmittant, alvus minus movetur: in iis vero, quibus arctius coalescunt, aut obstruuntur lactea, ita, ut pars cathartici maxima in intestinis subsistat, stimulus ad tunicas validior est, & proinde crebrior alvi dejectio. Historia ejusdem capitis V. foeminae mentionem facit, quæ ex mensium suppressione omnium maxime quæsta est de abdomine: in intestinis quippe sensit tormina quasi colica, in ventriculo gravitatem, inflationem & nauseam, &c. Suisit Clarissimus Auctor emplastrum, quod humores resolveret, & doloris vehementiam sopiret:

℞ Empl. Hyster.

de Galban. à q. f.

Opii, Camphoræ à ℥ij.

M. F. Emplastr. Hoc emplastro sub noctem adhibito, post aliquot horas vehementer incalescebat mulier, & humorum quan-

dam quasi inter se luctam sibi visa est sentire: postero vero mane prorsus evanuit in abdomine dolor, & dissipata sunt tubercula, cujus rei rationem reddit sequentem: Camphoræ & opii particulæ tenuitate sua intra vasorum poros se insinuant, ibique lentis humoribus, quorum vitio oriuntur dolores & tubercula, commistæ, eos ita incidunt & exagitant, ut sanguinis globuli non ultra ad oscula arteriolarum hæreant, sed jam in minima divisi vel in venas trajici queant, vel perspiratione foras extrudi. Ita penetrans reperitur opii & camphoræ vis, ut nullum fere sit (si cantharides excipias) remedium, quod externe adhibitum cutim promptius pertranseat & viam sibi in sanguinem aperiat: adeo parum se ostendit ignava illa & frigida qualitas, quam iis plerique solent affingere. Fluxum mensium nimium facile excipere fluorem album, communis est observatio. Ratio ex mente Auctoris hæc est: si uteri tonus vacillet, glandularum, quæ internæ ipsius tunicæ interferuntur, adeo dehiscunt oscula, ut lympham suam in uterum copiosius effundant, ea vero continuo foras stillante, orietur morbus ille, qui appellatur fluor albus. In relicta post abortum placentæ portione, a biennio intus retenta, sequentem probatam deprehendit mixturam:

Cap. XII.

Cap. XIII.

℞. Tinctur. Croc.

Laud. liqu. Sydenh. à ʒij.

Camphor. in Sp. Vin. ʒβ. dissol. ʒj.

Cap. XIV.

M. D. ad guttas quadraginta sæpius de die; quo remedio ita spiritus refecti sunt, ut post diem unum & alterum, illa placentæ portio graveolens & plane putrida exclusa, omnisque dolor, & tandem etiam nimius mensium fluxus sopitus fuerit. De emmenagogis eorundemque operandi ratione & modo ita sentit Clarissimus Auctor: cum partium tenuium sint & maxime penetrantium omnia illa, quæ jure emmenagoga appellantur, molem sanguineam ita incidunt & comminuunt, ut minor sit globulorum inter se contactus, & proinde compages rarior: sanguis vero ad hunc modum attenuatus, non modo spatium amplius intra canales occupat, sed spiritus etiam nervis uberiores sufficit; unde iterum corde vehementius contracto, fortiore impetu per arterias circulatur. His

autem attenuandi viribus menses pellentia instructa esse, confirmare satagit:

1. Per effectus sensibiles ex sapore acri & amaro, odore fragranti, salis vol. indice, pulsus incitatione, colore aucto & diaphoresi, patentes.

2. Per commixtionem emmenagogorum cum sanguine adhuc tepente, ex qua si color floridus & fluiditas tenuior emergat, de attenuandi ac dissolvendi viribus dubitari non posse, persuasus est. Neque tamen ideo tincturas eas, quæ spiritu vini extrahuntur, ex numero emmenagogorum excludit, licet sanguini coagulum inducant: ipse enim spiritus vini eas in se continet particulas, quæ in spiritus animales facile migrare possunt; spiritibus vero in cor uberius influentibus, inducitur illa sanguini rarefcentia, quæ ad ciendos menses satis efficax, cum a vasis præduris nimiumque renitentibus, ortum duxerit suppressio.

3. Per confusionem emmenagogorum cum syrupo violarum, unde color viridis aut viridi affinis, salis alcalini index; alcalicorum autem eas esse vires fatentur omnes, quæ coagulum sanguinis resolvant.

4. Per injectiones in venas jugulares vivi animalis syringa institutas, quibus non minus vis emmenagogorum attenuatrix ad oculum demonstratur.

Adstringentium operationem quod attinet, ea non modo in fibris vellicandis & contrahendis, sed & in humoribus coagulandis incrassandisque sita est. Sanguinis igitur particulis condensatis, & arctius inter se cohærentibus, imminuitur velocitas, non modo, quia parcior fit spirituum secretio, sed quia ea est humorum resistentia, ut difficilius a corde protrudi queant. Velocitate vero languente, ita deficit sanguinis momentum, ut canales minus jam distrahat, eorumque viribus contrariis impar evadat. Ita in sanguinis debilitate tonum suum recolligunt & coalescunt vasa. Quæ de adstringentibus theoria, non minus ac ea de emmenagogis, argumentis atque experimentis solidis a Cl. Auctore confirmatur.

Antequam recensioem hanc finiamus, non possumus, quin illam, quam de hydrargyri & chalybis viribus fovet theoriam,

brevibus allegemus. Et hydrargyrum quidem, partium tum gravitate, tum tenuitate, coherentiam sanguinis ita diffringere & segregare statuit, ut humoribus plurimum attenuatis, major fiat spirituum secretio, & vis cordis fortior; quod satis confirmari salivatione persuasus est, in qua pulsus ita frequens & validus observatur, ut ad febrilem pene accedat. Etiam peracta salivatione, sanguinem tenuem admodum & rarum relinqui, testatur experientia. Itaque restrictis mensibus nunquam felicius succurritur, quam cum alterantibus per vices interposita sunt purgantia Mercurialia. Etiam continuum Æthiopsis mineralis usum, non modo tutum, sed & efficacem semper comperit. Chalybem ex iis esse docet Clarissimus Auctor, quæ spiritibus quasi cognata sunt; quod satis ostendere pulsus, chalybeatorum usu vehementer increbrescentem, existimat. Nam non solum gravitatis momento, sed & attenuandi ac rarefaciendi virtute chalybs pollet. Et hinc facile innotescet, quomodo, uti vulgo fertur, & vasa obstructa aperiat, & nimis laxa restringat: quæ quidem in agendo vires plerisque non contrariæ modo, sed & inexplicabiles videntur, cum tamen, vasis obstructione liberatis, eorum latera adstringi sive contrahi necesse sit. Fibræ enim, quæ, dum sanguis stagnaret, relaxatæ sunt, nunc remoto omni obstaculo, vim suam naturalem exercent, h. e. elasticitate forti sese tono suo restituunt, & statum contractilem recuperant. Et tonum quidem roborat chalybs non modo, quia vasa obstructione expedit, sed quia spiritus etiam, uti dictum est, uberius sufficit: a quibus pendet omnis fibrarum contractio.

*JOANNIS RAII, SOCIETATIS REGIÆ SOCII,
Historiæ Plantarum Tomus Tertius, qui est Supplementum duorum præcedentium. Accessit P. GEORGII JOSEPHI CAMELLI
Historia Stirpium insulæ Luzonis & reliquarum Philippinarum, item D. JOSEPHI PITTON TOURNEFORT
Corollarium Institutionum Rei
Herbariæ.*

Londini, apud Samuelem Smith & Benjamin Walford, 1704. fol.

Constat Alph. 10. plag. 11.

Florent per Dei gratiam artes hoc tempore omnes ac scientiæ,
 nec defunt usquam, qui excolendis iis strenuam operam majore
 dies cum fructu impendant: nec mentiemur tamen, si dixerim
 us, Botanicum imprimis studium, admiranda curiosorum homi-
 num cujuscunque gentis ordinisque industria, ad summum hacten-
 us proVectum esse fastigium. Cum anno 1686 & 1688 Clarissi-
 mi Raii Historia generalis Plantarum (cujus Tomum I in Actis his
 A. 1687 p. 105, alterum Tomo I Supplementorum p. III, uti editam
 ante Methodum Plantarum Novam A. 1683 p. 184, pro instituti
 nostri modulo recensuimus) primum prodisset, opus illud crede-
 batur numeris omnibus absolutum: & tantillo tamen annorum,
 qui ex eo tempore lapsi sunt, spatio, tantus plantarum tum non-
 lum cognitarum, in omnibus orbis partibus certatim detectarum,
 numerus innotuit, ut novum jam magni sui operis tomum, velut
 priorum supplementum, adornandi publicique faciendi juris neces-
 sitatem impositam sibi, diligentissimus Raius censuerit. Enimvero
 vel in Actis nostris e libris, qui hoc intervallo prodierunt, haud
 paucos indicatos meminimus, veluti *Horti Malabarici* volumina
 ex posteriora A. 1688 p. 479, & 1697 p. 533: *Pauli Hermanni* Floræ
 Lugduno-Batavæ Flores, A. 1691 p. 217, ejusdemque Paradisum Bata-
 vum A. 1697 p. 237: *Josephi Pitton Tournefort* Elementa Botanices
 A. 1693 p. 509, & Institutiones Rei Herbariæ A. 1701 p. 347, Corollarium
 tem hujus anni mense Martio p. 138: *Caroli Plumier* Descriptionem
 Gallicam Plantarum Americæ A. 1694 p. 461, & Nova Plantarū Ameri-
 canarum Genera A. 1703 p. 517: *Leonardi Plukenetii* Phytographiam A.
 1691 p. 493, & A. 1693 p. 311: *Pauli Bocconis* Museum Plantarum rariorum
 Siciliæ, Maltæ, Corsicæ &c. Supplem. T. III p. 98: *Roberti Morisoni* Plan-
 tarum Historiæ Universalis Partem III A. 1702 p. 477: *Joannis Com-
 melini* Rariorum Plantarum Horti Medici Amstelodamensis De-
 scriptionem & Icones, A. 1698 p. 128: *Abrahami Muntingii* Curio-
 sam Descriptionem Plantarum Belgica lingua editam, A. 1697 p. 546:
Augusti Quirini Rivini Introductionem generalem in Rem Her-
 bariam, A. 1690 p. 265, Ordinemque Plantarum flore irregulari mo-
 nopetalo, A. 1690 p. 267, item Ordinem Plantarum flore irregulari te-
 rapetalo, A. 1692, p. 273, nec non Ordinem Plantarum flore irregula-
 ri pentapetalo, A. 1701 p. 95: *Olavi Rudbeckii, Patris & Filii*, Cam-

pi Elyfii Librum secundum, magni operis partem infelicibus auspiciis publicatam, A. 1702 p. 374: *Jo. Georgii Volckameri Floram Noribergensem, seu Catalogum Plantarum Agri Noribergensis, A. 1700 p. 526 &c.* Tacemus tot plantas aliunde recens advectas, quæ Societati non minus Regiæ Anglicanæ, quam Academiae Regiæ Scientiarum Parisiensi subinde communicantur, & tum in Anglicanis Actis Philosophicis, tum in Joh. Bapt. Du Hamel & Fontenelli Historia dictæ Scientiarum Academiae, omnium notitiæ exhibentur, additis, in hac præsertim, curiosis præcipuarum plantarum utilissimisque analysibus. Ex tanto igitur apparatu, quin novum decus & ingens augmentum Botanico suo operi Raius celeberrimus adjecerit, quis dubitet? edito tertio hoc volumine, quo præter plantas nonnullas in prioribus per incuriam aut oblivionem omittas, species illas novas omnes proximis annis demum in lucem productas, & ex tot scriptis non sine molestia cæteroquin colligendas, complectitur. Nec existimandum, ex solis libris, publico omnium usui expositis, suppetias Auctori provenisse, sed additas insuper stirpes plurimas nondum descriptas, sed ab Amicis communicatas. Quo nomine (nec enim ignorari debent, qui institutum laude dignissimum promoverunt) in Præfatione triumviros comprimis laudat, *D. Hans Sloane*, qui Historiam manuscriptam stirpium Jamaicensium locupletissimam, nec non plures plantarum centurias a peritissimis Botanicis, *D. Vernon* & *D. Krieg*, in Marilandia collectas, benevole sibi communicaverit: *D. Jacobum Petiver* Pharmacopœum Londinensem, Virum, si quisquam alius, ex toto orbe conquirendarum stirpium exoticarum studiosissimum, qui plurimis novis & raris, imo insolitis & admirandis speciebus opus hoc suum ditaverit: & *D. Guilielmum Sherardum*, qui ultimum illi complementum adjecerit, bis mille stirpium nondum editarum auctario sponte & generose collato, schedas etiam suas, antequam typis committerentur, rogatu suo diligenter perlegerit, curaveritque ut rite omnia cohærent. Neque tacet, suas etiam symbolas triumviros alios, *D. Tancredum Robinson*, *D. Edwardum Lhvyd*, & *D. Samuelem Dale*, perficiendo operi contulisse.

Reliquum est, ut de Appendicibus subjunctis pauca dicamus. Primo loco *P. Georgii Josephi Camelli* Herbarum aliarumque stir-

um, in insula Luzone Philippinarum primaria nascentium, Syllabus
 omparet. Auctor, natione Brunensis Moravus, Manilæ, istius in-
 ilæ metropoli, hodieque degit, & Societatis Jesu, cujus membrum
 t, Pharmacopœi munere fungitur, qui propria manu plantas in
 la insula obvias descripsit ac delineavit, earumque partem magnam
 d Raium nostrum benevole transmisit, præsentî Syllabo compre-
 ensam, quam invidere Noster nec aliis sustinuit. Sequuntur
 antæ novæ a *D. Josepho Pitton Tournefort* Aquæ-Sextiensi ob-
 ervatæ in Orientalibus regionibus, & in Corollario Institutionum
 ei Herbariæ (de quo nuper admodum mense Martio pag. 138
 iximus,) nominatenus traditæ; ita tamen, ut cum apud Tourneforti-
 m ipsum eo ordine, quo ad plantarum species in ipsis Institutio-
 ibus Rei Herbariæ antehac propositas referri quæque debet, exhi-
 eantur, hic in ordinem alphabeticum redactæ sistantur. Quibus
 enique Plantæ etiam a *D. Gulielmo Dampier*, in Brasilia, Nova
 Hollandia, Timor & Nova Guinea observatæ & collectæ; nec non
 antæ Spitzbergenses, a *Frederico Martens* in Itinerario suo descri-
 tæ; Plantarum item rariorum, a *Caspere Commelino* in Præludiis
 otanicis recensitarum, Descriptiones; & *Jac. Petiveri* Plantæ ra-
 ores Chinenses, Madraspatanæ & Africanæ, cum ejusdem Cata-
 ogo Plantarum in hortis suis siccis conservatarum, & Farragine
 antarum quarundam Indicarum & Americanarum incertæ sedis,
 bjiuntur.

Γ Ε Ω Π Ο Ν Ι Κ Α.

GEOPONICORUM, SIVE DE RE RUSTICA LIB-
 ri XX. CASSIANO BASSO Scholastico Collectore. Antea Con-
 antino Porphyrogenneto a quibusdam adscripti. Græce & Latine.
 Græca cum MSS. contulit, Prolegomena, Notulas & Indi-
 ces adjecit PET. NEEDHAM A. M. Coll.

D. Joannis Cantabrig.

Socius.

Cantabrigiæ, typis Academicis, impensis A. & J. Churchill,
 Bibliopolarum Londinensium, 1704.8.

Constant Alph. 1½.

majoribus Græcorum scriptorum de Re Rustica voluminibus,
 excerpta sunt hæc nostra, quæ exhibentur, Geoponica, non se-
 mel

mel equidem a viris doctis publici juris facta. Quoniam vero melior, quam quo ornati erant hactenus, ea decebat habitus, cumque reliquæ hæ solæ, de hoc argumento Græco sermone scriptæ, deperditis ipsis, ex quibus depromptæ sunt, monumentis, ad nos usque perduraverint, & spes nulla amplius affulgeat, fore, ut ex bibliothecis Italiae & doctorum virorum loculamentis, ipsa Florentini, Heronis & aliorum Geoponica aliquando excutiantur, trium annorum studium novæ horum fragmentorum editioni adornandæ ut consecraret, amicorum hortatu induci se Clarissimus editor Petrus Needhamus passus est, ut æque nitide & emendate, ac Latini de Re Rustica Scriptores toties prodierunt, hæc quoque luci exponerentur publicæ. Nihil vero omisisse eum temere, quod ad scopum hunc suum faceret, fatemur merito. Et quanquam non neglexit excusos jam typis libros, præcipuum tamen auxilium a manuscriptis codicibus esse repetendum, non ignoravit; unde & refertissimis illis omnis generis librorum seu manu exaratorum seu typis descriptorum Angliæ Bibliothecis studiose perlustratis, tredecim manuscriptos, partim integros, partim mutilatos inspexit codices. Ast neque hi diligentia ejus posuere limites, sed & magnorum virorum, quales sunt Casaubonus, Saracenus, Galeus & alii, cura ipsi subvenit, qua marginibus librorum manu sua tritorum correctiones, annotationes, & collationes adperserunt; cuius laboris ipsi copiam fecerunt Bibliothecæ non minus publicæ, quam munificentia Virorum boni literarii studiosissimorum, inter quos, dum viveret, Jo. Cottonus fuit, & nunc est Amplissimus Norvicensis Ecclesiæ Episcopus, Joannes Morus, quem dignis tanto literatorum Fautore encomiis ornavit Noster, & librum hunc illi inscripsit, & tanquam ipsi proprium, velut ex cuius Thesauro prodierit, vindicavit. Versionem Latinam Jani Cornarii, etsi invenustam, fidelem plerumque tamen, innumeris potius locis repurgare voluit, quam totam abjicere; in qua castiganda non nihil sibi opis Andreæ a Lacuna attulisse non dissimulat, qui octo posteriores libros a se translato Coloniae A. 1543 edidit. Id autem, quod præstitisse jactitet in pagella titulari, eum non fecisse, Needhamus judicat, cum plurima aut prorsus præterierit, aut perperam intellexerit. Notularum numerum & illæ adaugent, quibus Janus Gruterus Cornarii versionem, olim inter suos libros relatam, passim

notavit. Et sicuti nihil facile, ita nec versionem Italicam eam susque deque habuit, quæ a Petro Lauro Modenensi adornata est: Gallicum vero incassum quæsit interpretem; quod idem ipsi cum Langbainianis collationibus accidit, quarum ipse Langbainius in Epistola ad Usserium aliquando meminit. Plurima, præcipue in re Botanica, se hausisse candide monet, ex erudita Salmasii in Solinum notarum congerie, in qua nullus quidem ordo compareat, sed copia rerum insignis, & in qua ea, quæ de herbis & aromatibus dicuntur ex sententia veterum, ad Geoponicorum quoque mentem accedant propius.

Auctorem Collectionis hujus de Re Rustica Scriptorum Græcorum, non unum Viri Eruditi omnes statuunt. Augustorum nomine non indignam quidam hanc æstumarunt operam, & Constantino Pogonato, sed Porphyrogenneto Basilii Macedonis nepoti alii tribuunt. Inferiorem his dignitate, Cassium Dionysium Uticensem compilasse hanc farraginem, tertia doctorum est opinio; in qua nec dum acquievit aliorum investigatio, qui cum Harduino eadem esse Geoponica contendunt cum Georgicis, quæ Vindianus Anatolius Berytus collegerit, quæque etiam se legisse, in Myriobiblo testetur Photius. Omnium tandem diversæ doctæque propositæ sententiæ neutquam se Nostro approbant, quod vel male intellectis Auctorum verbis nitantur, vel ipsi Scriptorum ætati adversæ sint, vel librorum diversum numerum inferant, & ex tribus nominibus unum faciant. Quare solum Cassianum Bassum pro vero operis Collectore agnoscit, & sententiæ suæ plures allegat asseclas, Hadrianum Junium, Cl. Salmasium, & alios, qui tamen doctorum potius hoc esse iudicium dixisse contenti, ex suo nihil determinarint. Attamen nec sola stat horum auctoritate Needhamus. Hinc titulum libro secundo in Barocciano codice præfixum, eademque qua codex manu exaratum, vocat in subsidium: *Ἐκ τῶν περὶ Γεωργίας ἐκλογῶν Κασσιανῆς Βάσιος ἡολασικῆς βιβλίου ἑξ ἄλλων περιέχον τὰδε*, quem aliquid ponderis apud idoneos rerum æstumatores habiturum sperat. Nam id quoque sibi non contrariari credit, quod sub Cassiani nomine quædam compareant in hac Ecloga; cum veterum consuetudini id conveniens sit, ut, quoties aliorum confarcinabant opera, suas conferrent quoque, proprio præscripto nomine, symbolas. De ipso Cassiano pauca sunt, quæ innotuerunt hactenus;

nus; non postremum interim famæ ejus testimonium putatur, quod Hierocles in Hippiatricam Proœmio ἀριστον Βάσσον in re dubia in consilium vocare, non dedignatus fuerit. De natali solo suo, sub-obscurè quidem ipse Bassus quædam Geop. l. V c. 6 reliquit, ubi Μαρατώνυμον χωρίον nominat, sed fatetur Clarissimus Needhamus, ubi terrarum fuerit istud Μαρατώνυμον χωρίον, se adhuc latere. Atque hæc de Geoponicῶν Collectore. Nunc deveniendum nobis ad Scriptores singulos, quos iste collegit, & juxta Alphabeti, quod vocant, seriem Needhamus noster exhibuit. Ubi primum locum *Apsyrtes* obtinet, docente Suida Prusæensis, vel Nicomediensis, sub Constantino ad Istrum bello Scythico miles: librum scripsit Hippiatricum, & de equis Physicum, & alia. Hunc *Julius Africanus* excipit, professione Christianus, & primus, si Vossii valet auctoritas, qui horum Chronologiæ fontes reclusit, scripsitque Πεντάβιβλον χρονολογικὴν Eusebio exscriptam, & novem κεσῶν libros, quibus a rerum varietate nomen est, complexos res Medicas, Physicas, Rusticas & Chymicas, ut Georgius Syncellus & Suidas ajunt. Eusebius quoque epistolæ ad Origenem ejus meminit, in qua historiam Susannæ, quæ in Danielis libro legitur, spuriam suspicetur. Etiam si vero Valesius & Scaliger diversum Africanum Chronographum a κεσῶν Auctore faciant, contrarium tamen ex ipsis Photii verbis Noster ita probatum. Suidas facit patria Lybicum. Vixit tempore Alexandri Severi Imperatoris, quia ipse testatur, Partefanem se vidisse, qui haud dubie sub hujus imperio clarus fuit. Pauca quædam adhuc ejus κεσῶν capita extant, ad calcem Hero-nis Alexandrini aliorumque Mathematicorum veterum Parisiis editorum, sed mutila & luxata. Non minus locum *Anatolius* inter Geoponicos meruit, a Suida dictus μάγιστρος Θεοδοσίῃ βασιλέως. Uti duorum illustre *Apuleiorum* nomen est, ita dubium est, cujus fragmenta ornent Geoponica. Colvius cum Apuleio Celso Centuripino facit, qui sub Augusto & Tiberio floruisse creditur, & a Scribonio Largo præceptor suus nominatur, ac a Marcello Empirico Medicis Latinis accensetur. Albertus Faber autem in Decade Decadum a Madaurensis Philosophi Platonici stat partibus, cujus diversa a jam extantibus passim veteres allegant scripta. Arbitrium aliis relinquit Needhamus Noster. Subjunctus huic *Aratus* est

est Astronomicarum & Phænomenarum Auctor, Solensis e Cilicia, cujus sub Antigono Gonata Macedoniae Rege nomen nullibi non est notissimum. Ad *Berytium* accedens Auctor, male eum Photio Berytum audire submonet. An sit Hermippus Berytius, juxta Suidam ætate Adriani celebris, Philonis Byblii discipulus; an Taurus Berytius Platonicus, sub Antonini Pii imperio; an Lupercus Berytius, qui Claudium non multum antecessit tempore, atque de Pavone, Squilla, & Gallo apud Platonem libros composuit, quorum itidem Suidas memoriam conservavit, non satis expeditum est. Sed magis clarum, quod *Democriti* nomen non antiquissimum celeberrimumque simul Philosophum, Hippocrati æqualem indicet, quem ad agriculturæ peritiam multum contulisse veteres laudant, sed recentiorum aliquem, cujus Physica & Chymica in bibliothecis quibusdam visuntur, ex quibus deprompta fuisse ista Physica omnia ridicula & *Δημιουργία Παράδοξα*, quæ hinc & inde prostant in Geoponicis, Needhamus autumat. Plures etiam uno nomine celebrantur a veteribus *Didymi*. Postremum recenset *Didymum Alexandrinum* Suidas, qui de Re Rustica libros XV reliquisse scribitur, ex quibus in Geoponica quædam relata esse, merito credimus. Qui hunc sequitur, *Cassius Dionysius*, a patria Uticensis, non tam ipse quid ex suo nobis dedit, quam viginti & octo Punicos Magonis de Re Rustica libros, Græcis viginti expressit, quod de ipso Varro memorat. Ejusdem fere ingenii sunt, quæ *Diophanis Bithyni* nomen præ se ferunt. Is enim Cassium Dionysium contraxit in sex libros, uti vicissim Diophanem contraxit Asinius Pollio Trabianus. Ortus est Diophanes ex Nicæa urbe, æqualis Julio Cæsari & Ciceroni. Posterior hoc *Florentinus* est, vel Florentius. Macrino enim clavum Imperii tenente, anno post Christum 213 eum scripsisse, Nostro est probabile. Commentarii ejus sunt de Re Rustica, quod discimus ex Photio. Ab hoc ad *Frontonem Emisenum* devenit Auctor, qui regnante Severo Romæ Rhetor docuit, postea Athenis, ubi diem obiit, relictis orationibus pluribus, Suida testimonium suppeditante. Hinc ad *Hieroclem* progressus, jurisprudentiam eum coluisse edoctus, de binis ejus *περὶ τῆς τῶν ἱππῶν θεραπείας* nos facit certiores. Ætatem ejus non cognovit exactius, nisi quod Apstyrto videatur esse junior. Nec forte major ille, cu-

jus quædam hic inserta sunt, *Hippocrates* Veterinarius Scriptor, Coo
 Medicinæ Patris nomine honorato & gloria & ætate inferior. Ast
 qui primo loco poni debebat, si ad natalium hic attendere digni-
 tatem conveniret, *Juba* offertur, *Jubæ* Mauritanix Regis filius,
 a Julio Cæsare in triumpho ductus, cujus felix eo nomine de-
 prædicatur captivitas, quod inter barbaros & artis imperitos natus,
 Græcorum quoque doctissimos, data sic opportunitate, æquaverit.
 Græce & Latine scripsit libros veteribus laudatos. Quem *Leonti-*
num plerique nominant, *Leontius Scholasticus* esse putatur, cujus
 Epigrammata lib. IV Anthologiæ licet legere, in effigies Callinici
 Cubicularii, & Gabrielis Præfecti, quorum hunc Justiniani ætati con-
 venire, Auctorum fides comprobatur. Nulli antiquitate *Nestor* ce-
 deret, si fidem Antonius Mizaldus mereretur, qui ex bello Trojano
 eum revocat; sed alium esse Auctor docet hoc longe postero-
 rem Poetam nostrum ex Lycia, sub Alexandro Severo clarum, cujus
 tempore Ἰλιάδα λειπογράματον, Ἀλεξάνδρειαδα, Metamorphoses
 & alia plura composuit, ex quorum numero Ἀλεξίσηπ & Πανά-
 κεια, quorum passim in Geoponicis mentio. Ad nomen oppido
 notum iterum deferimur. *Oppiani* illud est *Cilicis* Poetæ & Gram-
 matici, teste Suida, Ἀλιότικα Antonino Caracallæ dicavit, quæ, ut
 & Κωνηγετικά edidit Rittershusius. Iterum Grammaticus se
 sistit *Pamphilus Alexandrinus* Aristarchi discipulus, qui seculo
 ante Christi nativitatem secundo vixit. Multa de herbis fabulas
 redolentia compilavit, de quo Galeni & aliorum sunt allata testi-
 monia. Ejus esse putantur, quæ sine nomine libris IX & XI Geo-
 ponicōν leguntur, superstitione plena. Meminit Athenæus Pam-
 phili Alexandrini cujusdam, qui περὶ ὀνομάτων καὶ γλωσσῶν
 scripserit, quem eundem cum nostro esse, non absimile vero esse
 Auctor noster judicat. *Paxamus* Culinariæ rei Scriptor, a Sui-
 da diversorum operum Auctor proditur, quorum pars huc
 pertinet. Minus constat de *Pelagonio* incertæ ætatis aucto-
 re, nisi quod sæpius laudetur in Hippiatricis. Ex diversis, de qui-
 bus legimus, *Philostratis* in Geoponicis laudari Needhamus autu-
 mat juniorem illum Lemnium, qui Apollonii Tyanensis vitam ex-
 plicavit. Suidas Sophistam primum Athenis, deinde Romæ do-
 cuisse ait, sub Severo Imperatore usque ad Philippum. Photius Ty-

rium vocat, Atheniensis est Eusebio. Ex Philosophorum ordine se conspicendum præbet *Ptolemæus Claudius Alexandrinus*, qui Marci Imperatoris tempore floruit. Recensum librorum ejus Suidas fecit. Uno nomine non immerito duo comprehenduntur *Quintilii*, *Gordianus* sive *Condianus*, atque *Maximus*, fratres. Eo enim amore se sunt amplexi mutuo, ut nihil alter fecerit sine altero. Scripserunt *Georgica*. Perdidit eos tyrannis *Commodi*. *Sotione* ratio post hunc ordinis producit. *Alexandrinum* dicunt aliqui, & ad *Tiberii* ævum ex *Plutarcho* eum referunt. Scripta ejus diversi diversa adducunt. *Juniorem* aliquem præter hunc fuisse, *Needhamus* colligit ex voce *Ἰνυγλα* sequioris Græcitatibus, quæ *Geopon* l. IX c. 27 occurrit. Qui a patria *Tarentinus* appellatus est, subjungitur. Hoc autem duo nomine celebres sunt, *Archytas* alter, quem agriculturæ studium coluisse *Columella* ait, alter *Heraclides Medicus Empiricus*, quem *Antonio Musa Augusti* illo *Archiatro* superiorem *Galenus* facit. Posteriori deberi fragmenta, quæ in *Geoponicis* leguntur, *Lambecius* censuit, ad quem *Needhamus* accedit. Ex *Hippiatricorum* iterum numero est *Theomnestus*, quem inter *Cæsarianos Equites* in armis versatum narrat *Pearsonius*, dubium quo argumento. Nomen *M. Terentii Varronis* adduxisse sufficit, cum noverit eundem quilibet. Sed nomine tantum notus est *Vindanionius*, quem *Vindanium* dicit *Photius*. Unus tandem *Zoroastres* superat, non *Astronomorum* & *Magorum Princeps*, 500 annos *Trojano bello* major, ut *Suidas* ponit calculum, qui & operum indicem exhibet; sed inferior, quisquis fuerit: certe *Persomedum* illum non esse, fidem oppignerare *Clarissimus Needhamus* audet.

Hæc ex *Præfatione* & *Prolegomenis*, quæ ad notitiam hujus editionis penitiorem faciunt, decerpimus. Ad *Notulas* debebamus nunc pedem promovere propius, ast habenda nobis brevitas ratio. Indices ergo operi subnexos ultimo loco commendamus, inter quos primus *Auctorum* est, quorum excerpta leguntur & laudantur in *Geoponicis*, quorum & vitas in *Prolegomenis* *Needhamus* profequutus est. Secundus verborum *Græcorum* usus & significationis rarioris, aut sequioris ætatis, in *Geoponicis* occurrentium. Tertius rerum, isque locupletissimus.

SOLUTIO PROBLEMATIS A CLARISS. VIRO
D. JO. BERNOULLI in Diario Gallico Feb. 1703 Propositi,
quam D. G. CHEYNÆO communicavit
JO. CRAIG.

Transcripta ex Actis Philosophicis Anglicanis M. Jan. & Febr. A.
1704, no. 289 pag. 1527 sqq.

Problema. Propositæ Curvæ Geometricæ alias innumeras Lon-
gitudine Æquales invenire.

Solutio. Sint w, s , co-ordinatæ Curvæ datæ; & Curvæ quæ-
sitæ sint co-ordinatæ x, y : tum ex conditione Problematis erit
 $dw^2 + ds^2 = dx^2 + dy^2$. Ponatur $dx = dw - m dz$,
unde erit $dy = \sqrt{ds^2 + 2m dw dz - m^2 dz^2}$; in hac pro
 ds substituatur ejus valor per w, dw & determinatas expressus: &
pro dz assumatur talis valor ex w, dw & determinatis composi-
tus, ut valores quantitatum dx, dy sint summabiles: Et sic ha-
bentur x ac y Co-ordinatæ Curvæ quæsitæ. Q. E. J.

Exemplum 1. Invenire Curvam æqualem Lineæ Parabolicæ.
Sit $2a$ latus rectum Parabolæ; adeoque $2as ds = w^2$ unde
 $ds^2 = a^2 \frac{w^2 dw^2}{dz - m^2 dz^2}$ adeoque $dy = \sqrt{a^2 \frac{w^2 dw^2}{dz - m^2 dz^2} + 2m dw dz - m^2 dz^2}$;
ut hæc sit summabilis, assumatur $m dz = \frac{w^2 dw}{a^2}$ unde
 $dx = dw - a^2 \frac{w^2 dw}{dz - m^2 dz^2}$: $dy = dw \sqrt{3a^2 \frac{w^2}{dz - m^2 dz^2}}$
 $\frac{4}{a^2} w^4$ quarum integrales per Methodos dudum cognitæ in-

venientur $x = w - \frac{w^3}{3a^2}$ $y = \frac{w^2 - 3a^2}{3a^2} \sqrt{3a^2 - w^2}$.

Exemp. 2. Invenire Curvam æqualem Circulari. Sit a
radius Circuli; tum $s = \sqrt{a^2 - w^2}$: unde $ds^2 = \frac{w^2 dw^2}{a^2 - w^2}$;
& proinde erit $dy = \sqrt{\frac{w^2 dw^2}{a^2 - w^2} + 2m dw dz - m^2 dz^2}$;
ut hæc sit summabilis, assumatur $m dz = \frac{4w^2 dw}{a^2}$,
adeo-

adeoque $dx = dw - \frac{4w^2 dw}{a^2} : dy = \frac{-3a^2 w + 4w^3}{a^2 \sqrt{a^2 - w^2}} dw.$

Quarum integrales per communes Methodos inveniuntur $x = w -$

$\frac{4w^3}{a^2}, y = a^2 \frac{-4w^2}{3a^2} \sqrt{a^2 - w^2} :$

Exemp. 3. Invenire Curvam æqualem Ellipticæ. Sit $2r$

latus rectum, $2a$ latus transversum, tum $s = \frac{r \sqrt{a^2 - w^2}}{a},$

unde erit $ds = \frac{r^2 w^2 dw}{a^4 a^2 w^2},$ adeoque $dy = \sqrt{\frac{r^2 w^2 dw^2}{a^4 - a^2 w^2}}$

$+ 2m dw dz - m^2 dz^2;$ ut hæc sit summabilis, assumatur

$m dz = \frac{2a + 2r}{a^3} w^2 dw : \text{unde } dx = dw - \frac{2a - 2r}{a^3}$

$w^2 dw. dy = dw \sqrt{\frac{r^2 w^2}{a^4 - a^2 w^2} + \frac{4a + 4r}{a^3} w^2 + \frac{2a + 2r}{a^6} w^4 ;$

Quarum Integrales per Methodos notissimas inveniuntur $x = w$

$- \frac{2a - 2r}{3a^3} w^3. y = \frac{2a^3 - ra^2 - 2aw^2 - 2rw^2}{3a^2} \sqrt{a^2 - w^2}.$

Exemp. 4. Invenire Curvam æqualem Parabolæ Cubicali

ujus æquatio fit $3a^2 s = w^3. \text{Unde } ds = \frac{w^2 dw}{a^2}$

et proinde $dy = \sqrt{a^4 w^4 dw^2 + 2m dw dz - m^2 dz^2};$

ut hæc sit summabilis, assumatur $m dz = \frac{w^2 dw}{2a^2} \text{Unde}$

$x = dw - \frac{w^2 dw}{2a^2} \sqrt{3w^2 + 4a^2}.$ Quarum integrales

per Methodos vulgo notas sunt $x = w - \frac{w^3}{6a^2}, y = \frac{2}{9} x$

$\sqrt{3w^2 + 4a^2}.$

Ex aliis infinitis valoribus quantitatis $m d z$ debite assumptis infinitas invenias Curvas datae æquales. Tu vero, *Vir Eruditissime*, facile percipias, hoc Problema aliquam habere cum Problemate quodam Diophantæo affinitatem. Problema Diophanti est, dividere summam duorum Quadratorum in duo alia Quadrata, quorum latera sint rationalia; & Problema Bernoullii est, dividere summam duorum Quadratorum in alia duo Quadrata, quorum latera sint summabilia. Sicut Problematis *Diophantæi* solutio a vulgari tantum Algebra dependet, sic *Bernoulliani* Problematis solutio communes tantum Fluxionum Methodos inverfas requirit: utriusque artificium in debita laterum quæditorum assumptione consistit; sc. *Diophantæum* ut sint rationalia, *Bernoullianum* ut sint summabilia.

LIBRINOVI

Henrici Bergeri Jcti Enarratio Legis X Pand. de Jure Fisci & Legis II Cod. Qui & adversus quos in integrum restitui non possint. Lipsiæ apud Lanckisios heredes, 1705 4.

D. Luderi Menckenii Selectæ Dissertationes Juridicæ ex Jure Civili, Feudali, Canonico & Saxonico. Lipsiæ, apud Christ. Emerich, 1705 4.

Sacer Decadum Septenarius Memoriam Theologorum nostra ætate clarissimorum renovatam exhibens &c. Curante M. Heinricho Pippingio. Lipsiæ apud Thomam Fritsch, 1705 8.

C. Jul. Caesaris quæ extant, cum A. Hirtii vel C. Oppii Supplementis ipsiusque Caesaris Fragmentis aliis. Christophorus Cellarius recensuit ac Notis perspicuis, Indicibus plenis & novis Tabulis Geographicis illustravit. Lipsiæ apud Jo. Lud. Gleditschium, 1705 8.

Continuation des Pensées Diverses, écrites à un Docteur de Sorbonne à l'occasion de la Comete, qui parut au mois de Decembre 1680. Ou Réponse à plusieurs Difficultez, que Monsieur ... a proposé à l'Auteur. A Rotterdam chez Reinier Leers, 1705. 12.

Description de L'Isle Formosa en Asie. Dressée sur les Memoires du Sieur George Psalmanaazar. A Amsterd. chez Estien. Roger, 1705. 12.

A C T A ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Maji, Anno MDCCV.

THE CASE OF IMPROPRIATIONS, AND OF THE
Augmentation of Vicarages &c.

i. e.

DE APPROPRIATIONIBUS ET AUGMENTO
*Curarum, quæ Vicariæ dicuntur, nec non aliarum minus sufficien-
tium Disquisitio, ex Historiæ & Legum fundamentis deducta, inde
a prima usurpatione Pontificum ac Monachorum, usque ad libe-
ralitatem augustam, quam nuperrime præsens Regina voluit ex-
tendere in pauperiores Ecclesiæ Anglicanæ Ministros. Accesserunt
documenta quedam ad susceptam tractationem pertinentia.*

Auctore WHITE KENNETT.

Londini, apud Avvnsham & Joh. Churchill, A. 1704, 8.

Constat Alph. i. plag. 8.

QUOD præsens Angliæ Regina, primo statim die post re-
gimen a se susceptum, significavit, *animum sibi esse
prorsus Anglicum*, h. e. regionum sibi subditarum utili-
tatibus omnino devotum, ejus veritatem documentis
illustribus probatam illa dedit. E quibus præcipuum
forte dici potest, quod miserta est conditionis pauperum, quot-
quot per universam Angliam inveniuntur, ecclesiæ ministrorum,
quæque munificentia effecit, ut iisdem de necessaria ac honesta
sustentatione melius jam sit prospectum. Etenim cum per statu-
tum sub Henrico VIII conditum, & sub Elisabetha denuo con-
firmatum, necessitas imposita fuisset singulis beneficiorum eccle-

siasticorum possessoribus, non solum integros primi anni fructus, sed præterea quovis anno decimam omnium fructuum partem, in fiscum regium inferendi; in plurimis autem ecclesiis hi, qui illarum erant ministri, ob summam, in qua vivebant, egestatem, multorum annorum decimas non solvissent, adeoque fisci debitores existerent: non dubitavit clementissima Regina anno regiminis sui secundo debitum istud, ratione temporis præteriti, omnibus illis remittere, quorum annua stipendia non excederent triginta librarum Sterl. quantitatem. Sed hujus tanti beneficii magnitudinem longe superavit aliud, quod paulo post secutum. Die enim, qui olim natalis ipsi fuerat, & secundum nostram computationem fuit 18 Febr. anni 1704, Parlamento propositum sibi esse indicavit, ut omnes redditus, qui ex annatis & decimis beneficiorum ecclesiasticorum ad ipsam spectarent, in posterum ad meliorem sustentationem pauperum ecclesiæ ministrorum applicentur, simulque suppeditari sibi voluit consilia, quibus iste finis modo maxime efficaci & constante queat promoveri. Agnovit Parliamentum liberalitatem vere regiam, atque solenni statuto non solum ratam esse voluit, sed & statuit, ut secundum Regiæ Majestatis arbitrium stabiliretur certum aliquod ac perpetuo duraturum collegium, eique jus competat, non istos duntaxat redditus annatarum atque decimarum, verum etiam concessionem, quas eodem fine ab aliis fieri contingeret, recipiendi, administrandi, & exinde ministrorum ecclesiæ Anglicanæ redditus augendi. Attulit hoc ipsum populo universo, atque illis præcipue, ad quos benignitatis istius emolumentum pertinebat, lætitiæ incredibilem, Reverendo Viro autem, *White Kennet*, Doctore Theologo, Archidiacono Huntingtoniensi, & Londini in templo, cui nomen *St. Botolph Aldgate*, sacrorum Ministro, præbuit occasionem, ut in libro, quem hic recensendum nobis summus, quemque Regiæ dicare voluit, accuratius inquireret in originem, causas & progressum calamitatis, in quam pleræque ecclesiarum in Anglia, præsertim per ita dictas *appropriationes*, inciderint, tum quid quovis tempore malum istud vel auxerit vel diminuerit, exponeret, denique quantum sit, quod hac in parte præsens Regina pie atque laudabiliter fecerit, perspicuum redderet, simulque quantum adhuc complementum felicitati huic ad-

di possit, modeste & interdum tecte significaret. Operæ pretium fore censemus, si totius operis summam exhibeamus.

Per sex vel septem secula priora post C. N. moris fuisse, ait Noster, in Anglia, ut singuli episcopi cum presbyteris suis atque diaconis communiter viverent prope templum cathedrale, fideles vero quicquid decimarum vel oblationum exhibere vellent, id omne eo conferrent, non nisi piis usibus ex arbitrio episcoporum deinceps applicandum. Et istis quidem temporibus in quavis diocesi, præter templum istud cathedrale, non aliud extitisse docet, in quo solenniter & stas temporibus sacra fuissent administrata, missos tamen subinde ab episcopis quosdam presbyteros, qui in partibus remotis de loco in locum migrarent, & sacrorum, prout occasio sese offerret, curam haberent; quin & capellas atque oratoria nonnullis in locis episcopos consecrassent; interim neutrum horum effecisse, ut mutata fuerit colligendi ac dispensandi bona ecclesiastica ratio. Neque tum statim mutatam esse asserit, cum in parochias dividerentur dioceses, cujus rei originem Romanis episcopis & antiquis Britannis a quibusdam tributam, ipse dicit arcessendam esse a temporibus Anglo-Saxonum, qui sensim opus illud perfecerint. Primam vero vim memorato juri episcoporum factam ostendit ex eo, quod, cum incerti essent atque confusi termini parochiarum, multi crediderint arbitrio suo relictum esse, animæ suæ curam cui vellent committere, & in eundem decimarum quoque & aliarum oblationum præstationes conferre. Cui malo ut obviam iretur, præcipue cum monachi presbyterorum, & horum alter alterius jura lucri causa invaderent, mature quidem allaboratum, obicem tamen illi non ante seculum XIII positum esse narrat. Inde progreditur ad alteram injuriam, quam passi sint clerici parochiales per divisionem obventionum ecclesiasticarum, initio quidem ita susceptam, ut ex quatuor partibus unica saltem potestati episcoporum, postea vero, ut nihil plane iisdem relinqueretur, sed tribus partibus constitutis, una conservationi & ornatui ædium sacrarum, altera pauperibus & hospitibus alendis, tertia propriis presbyteri usibus impenderetur. Ex eo enim factum esse demonstrat, ut laici tertiam harum obventionum partem sufficere crediderint necessitatibus ecclesiarum, ac

p. 1.

p. 2.

p. 3.

p. 8.

p. 4.

p. 5.

p. 16.

p. 12.

p. 14.

p. 15.

p. 16.

- p. 17. reliquas duas partes, quas singuli presbyteri recipere ac dispensare debuissent, proprio arbitrio (licet non facile aliter nisi ad pios usus) distribuerint; cujus tamen rei iniquitatem successu temporis agnovisse eos addit, ac diu ante susceptam reformationem jura ista usurpata fuisse restituta ecclesiæ, quamvis non semper parochiali.
- p. 18. Novum detrimentum in parochiales redundasse probat ex eo, quod, qui jure patronatus gauderent, illud in collegia vel canonicorum vel monastica contulerint. Postquam enim hoc fatum intra spatium ducentorum annorum expertæ essent pleræque ecclesiarum parochialium, invaluisse dicit, ut canonici curatis quibusdam, monachi vero sacerdotibus, quos dicebant seculares, curam animarum, sed reddituum eo intuitu percipiendorum partem solum, interdum valde exiguam, relinquerent, reliqua parte sibi ipsis reservata; quod exemplum cum laici quoque patroni imitandum sibi proposuissent, omnes fere ministros ecclesiarum parochialium in Anglia patronis suis tributarios fuisse factos. Hanc licentiam porro ostendit, quod ad laicos attinet, Eduardo II regnante penitus abolitam, & in aliis quoque variis modis restrictam. Sed cum intra limites præscriptos ægre se contineri paterentur monachi, consilium eos cepisse longe deterius, & clero parochiali maxime noxium, in sequentibus demonstrat. Nimirum id egisse illos, (non quidem, quæ sit opinio Seldeni, Saxonibus regibus rerum potentibus, sed post Normannorum in Britanniam adventum) ut ecclesiæ, quarum hucusque modo fuerant patroni, cum omnibus emolumentis ad easdem spectantibus, ipsis *appropriarentur*, h. e. ita addicerentur, ut quicquid illarum curam & fructus respiceret, id omne ex ipsorum arbitrio penderet. Variis autem artibus illos effecisse ait, ut malum sub istis appropriationibus latens non statim appareret. Primo enim officia, quorum intuitu fructus integros ad se traxerant, eos ipsos per vices subiisse, commemorat. Deinde cum negligentius in istis laboribus versarentur, ac propterea ab episcopis jussi essent rerum suarum intra monasteria sua satagere, constituisse eos in dictis ecclesiis capellanos quosdam, vicarios sive curatos, & his, quamvis ægre, salaria porrexisse, quæ sufficere posse viderentur. Tertio cum ecclesias in usus suos converti curarent, profiteri eos consuevisse, rationem
- p. 19.
- p. 20.
- p. 21.
- p. 22.
- p. 23.
- p. 25.
- p. 26.
- p. 27. 32.

nem sese habituros pristinae partitionis, & duas quidem obventio-
 num ecclesiasticarum partes ad se recepturos, sed cum onere an-
 nexo prospiciendi ædibus sacris & pauperibus, tertiam vero & cum
 ea plerumque omnes decimas minores & alios redditus minutos si-
 ne ullo onere relicturos ecclesiae ministro. Visum hoc fuisse non
 solum maxime æquum, sed & ad curam animarum promovendam
 admodum salutare. Hinc sponte sua atque certatim laicos, epi-
 scoporum confirmatione accedente, obtulisse monasteriis jura pa-
 tronatus in ecclesias sibi competentia. Idem studium ecclesias pa-
 rochiales quasi proprias sibi faciendi transiisse tandem in clericos
 seculares, neque in capitula duntaxat, sed & in alia collegia, e.g.
 ordines militares, fraternitates, hospitalia, imo in singulos, nun-
 quam tamen laicos homines, veluti decanos, thesaurarios, can-
 cellarios &c. Quamvis horum omnium in hac re industriam
 longe superaverit calliditas & successus monachorum, partes suas,
 ubicunque opus, apud episcopos, apud sedem Romanam, apud
 patronos & rectores ecclesiarum, & apud reges ipsos egregie
 agentibus, ut post lapsum centum vel ducentorum annorum, in-
 star miraculi videretur, si quæ fortassis ecclesia generalem istam
 calamitatem evasisset. Sed initio quidem ejusmodi appropriatio-
 nes magis fuisse tolerabiles contendit, quandoquidem (1) neque a-
 nimarum cura propterea neglecta sit, neque hi, ad quos illa cum ti-
 tulo vicariorum vel simili pervenerat, debitis fraudati fuerint sti-
 pendiiis, quorum ipsis relictam quantitatem jam ante innuerat
 Clarissimus Autor, non facile fuisse infra tertiam partem omnium
 reddituum ecclesiasticorum ad parochiam spectantium, inter-
 dum vero probat ad dimidiam vel dimidia longe majorem,
 ascendisse, & non in pecunia tantum, verum in aliis quoque re-
 bus magis duraturam quovis tempore utilitatem habentibus con-
 stituisse; (2) facultatem habuerint episcopi subveniendi necessita-
 tibus vicariorum, atque illorum portionem minus sufficientem
 augendi, cujus juris exercitium cum sæpius autoritate pontificum
 impedire conati essent monasteriorum rectores, solitos fuisse e-
 piscopos hanc sibi potestatem in instrumento, quod appropriatio-
 nes confirmabat, expresse reservare, ipso tamen jure & a prima ec-
 clesiae origine eandem ipsis competiisse, & hodiernum post tem-

p. 29.

p. 33.

p. 35.

p. 36.

p. 37.

p. 39.

p. 40.

p. 42.

p. 44.

p. 45.

p. 47.

p. 48.

- p. 52. pora reformationis competere, variis argumentis ostendit ; (3) de-
- p. 53. prehensa vicariorum oppressione, licuerit episcopis (regulariter ta-
men accedente consensu eorum, qui decimas maiores jure pro-
prio possidere coepissent,) appropriationes semel concessas dissol-
vere, id quod sæpissime factum esse, sæpe etiam his, qui jure pro-
prio ecclesias tenebant, ultro illud petentibus, exemplis quibus-
- p. 56. dam commonstrat. Progressu autem temporis manifestius appa-
ruisse dicit, quam male actum sit cum ecclesia per istas appropria-
tiones, itaque a monachis novas quotidie inventas esse vias, con-
ditionem vicariorum, quos occupatis ecclesiis præfecerant, red-
dendi deteriore. Primo enim illos providam episcoporum cu-
ram elufisse, per exemptiones a pontificibus impetratas ; deinde
- p. 57. compulisse vicarios, ne stipendii loco exigerent quicquam, præ-
ter certam pecuniæ summam, quæ cum immensum crescentibus
rerum aliarum pretiis, eadem semper maneret, nullo modo ipso-
rum sustentationi, nedum iis, quæ rationes decori requirunt,
sufficere potuerit ; tertio, ut ad solvendas decimas maiores mo-
nachis acquisitas populus eo promptior esset, remisisse illos maxi-
- p. 58. ma ex parte decimas minutas vicariis solvendas. Porro usos il-
los obtentu specioso, *quod ecclesia non debeat ecclesiam decimare*,
atque sic retinuisse ex prædiis illis plurimis, quæ sua fecerant
præstationes omnes vicariis antea exinde debitas ; interdum in-
hos rejectum fuisse onus omne procurationum, ipsamque repara-
tionem ædium sacrarum ; quin ipsa vicariorum munera atque
beneficia appropriationis jure fuisse acquisita, ac tandem tot mo-
dos alios adhibitos, ut vicarii sacrorum cura neglecta nihil non
ad sui conservationem suscipere fuerint coacti. Inde exortas es-
- p. 61. se graves, præcipue clericorum secularium, querelas ; episcopos
p. 65. vero, quo in promovendis appropriationibus olim fuerint facilio-
res, eo majorem, quanquam haud semper felicem, curam tollen-
- p. 73. dis illis adhibuisse. Ex ipsis pontificibus, magnis alias approp-
riationum patronis & instrumentis, fuisse quosdam, ex. gr. Ale-
xandrum III & IV, item Innocentium III & IV, qui easdem val-
de improbarint. Sed laicis majori offensione illas fuisse probat
p. 78. his præcipue, qui ipsi olim jura patronatus, in ordines religio-
- p. 79. sos transtulerant. Inde sæpius illos apud pontifices, vel apud
epi-

episcopos fuisse conquestos, nonnullos etiam, data monasteriis pecunia vel re alia effecisse, ut solutis appropriationibus ecclesiarum quaedam in statum pristinum reverterentur. Quod vero maxime mirum videri poterat, ipsos ordines religiosos agnovisse publice refert injustitiam appropriationum, ita tamen, ut quem quisque morem damnaret in alio ordine, eundem in suo tolerandum esse censeret, paucis admodum, quorum exempla sistit, in domo propria reformationi studentibus. Hinc & quid in conciliis Constantiensi & Tridentino, nec non a Cardinalibus A. 1536 jussu Pauli III congregatis, ad investigandos, qui in ecclesiam irrepserant, abusus actum fuerit, exponit. Licet vero appropriationibus non negata fuerit regum pariter & parliamentorum conniventia (cujus rationem partim ab utilitatum propriarum studio, partim superstitiosa de monachorum pietate opinione, arcessendam arbitratur) nullo tamen tempore defuisse ostendit, qui easdem in numero præcipuorum ecclesiarum gravaminum primo loco ponendas existimarent, ipsis sæpe regibus ac parliamentis, plerumque tamen sine effectu, in eandem sententiam euntibus; id quod specialibus exemplis ex regno Henrici III, Eduardi I, Richardi II, Henrici IV, Henrici V, & Henrici VI petitis eleganter deducit; ubi præcipue quæ de *statuto manus mortue*, de proposita sub Henrico V monasteriorum dissolutione, de concordatis inter papam Martinum V & nationem Anglicam conclusis, & de criminationibus Wiclefo objectis differit, notari merentur. Henrico VIII regnante, primo non solum vicariis interdictum ait rectoriarum, ceu vocant, suarum conductione, (unde tamen magnam partem vivere eos oportuerit,) sed & per aliud statutum sublata fuisse varia augmenta, quæ ipsorum salariis accesserint; deinde cum autoritatis pontificiæ jugum excuteretur, tempus ad fuisse evincit, quo omnium optime, quicquid injuriarum passa erat ecclesia, tam per appropriationes quam per oppressionem vicariorum, refarciri potuerit. Sed nihil horum factum, imo auctum potius malum fuisse conqueritur. Parliamentum enim, nullo tamen (quod fieri debuisse contendit) cleri legitimo consensu accedente, devolvit in reges Angliæ, præter jus illud, a pontificibus olim usurpatum, anni integri fructus ex quovis bene-

p. 83.

p. 84.

p. 88.

p. 89.

p. 92.

p. 94.

p. 97.

p. 98.

p. 109.

p. 111.

p. 116.

p. 118.

p. 115. 12.

p. 121.

p. 119.

ne-

- p. 110. neficio vacaturo semel capiendi, simul potestatem singulis annis exigendi redditum, qui decimam cujusvis beneficii partem contineret. Deinceps cum tollerentur monasteria, prioratus aliæque domus religiosæ, minime restituta fuisse ecclesiis parochialibus jura, quæ ab ipsis modo illegitimo ad istas domos pervenerant, e.g. decimarum & oblationum. Potius post translationem dictarum domuum in regem ejusque successores factam, cœpisse laicos sibi vindicare, suisque usibus applicare præstationes illas ad ecclesiæ patrimonium proprie pertinentes, nequicquam refragante populo, postquam ipsa judicia ecclesiastica adjuvare laicos in ejusmodi exactiõibus compellerentur. Quicquid autem horum contigerit, ejus culpam non in ipsum reformationis opus, sed in hos, qui primi illud susceperint, inque illorum mores, avaritia pariter & multis Pontificiæ doctrinæ reliquiis corruptos, rejiciendam esse monet, simul adductis literis invectivis, quibus tum temporis parliamentum compellare ausus sit quidam Rodericus Mors, quem inter alia his verbis usum esse refert: *Diabolum imitatos esse temporum illorum reformatores, qui, ut apud Anglos in proverbio, cum melius saltem locare debuisset crura domine suæ, penitus illa fregerit.* Perniciosam illam reddituum ecclesiasticorum diminutionem continuatam docet sub Eduardo VI, pio quidem rege, sed minore, & cujus ætate imbecilla abusi sint ministri lucro nimium dediti, meliora consilia, partim & exempla, frustra suppeditantibus Cranmero, Latimero, Hoopero, Thoma Levero, imo & exteris Protestantibus, atque adeo ipso Calvino. Ut Maria regnante papatus denuo introduceretur, non aliud validius fuisse argumentum judicat, quam quod ecclesiam illi ipsi spoliaverint, qui reformatores ejusdem voluerint haberi. Licet vero, cum clerus restitutionem amissorum urgeret, non ante voluerit Parliamentum in gratiam redire cum sede Romana, quam prælati & clerici inferiores in convocatione, ceu dicunt, congregati validam, quantum ad ipsos, declarassent possessionem bonorum ecclesiasticorum in laicos paulo ante translata, simul tamen additam fuisse refert conditionem, ut melius impostèrum provideretur necessitatibus cleri parochialis; ipsam autem Reginam, accedente Parliamenti consensu, non solum remis-
- p. 122.
- p. 124.
- p. 128.
- p. 130.
- p. 131.
- p. 133.
- p. 132.
- p. 139.
- p. 141.
- p. 143.
- p. 144.
- p. 149.

misisse annatas & decimam, de qua antea locuti sumus, redituum ecclesiasticorum partem, sed appropriationes etiam omnes, quæ coronæ dicebantur annexæ, atque omnia illarum emolumenta ecclesiis restituisse, & non diu ante obitum suum illud egisse, ut iura patronatus, quæ post monasteriorum dissolutionem, Henricus VIII & Eduardus VI sibi vindicaverant, archiepiscopi & episcopi, singuli intra suam dioccesin, acciperent. In laudibus Elizabethæ ponit, quod puriorem doctrinam iterum stabiliverit, sed temporum illorum iniquitati tribuendum censet, quod passa sit modo laudatam Mariæ liberalitatem revocari. Reliquisse tamen episcopis eandem commemorat decimas & oblationes, quæ appropriationis jure ad ipsam devolutæ erant, atque illarum loca alia prædia ab illis accepisse, tandem post multas altercationes utraque domo parliamenti in istam permutationem consentiente. Longe difficilius autem sustineri potuisse appropriationum onus, post exortam reformationis lucem, asserit, quam antea, & quid exinde malorum in ecclesiam redundaverit, e. g. ut inveniri non potuerint, qui habiles essent, ad animarum curam suscipiendam, ut pauperum numerus indies creverit, ut lapsæ ac perditæ fuerint ædes parochiales, ut plures ecclesias uniri, vel pluribus ecclesiis unum præfici oportuerit &c. fusius exponit, simul addens, quod tum temporis ob causas, quæ hodie cessent, e re totius regni visum fuerit, modis omnibus imminui opes clericorum, etsi non dubitaverint archiepiscopus Grindal & successor ejus Whitgift, iniquitatem ejusmodi consiliorum atque decretorum Reginae ob oculos ponere. Jacobum I inde a primis regni sui auspiciis, optime dicit in ecclesiam fuisse affectum, eundemque tam in Scotia, quam in Hibernia, eo rem perduxisse, ut & populus natus sit magis idoneos ac sedulos verbi divini ministros, & hi magis decentem acceperint laborum suorum mercedem. Sed in Anglia quo minus idem effici potuerit, obstitisse avaritiam parvam & invidiam plurimorum, qui animum Regis de misera clericorum conditione sollicitum a pio proposito abduxerint, frequenter institutis contra clerum querelis, quod & plura beneficia possiderentur ab uno, & quibus cura animarum in aliquo loco commissæ esset, iidem alio in loco degerent, cum tamen, ipso Rege agno-

p. 153.

p. 154.

p. 156.

p. 157.

p. 158.

p. 171.

p. 169. 172.

p. 174.

p. 181.

p. 176.

p. 176.

- p. 178. scente, duplex istud malum originem debuerit alteri malo, quod tolli nolebant, h. e. ereptioni bonorum ecclesiasticorum, quam, præcipue quod ad decimas & oblationes attinet, iis quoque temporibus graviter improbasse docet viros eminentes, Baconem, Cockium, Rastalium, & ipsum clero atque ecclesiæ alias non adeo faventem Seldenum. Inde ad luctuosa Caroli I tempora digressus, pium hunc Regem commendat a studio, quo in tribus prioribus sub ipso habitis parliamentis, pauperum ecclesiæ ministrorum conditionem in melius referre tentaverit. Eodem tempore factum esse ait, ut duodecim viri honesti, quorum pars ex theologorum & jureconsultorum, pars ex civium ordine fuerit, societatem eo fine inierint, ut quas ex spontaneis amicorum & propriis collationibus nacti forent pecunias, easdem redimendis bonis ecclesiasticis, jure appropriationis in aliorum manibus existentibus, impenderent. Sed cum privata duntaxat autoritate consilium istud esset susceptum, nec bona sic redempta redderentur ecclesiæ, verum redditus solum exinde obvenientes arbitrio horum sociorum inter egenos ecclesiarum ministros distribuere, justusque adeo metus exurgeret, fore, ut intra breve temporis spatium clero magis esset ad istos homines, quam ad Regem, episcopos, ullumve alium respiciendum, A. 1632 vi sententiæ in curia Scacciorum (*in the Court of Exchequer*) pronunciata, penitus fuisse societatem istam sublatam. Longe autem consultius futurum fuisse, si potius eandem in melius formassent, pluribus evincit, simul excusans Wilhelmum Laudum, cui, quod isti rei impedimenta posuerit, inter alia nonnulli objecerant. Ea occasione quomodo idem præsul non semper infelici successu Regi suo autor fuerit, interdum etiam ipsi, ut & Usserio, archiepiscopo Armachano, Wilhelmsonio, episcopo Lincolnensi, aliisque adjutor, ut passim status ecclesiasticus, per appropriationes & inde secutam multorum ecclesiæ servientium egestatem, misere distractus emendaretur, fusius explicat. Exemplo illustri cum Regis atque archiepiscopi, tum eruditi equitis, Henrici Spelmanni, qui & de non temerandis ecclesiis, deque ecclesiarum juribus, præcipue vero de decimis scripsit, excitatos esse docet quamplurimos (in quibus primum fere locum tribuit Mortono, Conventriensi
- p. 187.
- p. 184.
- p. 190.
- p. 192.
- p. 193.
- p. 195.
- p. 198.
- p. 201.
- p. 203.
- p. 204.
- p. 206.
- p. 207.
- p. 217.
- p. 215.
- p. 214.
- p. 223.
- p. 230. 243.

primum, deinde Dunelmensi episcopo) ut multa restituerent, quæ per appropriationes usibus ecclesiæ fuerant detracta. Tres quoque nominat viros eminentes ac patrii juris maxime peritos, qui asseruerint, hodiernum episcopis in Anglia potestatem competere, salariis clericorum minus sufficientibus augmentum decens assignandi ex bonis ecclesiæ appropriatis, in quorumcunque manibus eadem nunc existant. Eundem in ecclesias affectum temporibus illis diversis aliis modis demonstratum fuisse ostendit, nec post funestam Caroli I mortem curam istam penitus neglexisse Cromwellum & alios; ubi tamen addit, vix in confuso isto atque iniquo rerum statu, fieri aliquid potuisse intentione vere bona, nihil autem omnino factum eo, quo decebat, ordine. Carolum II primo statim anno, postquam in regna sua restitutus esset, commendasse refert episcopis, decanis & præbendariis per literas, septennio post repetitas, ut quarum ecclesiarum decimæ atque emolumenta jure appropriationis ad ipsos & successores pervenissent, earundem ministris stipendia sua augerent. Deinde deliberationes quasdam atque statuta parliamentorum, quæ eundem finem habuerint, recenset, e. g. de confirmandis & restituendis ministris; de admittendis clericis ad exercitium jurisdictionis temporalis; de confirmandis & perpetuandis augmentis, quæ vicariis & curis animarum non sufficientibus accesserant per ecclesiasticos; de unione ecclesiarum in civitatibus & locis, quæ corporaciones dicuntur &c. Hinc cum multos nominasset, qui meliorem reddiderint conditionem cleri egestate laborantis, existimat tamen, longe plura ac majora in ecclesiarum emolumentum iis temporibus effici potuisse, cum magna illa rerum conversio, post obitum Cromwelli contingens, optimam ad id præbuerit occasionem. Sed in aliis quoque rebus regnante Carolo II minus benigne actum esse cum clero conqueritur, præcipue per statutum, cui titulus *de restitutione juris patronatus, rectoriarum appropriatarum, decimarum aliorumque jurium, quæ fidelibus regni subditis tempore ultimorum tumultuum fuerunt ablata*; per exactiorem subsidii ex bonis ecclesiasticis, non ante impetrato (ut leges regni exegerint) consensu cleri in synodo congregati; item dum imposita fuerit necessitas singulis beneficiorum ecclesiastico-

p. 245.

p. 243.

p. 553.

p. 271.

p. 262.

p. 274.

p. 265.

p. 279.

p. 249.

p. 301.

p. 263.

p. 301.

P. 303.

rum possessoribus, obtinendi propter annatas fisco regio exinde debitas quinque diversa instrumenta obligatoria, eorundemque intuitu quinquies honorarium certum solvendi, cum regnante Henrico VIII atque Elisabetha, unica duntaxat scriptura, sed qua-

P. 304.

tuor deinceps fuerint impetrandæ. Inde Jacobo II scepro admoto, non ilico abjectum fuisse dicit studium augendi pauperum ecclesiæ ministrorum stipendia. Inprimis autem laudandam cen-

P. 305.

set liberalitatem & curam, quam iis temporibus Gulielmus Sanctroft, archiepiscopus Cantuariensis, & qui nunc ipsius locum

P. 310.

implet, Reverendissimus Thomas Tennison, nec non Simon Patricius, episcopus Eliensis, ea in re ostenderint. Sed cum spei,

P. 304.

quam ex oratione Regis prima tam in senatu sanctiore, quam in ipso parlamento habita, populus omnis de salute ecclesiæ Angli-

P. 308.

canæ conceperat, mox ingens successisset metus, stabilitam in regno religionem, cumque ea jura omnia cleri subversum iri, factum esse ait, ut nemo fere de levanda clericorum egestate tum temporis cogitandum sibi existimaverit. Gulielmo atque Mariæ,

P. 311.

postquam rempublicam regere cœpissent, cum tot tantisque difficultatibus domi forisque conflictandum fuisse dicit, ut mirari non debeamus, si ejusmodi curis non statim animum applicare potuerint. Gulielmum tamen, secus quam multi existiment,

P. 316.

optime semper animatum fuisse contendit erga religionem per leges publicas in Anglia stabilitam, idque non solum frequentes

P. 312.

& solenniter agnovisse eos, qui nomine cleri ac totius populi in parlamenti & synodis convenissent, sed ex aliis quoque multis argumentis luculenter apparere, veluti ex literis A. 1694 ad archiepiscopos a Rege directis; ex eo, quod idem plus vice simplici declaraverit, se sollicitum esse de mediis augendi pauperum

P. 313.

ecclesiæ ministrorum reditus, in Anglia non minus, quam in Hi-

P. 317.

bernia; item ex societate, quam d. 16 Jun. A. 1701 eo fine constituit, ut per eandem in partibus exteris propagetur evangelium,

P. 319.

ex quo quidem instituto magnam jam utilitatem percepisse ecclesiam profitetur. Reginam quoque Mariam eodem curas suas atque cogitationes contulisse, ostendit, & cum magis quiete

P. 321.

vacare illis potuerit, non dubitat, quin nobile consilium, quod eo intuitu (teste Gilberto, episcopo Salisburiensi) formave-

P. 318.

rat,

rat, ad finem optatum fuerit perductura, dummodo eandem vita longiore frui contigisset. Regio favori accessisse ait benignitatem parliamentorum, quæ & clericos egenos exemerint a necessitate conferendi ad subsidia Regi concessa, & quibusdam ecclesiis ita prospexerint, ut illarum ministris in perpetuum essent redditus ampliores, per statutum quoque A. 1689 conditum, *de non allegando crimine Simonie ab antecessoribus commisso in præjudicium innocentium successorum*, magis securos reddiderint possessores beneficiorum ecclesiasticorum. Multa deinde proponit exempla privata eorum, qui Gulielmo regnante in ecclesias earumque ministros liberales extiterint, quos inter speciatim laudat Samuelem Brewster, armigerum, quod ecclesiæ Botolphi, cujus curam reverendo Autori demandatam esse supra commemoravimus, oblationes, ceu dicuntur, paschales restituerit. In numero reliquorum, quos collocavit inter *ἐνεργέτας*, eminent episcopi Lincolnensis & Salisburiensis, decani & præbendarii capitulorum Nordovicensis & Lincolnensis, dominus Gulielmus Maynardus & D. Richardus Busby. Ita ad præsentia tempora descendens, eam de qua initio locuti sumus, Reginae augustissimæ, quæ hodie imperium tenet, munificentiam in clerum describit, nullam fere prætermittens circumstantiam, ad factum istud vere gloriosum pertinentem. Deinde statutum ipsum, cuius pariter supra fecimus mentionem, & cui titulus *An Act for the making more effectual Her Majesties gracious intentions &c.* secundum singulas illius partes considerandum sibi sumit, & multa adducit, quæ ad illustrationem & commendationem illius apprime facere videntur. Speciatim ea occasione ostendit, quod jus annatarum & decimarum Angliæ regibus ab Henrico VIII assertum, parum utile extiterit coronæ; deinde quod redditus inde obvenientes, doctrinæ divinæ ministris eorumque sustentationi jam A. 1649 fuerint destinati; tum quæ statuta prodierint sub Henrico VIII, Eduardo VI & Elisabetha, de modo exigendi illas annatas atque decimas, nec non de aliis circumstantiis eo respicientibus; postremo quisnam verus sit sensus statuti, cui nomen a *manu mortua* datur, & cur statu ecclesiæ jam in melius formato credendum sit, non amplius per illud esse restrictam vel prohibitam liberalita-

p. 323.

p. 322.

p. 323.

p. 327.

p. 347.

p. 373.

p. 382.

p. 385.

p. 390.

- p. 395. tem in clerum, nedum restitutionem eorum, quæ olim titulo justo ad ecclesiam pertinuerint. His de novo quædam subjicit, ex quibus appareat, non solum præter necessitatem, sed & contra regulas æquitatis, propter dictas annatas & annuam decimæ partis præstationem, quinque distincta instrumenta obligatoria impetrare debuisse beneficiorum ecclesiasticorum possessores; eoque majores laudes deferendas existimat Regina, quod onus istud remiserit. Simul mentionem facit quorundam consiliorum, quæ
- p. 398. Elisabethæ, Jacobo I, Carolo I & Carolo II in oppressionem cleri, sed irritò conatu, fuerint suggesta.
- p. 403. Antequam tractationi susceptæ finem imponat cl. Autor, nihil ab instituto suo alienum, aut repugnans officio civis obedientis se facturum existimat, si his, quorum fidem ad promovendum opus laudabiliter a se cœptum electura sit Regina, consilia quædam, quæ ad id conducere sibi videantur, modeste proponat. Horum primum est, ut (quemadmodum jam a cardinali Polo & alias non semel sit tentatum) numerus exactus in-
- p. 404. atur ecclesiarum omnium, quotquot in Angliæ regno & Walliæ principatu inveniantur, quæ ministros habeant exiguis stipendiis adjutos. Alterum, ut ratio præcipua habeatur ejusmodi ministrorum, qui sint in locis nundinarum privilegio gaudentibus, populi frequentia maxime celebribus, & prope Londinum sitis. Tertium, ut quamdiu non datur occasio redimendi ea, quæ singulis ecclesiis per appropriationes decesserunt, ministris illarum egentibus ex nummis, ad istam redemptionem destinatis, interea præbeantur annuatim certi redditus, & si quem fundum ecclesiæ quondam ablatum eidem restitui contigerit, pars fructuum tribuatur ecclesiæ oppidi alicujus vicini. Quartum, ut, quibus ecclesiarum ministris stipendia augentur, eorum quoque officio atque laboribus aliquid addatur, in utilitatem populi iis commissi.
- p. 406. Quintum, ut media circumspiciantur, quibus adduci queant bonorum ad ecclesias spectantium possessores, ad illa æquis conditionibus ecclesiis vendenda. Sextum, ubi ad ductum consilii, quod erat in ordine tertium, novi redditus in pecunia consistentes ministris ecclesiarum assignantur, ut iisdem in locis incolæ sive parochiani, una cum appropriatoribus seu bonorum quondam ec-
- p. 409. clesia-
- p. 410.
- p. 411.
- p. 414.
- p. 415.

clestasticorum possessoribus persuadeantur, ad aliquid de suo reditu-
 bus istis adjiciendum. Ultimum, quia in eorum numero, qui
 appropriatores dicuntur, episcopi etiam inveniuntur, alique in
 dignitatibus ecclesiasticis constituti, & integra collegia ecclesiasti-
 ca, ut consilia ineantur, quibus ab his quoque (prout jam factum
 esse a quibusdam, & præcipue ab episcopo nec non capitulo Car-
 leolensi commemorat) possit obtineri aliquid in utilitatem ec-
 clesiarum, quæ per istas appropriationes passæ sint detrimentum.
 Tandem exempla subjicit quorundam, qui sub regno præsentis li-
 beralitate sua in ecclesias inclaruerint, nimirum comitis Nottin-
 ghamiæ, Henrici Forsteri & Hiobi Marstoni. Nonnullos etiam
 antea a se prætermisissos, & qui tempore regum antecedentium
 eodem nomine laudari meruerint, recenset, cumque de domino
 Simone Digbæo, Richardo Temple baronetto, speciatim vero
 de archiepiscopo Armachano, Bramhallio, quædam comme-
 morasset, duo refert memorabiliter dicta, unum Thomæ, Straf-
 fordiam comitis, Regisque Caroli I locum in Hibernia quondam
 tenentis, alterum Georgii, ducis Albemariæ, quorum ille filio
 suo injunxerit, ne unquam, nisi velit iram Numinis in se pro-
 vocare, permissum sibi credat possidere quicquam, quod eccle-
 siæ debeatur; hic vero solitus fuerit, admodum frequenter in ser-
 monibus cum episcopo Salisburiensi habitis, partem suæ felicitatis
 haud exiguam dicere, quod in omnibus suis bonis nihil omnino
 inveniatur, quod unquam piis usibus fuerit devotum. In fine
 operis adduntur varia documenta, quibus fides adstruitur his, quæ
 in ipso libro fuerunt proposita, cumque maximam partem deprompta
 sint ex schedis manuscriptis in locis diversis asservatis, nec antea
 typis excusa, multum per illa accedit pretio, quod opus integrum
 pietati, ingenio atque industriæ Reverendi Autoris debet.

P. 417.

P. 419.

P. 423.

P. 427.

P. 438.

JOANNIS ORTWINI WESTENBERGII JCTE
 & Antecessoris de Causis Obligationum Liber singularis, seu
 Dissertationes novem.

Harderovici, apud viduam & filios Alb. Sas, 1704. in 8. Plag. 22.

NOVEM Dissertationes, a diversis Respondentibus, quorum
 nomina sub initium quoque libri adjecta sunt, more Acade-
 mico

mico habitas, conjunctim, uno volumine, hic exhibet Autor noster Clarissimus. In *Dissertatione prima*, post explicatam causæ efficientis & obligationis indolem, hujus causam remotam ait esse Jus, hoc autem cum Divinum aut humanum, & illud iterum innatum vel revelatum sit, hinc singulas istas Juris species persequitur. Primo igitur Jus Divinum Naturale, ac Obligationes inde venientes, quibus homo Deo, sibi ipsi, & proximo obstringitur, expendit; inde ad Jus Divinum revelatum progreditur, quod triplex esse docet, Morale, Ceremoniale & Forense. Denique pergit ad Jus Civile, ac in specie, Romanorum, secundum quod Obligationem in mere naturalem, mere civilem, & mixtam non male dividi, existimat, ac singulas dein species definitionibus, subdivisionibus & exemplis, amplius illustrat. *Dissertatio secunda* tractatum, de causis Obligationum propinquis, pandit. Has Noster in Ordinarias & Extraordinarias distinguit, ac illarum quatuor species, Contractum, Quasicontractum, Maleficium & Quasimaleficium; harum plures, varias scilicet Causarum figuras, esse arbitratur. Quibus generaliter propositis, singularum specierum prolixior deinde sequitur explicatio. Quid ergo Contractus sit, primo Noster inquit, eumque in Nominatum & Innominatum dispescit, adjectis utriusque subdivisionibus consuetis. Quasicontractus, ex ejus sententia, est factum aliquod non turpe, ex quo, citra conventionem, nascitur obligatio. De numero Quasicontractuum, res dubia est, sed Clarissimus Autor, præter quinque species, Justiniano laudatas, Negotiorum gestionem, Tutelæ administrationem, Rei communionem, Hæreditatis aditionem, & Indebiti solutionem, nullas alias admittit, ac firmandæ doctrinæ suæ, quasdam leges, quæ objici poterant, explicat. Delictum ipsi est omne factum illicitum, dolo malo commissum, quod poenam meretur: dividitur ab eodem, juxta receptam sententiam, in publicum & privatum, quod iterum est vel ordinarium, vel extraordinarium, cui etiam delictum populare accensendum esse censet. Quasidelictum, ex doctrina Nostri, est factum, quod quidem proprie delictum non est, sed propter culpam, delicto est proximum; cumque quatuor ejus species, post Gajum, Justinianus saltem commemoret, hinc probabile illi videtur,

tur, solas illas Quasidelictorum nomine venire. Hæc de causis Obligationum ordinariis. Cum vero hæ introducendis obligationibus omnibus, haut sufficere fuerint visæ Jctis, ideo varias causarum figuras, i. e. varia negotia, a contractu & maleficio distincta, ex quibus tamen, propter æquitatis rationem, obligatio nascitur, velut causas obligationum extraordinarias & irregulares, adjecerunt. Has ergo distinctius persecuturus doctissimus Autor, in *Dissertatione tertia*, de Æquitate primo aliqua præmittit, cumque elegantissimus casus in *l. 32. de R. C.* (quam auream, aureisque literis scribendam, nec non speculum aureum, imo legem Divinam appellant Doctores, de veteri, ut videtur, superstitione) ei occurrere videatur, quo propter solam æquitatem, actio conceditur, ideo, præmissa prolixiori laudatæ legis expositione, ostendit, in ea subesse negotium, quod neque ad contractum, neque delictum referri possit, actionemque inde descendente, merito Condictioem ex lege dicendam esse, addita disquisitione, quo usque illa lex, ad alios casus, bene vel male extendatur. Cum igitur Condictio ex lege, in illa lege 32 occurrat, eademque ex variis causarum figuris alias oriri credatur, ideo Noster, in *Dissertatione quarta*, Condictioem illam primo in genere exponit, postea ejus species, quæ ex pactis legitimis nascuntur, persecutus, disquirat, an pactum compromissorium, suffragii, contractus, & in specie, stipulatio ac literarum obligatio, pactis legitimis recte annumerentur? eo etiam addito, quod quasicontractus ad pacta legitima male referantur. His absolutis, de aliis casibus, quibus Condictio ex lege competat, ac in specie, an in casu *l. 1. C. de jur. emphyt. l. 2. C. de rescind. vendit. l. un. C. de suffrag. l. 5. C. de ingen. man.* illa locum inveniat, Noster satagit. Condictioibus ex lege, similes sunt Actiones in factum, quibus *Dissertatio quinta* destinata est. In ea Clarissimus Autor, nomen & indolem Actionum in factum generaliter explanat, earumque originem & necessitatem, ex hypothesebus fori Romani deducit, & quam varie illæ supponantur, distinctius edisserit. Inde progreditur ad Actiones in factum subsidiarias civiles, variis exemplis illustratas, quas excipiunt Actiones in factum subsidiariæ Prætoriæ, quibus etiam non exi-

guus exemplorum numerus, lucem affundit. Præter actiones in factum subsidiarias, dantur & aliæ, istis affines, Actio scilicet de tigno juncto, Actio subsidiaria pupillis & minoribus contra magistratus minores competens, & Actio judicati, quæ licet, habita æquitatis, ex qua sola oriuntur, ratione, Actiones in factum dici queant, attamen, quia singulæ propriis appellantur nominibus, ideo in *Dissertatione sexta*, seorsim de iis agendum sibi esse existimavit Noster. In indagandis igitur actionum illarum appellationibus, natura, varietate & fundamento, prolixè satis occupatur. Nondum fons causarum extraordinariorum exaruit, sed ex eo plures adhuc actiones aliæ scaturire Nostro videntur. Nam in istum censum, *Dissertatione septima*, Actionem ad petendam restitutionem in integrum, de pauperie, ad exhibendum, Conditionem sine causa, Triticariam, Actionem de pecunia constituta: *Dissertatione octava*, Actionem redhibitoriam & quanti minoris, actionem ex vinculo matrimoniali ortam, actionem ad alimenta præstanda, liberis & parentibus competentem: *Dissertatione nona*, Actionem ad collationem faciendam, damni infecti, aquæ pluvizæ arcendæ, querelam inofficiosæ donationis, remedium indemnitatis seu beneficium separationis bonorum, obligationem & actionem ex pollicitatione natam, ac tandem actiones extraordinarias, de quibus ipse Prætor vel Præses, extra ordinem, quandoque cognoscebat, refert, ac circa singulas, præcipuam operam eo intendit, ut eas ex nulla causa ordinaria, contractu puta, quasicontractu, maleficio aut quasimaleficio, descendere, adeoque ex causa extraordinaria, sive sola æquitate, repetendas esse ostendat, quod in genere admonuisse, satis videtur. Speciminis tamen loco, ejus sententiam, quoad actionem redhibitoriam & quanti minoris, quæ in *Dissertatione octava* primo loco comparet, explicatius nonnihil exhibebimus. Ædilitii Edicti sententia & rationibus adductis, ac utriusque actionis, redhibitoriz & quanti minoris, definitione, appellationibus & concursu explicatis, contendit, actiones illas ex mera æquitate, ne emtores rerum vitiosarum damnum sentiant, esse introductas, eaque ratione, dativas posse dici, utut ipsa actionum, in dativas & nativas, distinctio, minus accurata Nostro videatur; postea

postea refellit eos, qui ad præstationes, quas Ædiles venditoribus injunxerunt, ex ipso emtionis & venditionis contractu, agi posse censent: nam actiones ex contractu descendentes, ad cum implendum, non solvendum, regulariter competunt, & quid opus fuisset actione redhibitoria & quanti minoris, si ex ipso contractu agere potuissent emtores læsi? præterea illa sententia aperte *l. 2. C. de Ædilit. Action.* repugnat; denique in plerisque actiones Ædilitiæ, & actio emti differunt, quas differentias Noster recenset, ac objectionibus nonnullis, *ex l. 11. §. 3. 5. de A. E. V. l. 23. §. 4. de Ædil. edict.* desumptis respondet.

OBSERVATIO D. JOHANNIS WRIGHTII, Colleg. Med. Lond. Socii, de Ulcere Pulmonum, in Epistola ad GULIELMUM COWPERUM, Soc. Reg. Socium recensita, una cum hujus Responsione.

Excerpta ex Actis Philos. Anglic. A. 1703. N. 285.

PUella 18. annorum Anno 1701. Mense Majo variolis corripiebatur adeo benignis, ut Medici consilio non indigere videretur, donec in squamas illæ abiissent. Tunc enim respirandi difficultas, quæ paulo ante eam vexaverat, tantum coepit incrementum, ut septimo post variolarum eruptionem die, materiam sanguineam expueret viscidam, quæ nec pituita sanguinis striis picta, nec cruori permixta esse videbatur, sed tota omnino erat sanguinea; non tamen sanguinis calidi instar fluebat, multo minus velut cruor frige factus coagulabatur, sed dum effundebatur, instar pituitæ, ex ventriculo per vomitum rejectæ, pelvi adhærebat. Quamvis vero talis hæmoptysis multum quotidie intenderetur, atque subinde per diem vel sextarius dictæ materiæ ejiceretur; paucis tamen septimanis post sanitati ægra restituta, bonum recuperavit corporis habitum, Lunæque tributum solvere iterum coepit, & a mense Julio ad Decembrem usque satis bene valuit. Quo tempore respirandi difficultas repetens indies crescebat, cum plenitudinis quodam atque ponderis sensu in sinistro latere, ita ut ægra huic quidem commode incumbere posset, quoties autem in dextrum se convertere elaborabat, pondus quasi ex sinistro ad dextrum latus labi perciperet, cum dyspnœæ augmento atque tussi.

Qualia symptomata cum ad nativitatis Christi usque festum indies auferentur, crassam tandem foetidamque materiam purulentam excernere coepit, bono interim appetitu gaudens, & ab omni insultu febrili libera. Authoris curæ tradita puella, medicamenta pus per *άανάδαρον* evacuantia assumpsit cum euphoria, mensibus interim periodum servantibus, nec hecticæ signis præsentibus, a tantillo autem frigoris admissio pus foetidum ejiciebatur. Per aliquot horas omnis tussendi molestiæ erat experta, quamprimum autem eam hæc, post aliquem plenitudinis sensum, affligere incepit, non prius desit, quam duo circiter puris foetidi cochlearia essent excreta; idque potissimum mane, a meridie, & noctu contingebat. Cum itaque pulmonum lobum sinistrum abscessu occupari suspicio oriretur, in lecto caput pronum sinistro brachio suffulcire jussa est, ut post levem tussim pus effluere eo felicius posset. Aliquando, post frigoris sensum a meridie, pulsu celeriori reddito, calor febrilis accendebatur, indies increfcens, quem leve comitabatur delirium ad aliquot dies; donec post se reliquit hecticam cum rubore, vesperi genas pingente, sudoribus nocturnis, diarrhœa continua, atrophia & crurum demum œdemate sociatam, etiamsi lecto fuisset affixa. Inter septimam & octavam costam nodi aliquot exiles se offerebant tactui, qui una cum aliis phænomenis, ibidem loci ulcerosos pulmones pleuræ adhærere, suspicionem augebant. Etiamsi igitur causticum dicto loco potissimum applicari debuisset, prævidens tamen Author cum aliis sibi junctis Medicis, mammæ sinistrae glandulas simul arrosari, spatio inter sextam & septimam costam sursum numerando illud apposuit; quo remoto, & lanceola in pectoris cavitatem adacta, lymphæ profluebat, sanguinolenta absque pure: immissoque specillo, pulmones ad inferiorem costæ septimæ partem adhæsisse observabantur; antequam autem eschara separaretur, pus prorupit, quotiescunque ulcus deligabatur, quod sensim atque sensim imminuebatur, ad curationis usque finem. Quem tamen antequam attingeret puella, de immenso circa cartilaginem ensiformem conquesta est dolore, & tanto quidem, ut cannulam ipsa aliquoties extrahere haberet necesse; quod a cannula nervum premente ille crearetur. Sicque mense Augusto perfecte sanata, sequentibus

mensibus pristinum corporis habitum recepit, indicio manifesto, non omne pulmonum ulcus, prout nonnullis videtur, esse incurabile.

Cum autem puellæ huic curandæ etiam Gulielmus Cowperus adfuerit, non potuit non hic, in Responsione sua, D. Wrigthii, felicem curæ successum constanter prædicentis, peritiam collaudare, atque in memoriam revocare puris non minus graveolentiam summam, quam putridam acrimoniam, qua specillum immisissimum & syringam argenteam in injectionibus usurpatam arroserat. Nec dubium superesse ullum dicit, quin pus, ex vulnere facto profluens, ab eadem cavitate provenerit, ex qua ante cum tussi per os fuerat rejectum; siquidem puella sub injectionibus, quas unctura myrrhæ ingrediebatur, de amaro sapore in ore fuerit conquesta. Recensitis dein aliis ægrorum, similibus pulmonum ulceribus laborantium, exemplis, merito miratur Clarissimus Cowperus, qui fiat, ut parte una pulmonum obstructa, homo tamen vivere, & reliqua pulmonum pars totam massam sanguineam, ex dextro cordis ventriculo ad sinistram, æquali temporis momento, & sub æquali quantitate, sub qua per reliquas corporis partes omnes circulatur, deducere queat; cum modum convenit omnino admirari, quo in statu naturali, ubi pulmonum canales omnes aperti sunt, id contingat. Ad cujus phænomeni explanationem sequentia instituit experimenta. Scilicet aquam in arteriam pulmonalem injectam dum per venam pulmonalem redire conspexit, idem etiam cum cera tentavit feliciter. Postquam enim hanc calidissimam cum oleo terebinthinæ mixtam, & colore, Vermillon dicto, tinctam in arteriam memoratam felium juniorum injecit, venam ea cum auricula sinistra adeo repletam vidit, ut pars ejus ad sinistram usque cordis ventriculum penetraverit; nec aliquid ceræ ad bronchia simul esset depositum. Corda humana præparando, & eorum ventriculos, auriculas & truncos arteriarum sanguineorum cera replendo, itidem advertit, quod cera, versis coloribus tincta, in arteriam & venam pulmonalem, sine tremia vi injecta, ex arteriis ad venas tantum, non vero in tracheam simul, pervenerit. Nec in aliis corporum humano-

nas adigere potuit, præterquam in pulmonibus, liene & pene; in quibus tamen ut succederet experimentum, cera summo cum impetu injicienda fuit. Cum autem nudis oculis vasorum extremitates nec in animalibus vivis, dum sanguis adhuc per vasa circulatur, cum primis in partibus pellucidis omenti, vel mesenterii quadrupedum, aut in pulmonibus ranarum, vel lacertarum viventium; nec in mortuis, dum sanguis in pulmonibus est retentus, usurpari possint, mediante microscopio id tentavit. Facta enim incisione in corporibus dictorum animalium, pulmonum prolapsorum & aëre inspirato distentorum partem, cordi quam proxime adstantem, citissime & firmissime ligavit; quo facto exsiccatos ranarum & lacertarum pulmones eorumque vasa microscopii ope ita contexta deprehendit, prout in fig. 1. 3. 4. 5. 6. offeruntur. Adeoque certissime sibi persuasum habet Author Clarissimus, communicationes vasorum sanguineorum in pulmonibus magis esse patulas, quam in aliis partibus, excepto liene & pene, donec monstratur, ceram liquefactam æque facile in reliquis corporis humani ac quadrupedum partibus ex arteriis ad venas penetrare. Quemadmodum vero rationem inde petit sanguinis per pulmones in statu naturali fluentis; ita e diverso, si in statu p. n. vasa quædam sanguinea pulmonum vel angustentur, vel penitus comprimantur, ut in ulceribus pulmonum, tunc a reliquis adhuc sanis vasis plus solito per eorum cavitatem transmitti reputat, quippe quæ sensim ita dilatentur, ut illorum defectum commode refarcire valeant. Id quod etiam in ramorum arteriosorum communicatione fieri observat, quando in aneurismatis cura ramus quidam insignis vel truncus ligatur.

TAB. V.

Explicatio Figurarum Tabulæ V.

Figura I exhibet pulmonem ranæ ligatum & exsiccatum, microscopio inspectum, cujus vasorum extremitates tam amplæ sunt, ut tres sanguinis globulos transmittere possint.

AA. Arteriæ.

BB. Venæ.

CC. Earum inosculationes.

D. A-

Fig: 1.



TAB. V. ad A. 1705.
M. Maj. pag. 214.

Fig: 2.



Fig: 3.




Fig: 4.




Fig: 6.





Fig: 5.





. Area microscopii, prout nudis oculis apparet.

Figura II sistit pedis posterioris ranæ partem, cujus vasorum extremitates unicum saltem sanguinis globulum transmittunt.

A. Truncus arteriarum.

B. Truncus venarum ad latera digitorum transcurrens.

C. Earum extremitates invicem continuatæ, in membrana transparente digitos distinguente.

. duo digiti pedis.

Figura III & IV oculis subjicit extremitates arteriarum & venarum, in pulmonibus ranæ alio microscopio inspectas.

A. Arteriæ.

B. Venæ.

C. Earum conjunctiones.

D. Area microscopii.

Figura V monstrat aream quandam hexagonam pulmonis ranæ, qui cum non æque flatu fuerit distensus, ac in figura III & IV areæ etiam seu cellulæ in interstitiis extremitatum angustiores & minores apparent.

A. Arteriæ.

B. Venæ.

C. Earum inosculationes.

. Area.

Figura VI repræsentat lobum pulmonis lacertæ aquaticæ præparatum.

A. Truncus arteriæ pulmonalis.

B. Vena pulmonalis.

C. Earum rami conjuncti.

D. Membrana subtilis transparens.

EXPERIMENTUM ANATOMICUM AD VERAM

Duræ Matris motus causam detegendam institutum ab H. RID-

LEY M. D. & Reg. Coll. Med.

Lond. Socio.

Excerptum ex Actis Philos. Angl. A. 1703. N. 287.

Postquam Clar. *Ridley* in Tractatu suo *de Anatomia Cerebri*, ante bina lustra publici juris facto, *Duræ Matris motum arteriis*
per

per totum cerebrum dispersis in acceptum referendum esse, variis experimentis probaverat; Clarissimus autem *Baglivus* in suo *de Fibra Motrice* libello, pulsus hujus causam in propria Duræ Menyngis substantia & textura, cordis æmula, quærendam esse tradiderat: utra contrariarum harum sententiarum veritati propius accedat, examinaturus ille, sequens instituit experimentum.

Canis scilicet superiori bregmatis parte terebrata, membranam duram non sine aliqua sanguinis jactura denudavit. Hinc cohibita hæmorrhagia, abstersoque sanguine, duræ matris ejusque sinus longitudinalis, qui per marginem foraminis decurrebat, motum systalticum cordis vibrationis, quæ justo citior erat, æmulum, hujusque rhythmo ad amissim respondentemprehendit. Post elapsam unum horæ quadrantem, eandem hamulo acuto suspensam perforavit; quam perforationem acute perferentiscere videbatur canis, convulsionis tamen cujusvis expertus. Comparuit sic motus cerebri systalticus, tantillum sanguinis, quod in membrana continebatur, foras propellens. Postea cuspidem forcicis obtusa caute in aperturam membranæ vulneratæ immissa, eam transversim in parte ejus a sinus longitudinalis transitu maxime remota dissecuit; hinc protrusum fuit cerebrum pia matre tectum, perseverante adhuc motu ejus ad tactum satis forti, licet membrana ipsa, ob vim restitutivam fibrarum suarum a plaga accepta imminutam, ad oculos obscurius vibrari videretur. Toto hoc tempore vegetus adhuc erat canis, levibus tantum tremoribus, cum quodam horrore, per universum corpus affectus. Postquam igitur per aliquot horas hic vexatus multum sanguinis effuderat, ut omnem vim pulsificam, quæ vel huic membranæ inesse, vel aliunde accedere supponi potest, adimeret Author, guttulas aliquot olei vitrioli leniter illinebat; unde nigro colore tingebatur hæc, & nulla, saltem exigua & obscura ejus percepta est vibratio, admoto tamen digito satis distinctus cerebri pulsus sentiebatur. Peractis his, cum cultri mucronem ad unius uncie crassitiem in cerebri substantiam intrusisset, vehementer se agitavit canis, hætenus adhuc vegetus, & in horrendas corporis jactationes & pedum anteriorum & posteriorum convulsiones incidit, & cerebrum fortius quam antea movebatur. Postea spe-

specillo profundius adacto, sensus dolorifici indicia maxima dedit animal, cultro tandem usque ad latus cranii oppositum trajecto horrendis agitatum fuit spasmis; & interim systolen & diastolen cerebri, cum maximo renisu factam, digito Author æque ac alii adstantes perceperunt. Quibus pensitatis phænomenis, patere existimat Clarissimus Ridley, motum cerebri & menyngis a peculiari duræ matris textura minime dependere.

D. ROBERTI HUNTINGTONI EPISTOLÆ, ET veterum Mathematicorum Synopsis, Collectore EDWARDO BERNARDO. Præmittuntur D. HUNTINGTONI & D. BERNARDI Vita, Scriptore THOMA SMITHO S. Theol. Doct.

Londini, apud A. & J. Churchil, 1704. 8. Plag. 18.

PER varia doctissima scripta, in Actis nostris passim commemorata, dudum orbi erudito ita innotuit Vir Clarissimus Thomas Smithus, ut vel solum nomen ejus affatim commendare possit Huntingtonianas epistolas, quibus in lucem edendis obstetricias manus præstare dignatus est. Epistolis autem Huntingtonianis Vitam ejus præmittere operæ pretium duxit, illustrationi eorum, quæ passim in epistolis habentur, haud raro inservientem. Lucem vero Huntingtonus adspexit Februario mense anni superioris seculi XXXVI Deorhirstæ, quod est oppidum non incelebre ad Sabrinæ ripam situm. Patrem nactus est illius loci Parochum, qui Robertum nostrum secundo genitum, in schola publica Bristolæ literas Græcas & Latinas bene edoctum, cum decimum sextum vitæ annum attigisset, Oxonium ablegavit, ubi primo inter Portionistas, quos vocant, receptus, mox post susceptum primum in artibus gradum, unanimi illorum, penes quos jus eligendi erat, consensu in numerum Sociorum cooptabatur. Anno deinceps 1663 lauream Magistri consecutus, insequentibus comitiis Magistrorum nuncupatus est Senior, quam spartam cum per aliquod tempus egregie ornasset, tum D. Pocockii consilio, tum propria mentis inclinatione ductus, D. Framptono, qui huc usque Halebi mercatoribus Anglis in Oriente a sacris fuerat, jam in Angliam redituro, in sacro isto munere, amplissima mercatorum Londinensium,

P. 1.

P. 2.

P. 3.

- p. 5. sum, qui mercaturam in Oriente exercent, societate suffragante successit. Cum ergo Halebum celeberrimum illud Orientis emporium pervenisset, post administrationem sancti muneris, quod ipsi incumberebat, nihil prius antiquiusve habuit, quam ut patriam rerum hactenus pene incomperatarum vel saltem vix satis bene cognitarum notitiis, in vectisque librorum gazis redux ditaret.
- p. 7. Cum vero de libris Syriacis comparandis maxime sollicitus esset, & in iis cum primis S. Ignatii, Episcopi Antiocheni, epistolas Syriacas investigaret, quarum non tantum Ebed Jesu in Catalogo librorum Chaldæorum obiter indicium fecerat, sed & ipsas epistolas magis diserte Ignatius Antiochenus XVI seculi scriptor, in Catalogo librorum ex Oriente advectorum, Chaldæo-Syra lingua ibi extare, testatum dederat: minime tamen hac ex parte voti compos fieri potuit, cum nec in Syria, nec in Ægypto, nec in Mesopotamia, nec in monte Sina, exemplar Ignatianum sive Græcum sive Syriacum repererit. In iis autem libris, quos Patriarchæ Antiocheni D. Stephani Petri opera adjutus nactus est, Ephremi Syri Commentarius in Pentateuchum, & quædam Homiliæ maxime insignes fuerunt. Cum aliquot annos Halebi versatus fuisset Huntingtonus, ipsum lubido incessit Hierosolyma adeundi, in quo itinere ad reliquias Samaritanorum divertit, ex quibus triginta circiter familiæ Sicima sive Neapolim (utpote ex istius ruinis ab Herode conditam, hodie *Naplos* nuncupatam, juxta montem Garizim tribus horis ab urbe Samaria, olim Σεβαστή, nunc *Isboste*, dissitam) incolunt. Ea occasione obiter Clarissimus Smithus de codicibus Samaritanorum sacris nonnulla observat, atque id imprimis, quod si ex codicibus in Anglia obviis judicium ferre liceat, Cottoniano nempe, Bodlejano & Huntingtoniano, nullus eorum CCC quingentorumve annorum ætatem supergrediatur. In Ægyptum quoque iter fecit Huntingtonus, ibique eandem in investigandis codicibus manuscriptis industriam perpetuo adhibuit. In hisce autem libris Copto-Arabicis singillatim recensendis Auctor non diu versatur: cum ii ex egregio & utilissimo catalogorum opere, Oxonii A. 1697 edito, peti possint. Maxime & in primis memoranda esse judicat tria Evangeliorum exemplaria, quorum unum Kahiræ, alterum in deserto Nitriæ, tertium Hierosoly-
- p. 10.
- p. 12.
- p. 15.
- p. 16.
- p. 17.

mis reperit, D. Marshallo, qui editionem Copticam N. T. tum temporis moliebatur, transmissa. Præterea dum Kahiræ commoratus est, cum quodam Copto sacerdote de conciliorum duobus voluminibus, una cum appendice concilii Chalcedonensis, & denique tribus reliquis Pentateuchi Mosaici libris exscribendis fuit pactus. Quoad Huntingtonus in Asia vitam degit, cum multis Viris religiosis, religionis Christianæ propagandæ causa per Orientem quaqua versum sparsis, frequens literarum commercium exercuit. Inter hos ex P. Archangelo de Sancta Theresa, ordinis Carmelitarum discalceatorum, de Sabæis sive Mendæis quondam quæsit, num qui libri istius sectæ opiniones complectentes adhuc superessent. Iste Carmelita ut Huntingtoni curiositati satisfaceret, postea in Angliam tres libros transmisit, quorum duos Mendæi olim Adamo Protoplastæ a Deo traditos, tertium vero ab Angelis trecentis triginta annorum millibus ante Adamum conditum cœlitus delatos fabulantur. Isti autem libri tanta obscuritate laborant, ut absque interprete nullo modo intelligi possint. Postquam Huntingtonus in Asia undecim annos expleverat, de reditu in patriam cogitans, per Italiam & Galliam in Britanniam rediit, cui restitutus anno 1683 dignitatem Doctoris in facultate Theologica consecutus est. Paulo post Collegii S. Trinitatis, juxta Dublinium in Hibernia, præfectura ipsi licet invito atque reluctanti fuit delata. Bello autem in Hibernia ingruente, fuga sibi consulendum esse duxit. In Angliam ergo redeunti sacerdotium in parochia Hollingburix, in agro Hartfordiensi sita, ipsi fuit demandatum. Ibi reliquum vitæ tempus transigere in animum induxerat, sed aliter visum Deo. Etenim A. 1701, vacante sede Rapotensi in provincia Ultoniæ, hic episcopatus, opera potissimum Illustrissimi Henrici Comitis Clarendoniæ, ipsi delatus est. Hac de causa denuo in Hiberniam navigare coactus, Dublinium incolumis appulit, ibique vicesimo die mensis Julii in Ecclesia Christi cum debita solennitate fuit consecratus. Sed prius quam ad sedem suam cathedralem pervenit, morbo implicitus, secundo die Septembris, sexagesimo sexto ætatis anno, placide decessit. Jam ut ex epistolis quoque decerpamus nonnulla, p. 13 meminit cujusdam exemplaris Concilii Florentini, quod ab alio auctore profectum

p. 18.

p. 21.

p. 23.

p. 24.

p. 29.

p. 32.

esse credit, quam ista exemplaria, quæ typis impressa leguntur: duo enim ait in publicum prodiisse, quorum alterum Georgio Scholario vulgo tribuatur, alterum vero Sylvestro Syropulo. Præter hos libros, de historia jam dicti Concilii se vidisse fatetur partiunculas & rhapsodias bene multas a Græcis, Bessarione puta, Demetrio Cydone, Josepho Methonensi, Gregorio Hieromona-cho, Vecco Constantinopolitano &c. confectas. P. 32 & 33 refer- tur de Armeno quodam, urbis Damasci incola, qui ad defectio- nem a fide sua sollicitatus, Mahometanorum illecebras omnes & minas ac promissa generoso contemptu respuerit, & hoc pacto martyrii coronam gloriose reportarit; quo martyrio durante, fulgi- dum jubar cœlestis luminis æmulum sancto corpori aliquandiu illuxerit, aliaque comparuerint miracula. P. 39 gratias agit D. An- gelo a Sancto Joseph Carmelitæ, quod Sabiorum cultum, ceremo- nias & superstitionem per Orientem olim diffusam, paulo accura- tius ipsum edocuerit; qua occasione hanc sectam dicit vetustif- simam, utpote quæ, si Arabibus sit fides habenda, a Sabio quo- dam altero Sethi filio originem traxerit; quam in rem ostendent libros ab ipso Setho conscriptos, ipsorum veluti SS. Biblia & au- thenticas institutiones. Hæc & alia scripta de eadem hæresi tra- ctantia, in quibus sunt codices MSS. Thabeti Ebn Corah, ut ipsi transmittat, etiam atque etiam petit. P. 46 multa de Samaritis narrat D. Jobo Ludolfo, eamque gentem ait esse tam parvam, ut non aliam temere invenias, cui comparare possis; hoc tamen non obstante, illos paucitate sua contentos se solos veros Ebræos & Israelitas nuncupare, & Judæos Palæstinenses aliosque alto supercilio contemnere, quin etiam odio plus quam Vatiniano prosequi. Cum Huntingtonus apud eos versaretur, atque pro- latis libros Samaritano charactere descriptos nullo negotio lege- ret, forte fortuna inter alios sermones ab ipso quæsierunt, num in Britannia quoque Ebræi reperirentur, quam quæstionem ille, de Judæis respondens, cum ipsi de Samaritanis interrogassent, af- firmavit, quo facto præcipiti credulitate inducti sponte sua arri- piebant, illos esse suos fratres & contribules, neque postea cum Huntingtonus intelligeret, sese aliter respondisse ac isti rogassent, hunc errorem ullo modo sibi eximi patiebantur. Proinde lite-

as in Angliam mittere decrevere, an ibi Ebræi per omnia ipsis
 consenserint exploraturi. Mox quoque literas ejusmodi lingua
 Ebræa, characteribus autem Samaritanis exaratas, ad Huntingto-
 num miserunt, quas ille Oxonium deferendas curavit. Ad eas
 postea respondit eadem lingua & characteribus D. Mareshallus,
 quod literarum commercium per aliquot annos duravit, morte
 autem Mareshalli intermissum penitus cessavit. In singulis fer-
 me istis literis superbe gloriati fuerant, apud ipsos servari vetustis-
 simum legis exemplar, quod scriptum fuerit ab Abisha sacerdote
 pronepote Aaronis, & illius manu signatum; verum nugas esse &
 mera mendacia, quæ hac de re proferunt, Huntingtonus ex ocu-
 lari inspectione deprehendit, & ipsos hujus vanæ gloriationis ab-
 unde convicit. P. 51 indicat, Samaritas nomen tetragrammaton יהוה
 nunquam pronuntiare, sed loco ipsius efferre *Semaa* cum ו po-
 tius quam י & ultima protracta & quasi trisyllaba, ubi laudat con-
 jecturam Ludolfi existimantis, quod sit a שׁוׁו ad morem Ju-
 dæorum. De Messia loquentes parum sibi constare ait, nunc
 hoc, nunc illud asserentes; interim tamen observat, ipsos de Ser-
 vatore nostro ejusque cultoribus admodum honorifice loqui. P. 52
 se nescire fatetur, quare nomen Messia scribant השׁהב si tamen
 liceat conjectari, hoc ænigma ita explicari posse putat, ut sint ini-
 tiales plurium vocabulorum literæ, veluti השׁילה הבא . Ibidem
 rationem annorum seu computum temporis apud Samaritas du-
 plicem esse docet, civilem seu Mohammedicum unum, ab He-
 gira Pseudopropheta; alterum ecclesiasticum seu Græcum, ex
 Huntingtoni sententia ab orbe condito. P. 62 & sqq. in gratiam
 D. Picques Ægypti chartam geographicam concinnaturi, multa cu-
 riosa de rebus Ægypti, urbibus scilicet, fluviis, pyramidibus,
 Mummiis, inscriptionibus, monasteriis, item de tribus Ægyptiacæ
 linguæ dialectis affert. P. 75 sequuntur epistolæ, quas insignes
 Viri ad Huntingtonum perscripserunt; cum vero in his multa jam
 in Huntingtoni literis a nobis observata legantur, his prætermis-
 sis reliqua breviter perstringemus. P. 77 scribit Michael Nau, Sa-
 cerdos e Societate Jesu, ad Huntingtonum, sese suavissima voce
 Servatoris nostri, qui pacificos vel hoc nomine beatos prædicat,
 quod filii Dei vocabuntur, provocatum omnem lapidem movisse,

ut concordia inter suam & Anglicanam Ecclesiam in Asia stabiliretur, certiore quoque facit Huntingtonum, se quidem suos, quanquam non sine magno labore, in suam adduxisse sententiam, sed valde conqueritur, quod Huntingtonus promissis non steterit, neque loco ac tempore præstituto cum suis comparuerit. P. 84 F. Agathangelus Sabæorum libros, quorum jam supra in vita Huntingtoni mentionem fecimus, nominatenus recenset, eorumque primum dicit nominari *Sabaf Adam*, quem Protopatrem nostrum Adamum a Deo immediate accepisse fabulantur: secundum, *Sabaf Hieahie*, ben Zachariæ (quem nonnulli dixerunt esse præcurso-rem Domini, S. Joannem Baptistam) & istum pariter dicunt Hieahie a Deo recepisse: & tertium *Divan*, qui alios magnitudine excedit, sed pari æstimatione habetur. Hos libros Sabæi magna religione custodiunt, ne forte in aliorum manus perveniant, & cum alioquin hanc nationem auri sacra fames multum cruciet difficillime tamen hac ex parte corrumpi possunt. P. 99 sqq. D. Stephanus Petrus, Patriarcha Maronitarum Antiochenus, mittit catalogum tum librorum sacrorum, tum operum Patrum, tum aliorum scriptorum, quæ apud ipsos post tot bella, incendia, rapinas & spoliationes, quibus Syria per 10 secula fuerit obnoxia, adhuc supersint. Ex eodem Patriarcha Huntingtonus quæsierat de Dionysio Syro, cujus Commentarium in IV Evangelia celeberrimum Loftusius syro-latine imprimendum curavit, quisnam scilicet fuerit ille Dionysius, quo tempore ubi loci floruerit, quid denique scripserit? Ad singulas has quæstiones Patriarcha p. 111 sqq. accuratè & prolixè respondet, atque refert, Dionysium illum floruisse seculi XII, patriam ipsi civitatem Militinensem obtigisse, professione fuisse Jacobitam propter eximia studia creatum esse episcopum Grammatiensem, animum Deo A. 1169 reddidisse, & sepultum esse Melitæ, ubi natus fuerat. Præter Commentarios in V. & N. T. variis argumentis Theologicis ac Philosophicis scripsisse, scilicet *De Deo*, *de Trinitate*, *de Incarnatione*, *de Angelis*, *de Animabus*, *de Sacerdotio*, *de Elementis* & *de Arithmetica*. Porro eundem quoque contra hæreticos calamum strinxisse narrat, nimirum contra Arabes, Agarenos, Hebræos, Nestorianos, Græcos, ita contra eos, qui Concilio Chalcedonensi adhærent. Tandem de

quoque Liturgias eum composuisse ait, cum Commentario de Ri-
a S. Sacrificii Altaris.

Supereſt, ut Edwardi Bernardi Vitam, collectioni ve-
rum Mathematicorum & huic epistoliarum volumini subjun-
tæ præmiſſam, paucis percenſeamus. Ille natus eſt Pauleſperriæ
ſecundo die Maji A. 1638, patre Joſepho Bernardo loci illius Paro-
cho, & matre Eliſabetha Lancea, utriſque non ignobili genere ori-
undis. Adoleſcens Londini in ſchola publica Mercatorum Scifſorum
a dicta, literarum tyrocinia poſuit, ſeptennio ibi exacto in collegi-
um S. Joannis Baptiſtæ apud Oxonienses cooptatus, Thomæ Wiati tu-
elæ traditus fuit. Magiſter artium factus, Procuratoris Academiae
natus geſſit A. 1667. Inde prima laurea Theologica ornatus, Lugdu-
num ad Batavos abiit, tum ut MSS. codices orientales, quos Jo-
ſephus Scaliger & Levinus Warnerus reliquerunt, perlustraret,
um etiam, & præcipue quidem, ut V, VI, VII libros Conicarum
ſectionum Apollonii Pergæi, quorum textus Græcus deſideratur,
n codice Arabico apud hæredes Golii extantes examinaret. Con-
tituerat enim hos libros cum verſione ſua & commentationibus ne-
ceſſariis in lucem edere: ſed hoc ejus conſilium D. Chriſtianus Ravius
ævertit, utpote qui tres iſtos libros, a ſe Latine verſos & Carolo XI
uecorum Regi inſcriptos, Kiloni A. 1669 publicavit. Oxonium re-
erſus, a D. Chriſtophoro Wrenno electus eſt, ut ipſius tum tem-
oris in regia aula verſantis in munere Mathematico obeundo
ices ſuppleret. Interim tamen non obliſcebatur, ſe ſolenni
rofeſſione Theologiæ ſtudiis ſacrisque Presbyteri functionibus
onſecratum fuiſſe. Hinc Beneficium Eccleſiaſticum, in provin-
ia Surreienſi a Collegio Joanneniſi ipſi delatum, lubenti animo
cecepit, & paulo poſt a D. Petro Mew, Epifcopo Bathoniensi &
Wellenſi inter Sacellanos domeſticos cooptatus eſt. Hæc vero
omnia mox erant relinquenda. Cum enim D. Wrennus profes-
ſione Mathematicum plane ſe abdicaret, aut ſpes muneris iſtius Ma-
thematici erat abjicienda, aut vi ſtatutorum fundatoris, nulli alii
fficio ſive eccleſiaſtico ſive civili præeſſe licitum erat. Hinc diu
nimi dubius ac neſciens quo ſe verteret, tandem repudiatis di-
nitatibus eccleſiaſticis, profeſſionem Mathematicam elegit. Cir-
a hoc tempus de edendis veteribus Mathematicis omnibus, nun-
quam

p. 1.

p. 2.

p. 3.

p. 8.

p. 11.

p. 14.

p. 15.

p. 16.

p. 23.

p. 25. quam satis laudandum consilium apud Oxonienses fuit agitatum, cujus vastissimi operis sciagraphiam Bernardus accuratissime delineavit, quam Clarissimus Smithus subnectere operæ pretium duxit. Eodem ferme tempore Euclidem suscepit illustrandum, egregio specimine in folio, ut dicitur, edito, in quo Græcus textus & ex adverso Latina versio, cum Procli Commentario, Græce & Latine, una cum doctissimis scholiis figurarumque delineationibus accurate exhibentur. Præterea ut scientiam quoque Astronomicam ex doctrina veterum illustraret, parvam Syntaxin Alexandrinam, communiter *Μητρον Ἀστρονόμου* dictam, in qua præter Euclidem, Theodosii, Autolyçi, Menelai, Aristarchi & Hipsiclis opuscula continentur, edendam suscepit, sed opus illud non perfecit. Nec solum in scientiis Mathematicis, verum etiam in Chronologiæ & Antiquitatum studio, ingenii vires exercere satagebat. Hinc novam Josephi editionem adornare animum induxerat, & dici non potest, quam vasto apparatu arduum hoc opus aggressus fuerit. Cum vero multi methodum ejus, quam sequebatur, importune & pene ingestis convitiis carperent, inde primo inter Curatores & Bernardum ortæ simultates, dein apertæ lites, utrisque pro diversa, quam secuti sunt, sententia argumentis ultro citroque agitatæ tenacissime inhaerentibus. Cessavere inde operæ typographicæ, nec quisquam de edendo integro Josepho sumptibus Academiæ amplius cogitavit. Postquam igitur in hoc opere ad metam pervenire non potuit, multos alios libros edidit, qui a D. Smitho insequenti ordine recensentur.

p. 31.

p. 32.

I Commentatio de mensuris concavis, ponderibus antiquis, & mensuris distantiarum, quæ primo A. 1685 D. Pocockii commentariis in Prophetiam Hoseæ adjuncta fuit, triennio autem post locupletior facta seorsim prodiit sub hoc titulo: De mensuris & ponderibus antiquis libri tres, quibus accesserunt duæ epistolæ, altera N. Fatii de mari æneo Salomonis, altera Thomæ Hyde de mensuris & ponderibus Sinensium ad D. Bernardum.

II Private Devotions, Oxon. A. 1689 in 12. h. e. ut D. Smithus paulo latius titulum explicat: Exercitia spiritualia, & vitam pie & Christiane instituendi methodus, cum formulis precum, tam in quotidianis, quam in solennibus religionis officiis, cum
quis-

quisquam Deo & sibi vacaverit, clam & in privato secessu utendis. Ad finem accessit brevis Decalogi Paraphrasis.

III. Orbis eruditi Literatura a caractere Samaritico deducta, quam tabula amplioris formæ æri incidendam curavit. Hinc uno intuitu contemplari licet varias, pro varia temporum & seculorum ratione, literarum figuras.

IV. Canon præcipuarum e Stellis fixis (numero 23) secundum observata majorum, quem Huntingtongo inscriptum Actis Philosophicis mense Aprili A. 1684 inferendum permisit. Iisdem Actis, Septembri ejusdem anni, epistolam ad Joannem Flamstedium Mathematicum Regium edidit: in qua continentur

V. Observata ex Græcis, Arabicis, Persicis, Judaicis, Latinisque Scriptoribus de Obliquitate Zodiaci.

VI. Etymologicon Britannicum, quod ad calcem Grammaticæ Anglo-Saxonicae & Mæso-Gothicae D. Georgii Hickesii, Oxonii A. 1689 editæ, pag. 167 seqq. comparere voluit.

VII. Chronologiæ Samaritanæ Synopsis, quam Auctorem misit ad D. Ludolfum, qui illam Actis his nostris mense Aprili A. 1691 inferi voluit.

VIII. Notæ in fragmentum Seguierianum Stephani Byzantini, cujus partem, quæ ad Dodonem spectat, Jac. Gronovius ad calcem Exercitationum de Dodone A. 1681 edidit.

IX. Adnotationes in epistolam S. Barnabæ, in editione Feliana. Oxon. 1685.

X. Annotationes breviculæ in Scriptores Apostolicos editionis Cotelierianæ, & in nupera editione Amstelodamensi publicatæ.

XI. Scholia & annotationes in Græcas Inscriptiones Palmyrenorum. Trajecti A. 1698.

XII. Samaritanorum literæ Latine conversæ, & a D. Jobo Ludolpho in Epistolis Samaritanis editæ.

Multas præterea lucubrationes Bernardus reliquit, quas D. Smithus prolixè recenset. Nos, ut prolixitatem evitemus, titulos indicare satis habebimus.

I. Chronicon omnis ævi, sive Canon Chronicus.

II. Calendarium Ecclesiasticum & Civile plerarumque Gentium.

III. Index librorum manuscriptorum Angliæ & Hiberniæ, atque externarum aliquot Bibliothecarum.

IV. Devotiones Privatæ Anglice scriptæ, cum brevi explicatione X Præceptorum, Orationis Dominicæ & Fidei Apostolicæ, in VII libris.

V. Observationes varii generis.

VI. Notæ ad Scriptores veteres, tam sacros quam non sacros.

VII. Etymologicon Græcum & Latinum.

VIII. Lexicon Ægyptiacum.

IX. Lexicon Russicum.

X. Euclides, Græce & Latine.

XI. Syntagma de Mathesi, sive principia & elementa Matheseos.

XII. Dissertatio de Literatura.

XIII. Linguarum insularum Britannia & Hibernia Origines Persicæ & Armeniacæ.

Hos omnes libros & nonnullos alios a Bernardo compositos, item codices MSS. collatos notisque eruditorum Virorum illustratos, Clarissimi Bibliothecæ Bodlejanæ Curatores in illius Archivis reponendos, pecuniis publicis redemerunt. Equidem optandum fuisset, longiorem vitam D. Bernardo contigisse, ut multa egregia opera, quæ imperfecta reliquit, ad finem perducere valuisset. Sed præclarissimos ejus labores continui per aliquot annos languores abruperunt, iisdemque tandem mors acerba, quam immoderatis studiis vigiliisque acceleravit, duodecimo Januarii die, A. C. 1696, quinquagesimo nono ætatis suæ nondum exacto, finem imposuit.

Vitam Bernardi excipit, uti jam diximus, Synopsis Veterum Mathematicorum Græcorum, Latinorum & Arabum, quæ Scigraphia est vastissimi operis, eorum scripta, quotquot reperiri potuerunt, XIV voluminibus comprehensuri. Horum autem Mathematicorum magna pars ex membranis Anglicanis fuit desumpta.

JOHANNIS FORBESII A CORSE OPERA OMNIA.

Amstelædami, apud Wetstenios, A. 1703, in fol. Alphab. 19.

SCotia luce Evangelii collustrata sicuti Johannem Knoxum, Robertum Rollocum, Hectorem Boethium, Georgium Buchananum

num, Guilielmum Amesium, Johannem Cameronem, Samue-
 n Rhetorfortem, virosque doctissimos alios genuit, ita quoque
 mannem Forbesium a Corfe, Theologum Doctorem & in Aca-
 demia Aberdoniensi Professore, doctrina & vitæ sanctitate per-
 uitrem dedit, cujus opera duobus voluminibus comprehensa,
 ma partim, partim repetita vice nunc publicantur. Et editioni
 idem huic elegantissimam præfationem Nicolaus Görtlerus, in
 ademica Schola Daventriensi Theologiæ Doctor & Professor
 æmisit, & Henricus Wetsteinius cum fratribus chartæ nitorem
 porumque elegantiam præstitit, Reverendus vero Vir, Georgius
 arden- (qui post plures annos Aberdoniæ in cura Pastoralis exa-
 os, Presbyterianæ factionis invidia se ab officio pulsum profite-
 r) de eadem modis non unis bene imprimis fuit meritis.

Antea vero, quam operum hic exhibitorum ulteriorem men-
 onem injiciamus, Autoris primum vita a nobis recensenda est,
 ujus descriptio Gardeno itidem debetur, qui eadem fidelia plures
 calbaturus parietes, & Patricii Forbesii, patris, Episcopi Aberdo-
 nensis, & Guilielmi Forbesii, propinqui, primi Edinburgensis E-
 piscopi a Carolo I electi, (quo de plura diximus in Actis nostris
 anno superiori 1704, pag. 421 seq.) & Roberti Baronii, & Gui-
 elmi Leslæi, & aliorum celebrium Scotiæ Pastorum, cum quibus
 Johannes noster multa læta & tristia habuit communia, vitas pa-
 ter recensuit, a nobis tamen prolixè haud repetendas, cum circa
 olum Johannem Forbesium occupatos nos esse, æquum sit. Na-
 us ille est sexto Nonas Maji anno 1593, nobile ac generosum
 temma nactus, & postquam humaniores literas didicerat, missus
 est ad Universitatem Aberdoniensem anno 1607, ubi Philosophiæ
 operam dedit, ac postea in exteras regiones profectus, in Univer-
 sitate Heydelbergensi, sub cura D. Paræi, Theologi celeberrimi, Se-
 dani etiam, ac in aliis inclytis Superioris & Inferioris Germaniæ A-
 cademiis, Theologiæ studuit, scripta Patrum diligenter evoluit,
 ac linguæ Hebraicæ operam dedit, ubi pro ingenii felicitate & in-
 defessa diligentia, magnos fecit progressus. In cæteris regionibus
 ad annum usque 1619 commoratus, hoc ipso in patriam reversus,
 & sequenti a Synodo dioceseos Aberdoniensis ad publicam Theo-
 logiæ professionem vocatus est, quam in studiosæ juventutis com-

modum, modis ornare omnibus allaboravit. Sed cum in cœpto isthoc studio feliciter procederet, controversiis se parum faustis immixtum vidit, quæ multas ipsi ærumnas & triste tandem exilium provocarunt. Nimirum eo ipso tempore, quo Fœderatum Belgium quinque articulis mirum in modum divexabatur, Jacobus I Magnæ Britannæ Rex, restituto jam in Scotia anno 1610. Episcopali, quod vocarunt, regimine, pariter quinque placita per Synodum Perthensem anno 1618 sanciri jussit, puta 1. Sacram Coenam submissis genibus accipiendam: 2. Baptismum, & 3. Sacrum Epulum privatim quoque, necessitate id postulante, administrandum: 4. pueris post Christianam institutionem bene ab Episcopo dicendum, cum impositione manuum: 5. singularia Dei opera, ut ortum Jesu Christi Servatoris e beata Virgine, passionem &c. statis diebus quotannis celebranda esse. Quinque hæc capita Forbesius cum suo probaret confirmaretque calculo, & fœderi nationali, illorum atque Liturgiæ occasione inuito, nomen dare constanter renueret, a Synodo Aberdoniensi anno 1640 censura notatus, atque a Classe Edinburgensi, cui patres Aberdonienses sententiæ executionem commiserant, anno proxime secuto Theologica professione exutus est. Quam exauctorationem æquo ille ac miti animo tulit, & cum Presbyterianis amice concorditerque vixit. Verum, ubi anno 1642 novi fœderis inter Scotos Anglosque pacti subscriptio vehementer urgeretur, cum aliis Scotis e patria exire, & in Belgium secedere maluit; unde tamen post paucillos annos reversus, reliquam vitam in prædio suo a Corfe tranquille taciteque exegit, animamque tandem die 29 April. anno 1648 reddidit, in suæ Parochiæ cœmiterio, sine ulla exequiarum pompa vel monumento sepultus.

Hanc *Vitam* Autoris *externam* Gardenus nuncupat, cui mox *interioris brevem ideam* ex plenioribus, quæ huic statim annectuntur, *commentariis, de Johannis Forbesii Exercitiis Spiritu- libus*, quæ manu Autoris lingua patria scripta idem habuit, atque in Latinum sermonem transtulit, efformatam subjungit. Habebis hic passim obvias Forbesii preces, laudationes Divinas, peccatorum confessiones, animi compunctiones, luctationes, & cum Deo frequentissimas colloctiones, unde optimi Viri sanctitas,

Ætatis, modestia, candor, tolerantia, fortitudo & constantia, pluresque aliæ virtutes Christianæ perspicue dispalescunt. Hinc *Sermo* sequitur in *Psalms. CX, 1.* post obitum Patris ab Autore habitus, in quo de ingenti invictoque solatio, quod ex Christi ad dextram Patris sessione ubertim & constanter Patricius Forbesius a Corfe perceperit, disseritur; itemque *Dissertatio de Visione beatifica*, & denique summa concionis *de Pace* ex Joh. XIV, 27, coram Rege Carolo I bellicos inter tumultus a Guilielmo Forbesio habitæ.

Qui deinde apparent *Theologiæ Moralis* libri decem, nondum hæctenus lucem adspexere publicam, quanquam opus illud manu Autoris omnino elaboratum perfectumque fuerit. Expountur in eodem præcepta Decalogi, variæque circa Dei legem, & specialia ejusdem præcepta controversiæ dissolvuntur, casusque conscientiæ explicantur. Nobilissimum appellat istud opus, in laudata a nobis jam ante præfatione, Clarissimus Gürtlerus, ejusque idea exhibita, nihil se ad commendationem illius adjicere velle innuit, nisi quod Autor idem minime exscripserit ex monumentis doctorum recentiorum, sed magno labore ex tabulis Scripturæ Sacræ, e dictaminibus rectæ rationis, & libris veterum optimorumque Ecclesiæ Patrum, id construxerit perfecitque.

Videas deinceps *Irenici*, occasione litium, quibus Ecclesia Scotica discindebatur, Rege Jacobo I quinque Synodi Perthensis placita observari jubente, anno jam tum 1629 vulgati, secundam editionem, in qua voculæ aliquot, paulo immitiores justoque acerbiores reputatæ, corriguntur atque omittuntur.

Claudit tomum priorem liber *de Cura & Residentia Pastoralis*, quem Forbesius conscripsit, autoritate motus atque jussu Patris, Episcopi tunc Aberdoniensis, nimis crebram aut justo diuturniorem quorundam Pastorum ab assignatis stationibus absentiam amare deplorantis.

Tomus integer posterior novam exhibet editionem *Institutionum Historico-Theologicarum*, emendatam ad ipsius Autoris castigaciones, plurimisque ejusdem additionibus insigniter adauctam, quam eo majori procul dubio cum aviditate perlustrabunt ii, qui discendarum antiquitatum Ecclesiasticarum cupidi,

Institutionum harum editiones, jam ante aliquoties iteratas, non sine voluptate hactenus evolverunt.

SACER DECADUM SEPTENARIUS, MEMORIAM Theologorum nostra aetate Clarissimorum renovatam exhibens. Curante M. HENRICO PIPPINGIO,

Lipsiæ, apud Thornam Fritsch, 1705, 8. Alph. 3. pl. 4.

Pergit se publico ostendere Reverendus Collega noster *Henricus Pippingius*, M. *Henningi Wittenii* doctissimo Opere, quo is præstantissimorum superioris seculi Theologorum memoriam vindicare annisus est, magno studio, nec minori dexteritate continuato. Ac *Wittenius* quidem, postquam diversis temporibus *sex Decades*, & anno 1685 integram *Memoria Theologorum Clarissimorum Renovata Centuriam* conjunctim edidisset, novam moliri Centuriam sperabatur; imo paratam se prælo jam habere, in præfatione istius Centuriæ professus ipse erat, indicatis etiam Theologorum in eandem constipandorum nominibus. Sed nusquam illa comparuit, seu quod Auctor ipse mutavit consilium, quod visum fuit verosimile, cum A. 1688 *Diarium* potius *Biographicum*, iterumque A. 1696 ejusdem *tomum secundum* edidisset, Scriptores ejusdem seculi præcipuos, absque nationis, religionis aut professionis discrimine, concise descriptos complexum; seu quod impedimenta quæcunque alia, ac mors denique, quæ Auctori paulo post dictum illum secundum tomum publicatum obtigit, intercessere. A tanto igitur tempore cum repertus nemo esset, qui *Wittenianum* illud prius institutum, quod magno olim cum applausu exceptum fuerat, persequeretur, vacuum velut provinciam *Pippingius* noster occupavit, jamque Theologorum septuaginta, qui post annum 1682 e vivis excesserunt, restauravit memoriam, laborem hoc modo aggressus, quo & de totidem Viris jam in coelo triumphantibus, & de viventibus cunctis, quos clarorum virorum, qui Ecclesiæ olim ornamento ac emolumento fuere, fata nosse juvat, præclare mereretur. Methodum eandem plane servavit, quæ antecessori *Wittenio* visa fuerat commoda, collectis undique magno labore programmatibus funebribus,

ora-

ationibus parentalibus, epitaphiis, monumentisque similibus, æ honori doctorum virorum consecrari solent, & librorum a quoque compositorum accurato catalogo subjuncto; ubi in eodem men Wittenii industriam haud parum superavit Pippingius, quod sollicite simul annotare sustinuit, quorum librorum uberior censio, seu in nostris his Eruditorum Actis, seu in aliis Doctorum phemeridibus, quacunque lingua aut titulo magno hactenus numero divulgatis, reperiatur. Præmissa elegans est præfatio, qua inter plura alia, ad Historiam Rei Literariæ pertinentia notatuque signa, uti quorundam, qui ad Opus perficiendum rogati fuerant suppetias, morositas non dissimulatur, ita duumvirorum imprimis, quos honoris causa nos quoque nominamus, *D. Georgii Henrici Götzii*, Lubecensium hoc tempore Superintendentis, & *Joannis Alberti Fabricii*, Professoris Hamburgensium, in suppetendis subsidiis, quo sunt uterque in promovendis bonis literis animo, merito deprædicatur promptitudo. Nobis ex ea plura decerpere nunc non licet, cum contexendus potius adhuc superfit Theologorum ipsorum, quorum Vita enarratur, qualiscunque index, ut qui nosse de iis plura cupiunt, non ignorent, unde ea sibi sint haurienda. Decade ergo prima sistuntur, *Christianus Noldius, Sebastianus Niemannus, Joannes Olearius, Daniel Griebnerus, Godofredus Olearius, Jacobus Tentzelius, Michael Siricius, Jo. Andreas Lucius, Michael Cobabus, & Abraham Calovius*: in secunda *Antonius Reiserus, Janus Birckero-dius, Balthasar Bebelius, Josua Arndius, Adamus Tribbeche-wius, David Klugius, Johannes Saubertus, Jo. Andreas Quenstedtius, Lucas Fridericus Reinhartus, Matthias Wasmuthius*: in tertia *Augustinus Balthasar, Johann Christfried Sagittarius, Andreas Christophorus Schubartus, Matthias Zimmermannus, Johannes Dürrius, Godofredus Meisnerus, Theophilus Spizelius, Georgius Greenius, Joachimus Hildebrandus, & Tilemannus Andreas Rivinus*: in quarta *Michael Waltberus, Johannes Lasse-nius, Martinus Beerius, Henricus Rixnerus, Christianus Scriverius, Justus Christophorus Schomerus, Jo. Andreas Kunadus, Christianus Wagnerus, Nathanael Falckius, Gerbardus Theodorus Meierus*: in quinta *Paulus Bosius, Christianus Korthol-*

tus, Abrahamus Hinckelmannus, Johannes Faustius, Jo. Guilielmus Baierus, Sebastianus Schmidius, Henricus Wideburgius, Enoch Zobelius, Valentinus Alberti, Adamus Osiander: in sexta Georgius Mæbius, Augustus Pfeifferus, Georgius Lehmannus, Joannes Benedictus Carpzovius, Georgius Götzius, Valentinus Velthemius, Michaël Christianus Ludovici, Jacobus Hieronymus Lochnerus, Sebastianus Kirchmaierus, Conradus Tiburtius Rango: in septima denique Fridericus Ulricus Calixtus, Matthia Fridericus Beckius, Johannes Breverus, Albrecht Christianus Rottbius, David Caspari, Michaël Müllerus, Isaacus Faustius Fridemannus Bechmannus, Bernhardus von Sanden, & Christophorus Franckius.

Hi sunt Theologi, quorum memoria sacro hoc nostro Decadam Septenario recolitur. Adjecit vero illi Clarissimus Auctor, mantissæ velut loco, insuper Septenarium celeberrimorum virorum, qui utut professione Theologi haud fuerint, scripta tamen ediderunt, aut transtulerunt, aut inchoata reliquerunt Theologica. Sunt illi *Johannes Brunnemannus*, Jctus, Conf. Elect. Brandenb. Antecessor & Facult. Jurid. Francof. Ordinarius *Caspar Zieglerus*, Jctus, Consil. Appell. Elect. Sax. & Ordinarius Facult. Jurid. Witteb. *Vitus Ludovicus a Seckendorf*, Eques Imperii, Consiliar. Elect. Sax. & Brandenb. Intimus, & Universitatis Fridericianæ Cancellarius, *Erasmus Francisci*, Polyhistor Noribergensis, *Adrianus Stegerus*, Consul Lipsiensis, *Abasverus Fritschius*, Consiliarius Intimus & Cancellarius Rudolphopolitanus, & *Georgius Francus de Franckenau*, S. R. I. Eques Consiliarius justitiæ & Archiater Danicus.

*A DISCOURSE OF THE UNITY OF THE CHURCH; OR
the Separation of the Dissenters from the Church of England, &c.*

i. e.

*DISCURSUS DE UNITATE ECCLESIAE; DE EORUM, QUI
Dissentientes audiunt, Separatione ab Ecclesia Anglicana; de Licentia, quam sibi sumunt iidem Ecclesias erigendi contra Ecclesiam*

rem

religionem legibus stabilitam profitentes, nec non de Ordinatione Ministrorum sive Doctorum, quos illi eligunt. Autore ROBERTO BURSCOUGH, Magistro Artium, Vicario Totnessiæ, & Archidiacono Baarnastapulensi.

Exoniæ apud Samuelem Farley, 1704. 8. Prostat Londini apud Th. Bennet. Constat plag. 14.

Dicavit Reverendus Autor præsens opusculum Viro Reverendissimo Jonathan Trelawny, Præfuli Exoniensi, utque hoc officium in eundem conferret, causam fuisse ostendit ejus in se voluntatem beneficam & vere generosam, tum etiam singularia in Ecclesiam Anglicanam merita, ab externis quoque, & præcipue a Clarissimo Petro Jurieu, passim laudata. Tractationem totam eo animo suscepit, ut responderetur Autori anonymo, qui in libro, cui titulus *Dissenters no Schismaticks*, haud ita pridem divulgato, vindicare voluit a Schismaticorum appellatione eos, qui ab Ecclesia Anglicana dissentiunt. Non autem hæc nova est, & inter hos viros nunc demum agitari cœpta controversia, sed jam ante scriptis aliquot publicis hac de re inter se pugnarunt. Horum si copia nobis facta fuisset, melius nunc possemus summam libri præsentis, qui ad scripta prius edita passim se refert, hoc loco exhibere. Fungemur tamen officio nostro, quoad ejus fieri potest, & tractatus hujus argumentum summam recensebimus.

In præfatione Adversario suo exprobrat Autor, quod in scripto ultimo, haud secus atque in priori, calumniis ipsum oneraverit & convitiis, quæ sint a viro, qui vel minimum habeat humanitatis sensum, nedum ingenuo vel Christiano, maxime aliena. Collectionem *Φράσεων* quarundam ab eodem adhibitaram subjungit, ut, quam acerbum ille se exhibuerit, manifestius appareat. In eo autem præcipue injuria se lacesitum fuisse significat, quod ipsum Antagonista odii implacabilis in Dissidentēs, animique non nisi flammam & ferrum in illos spirantis reum postulare non dubitaverit, cum tamen nihil omnino adsit, propter quod in suspicionem voluntatis adeo infestæ trahi queat, multoque potiori jure tota ista criminatio recidat in accusatorem, quem ad exitium ecclesiæ per leges publicas in Anglia stabilitæ propen-

p. 1.

p. 2.

p. 3.

- p. 8. *issimum esse demonstrat. In ipsa tractatione id potissimum Auctori est propositum, tum, ut vindicet ea, quæ in scripto quodam antecedenti asseruerat de unitate Ecclesiæ, tum, ut inquirat, an non schismatis rei sint habendi, qui ab ecclesia Anglicana discesserunt, tum vero etiam, ut evincatur, auctam esse horum culpam, dum ecclesias atque ministros peculiare sibi constituerint, & pastores vocatione legitima destitutos elegerint.*
- p. 10. *Illorum, quæ in Sectione prima disputantur, vis omnis eo præcipue redit, ut evincatur, 1. esse necessarium & permissum, ut quædam in sacris literis non expressa determinantur circa cultum divinum; 2. determinationem istam fieri debere ab his, qui legitima pollent autoritate; 3. tali determinatione facta, officium esse eorum, qui reguntur, ut pareant. Quod ad prius attinet, Deum quidem generalia dedisse præcepta ostendit eorum, quæ pertinent ad cultum ipsius externum, non vero semper specialia, scilicet ratione loci, temporis, modi &c. neque tamen fieri posse, ut, si cuiusvis arbitrio hæc relinquantur, ordine ac decenter omnia fiant, vel ulla omnino sit Christianis inter se communio. Sic ex. gr. cantum Psalmodum partem esse ait liturgiæ atque a Deo præceptum, sed cum modus canendi non sit pariter ab eodem præscriptus, sine regula humana futurum, ut alii indiscriminatim omnes, alii solum artis canendi peritos, alii certum ac selectum horum numerum, alii unum duntaxat eundemque præ cæteris in Musica excellentem, ad canendum admitti velint; ut quidam omnes non interrupta ferie, quidam vicibus alternis canere malint; ut alius hunc, alius alium hymnum postulet; ut alius hoc, alius alio modo cantum moderetur; ut huic prosa, illi versus & rhythmus placeant &c. Deinde probat, quod ipsi Apostoli, & qui eorum tempora proxime attigerunt, Viri maxime pii & ad mortem usque Christo fideles, nonnulla introduxerint, vel jam olim introducta continuari permiserint, quæ in se erant indifferentia, nec a Deo speciatim mandata. Eo pertinere dicit decretum Hierosolymitanum de o-mittendo esu sanguinis & suffocati, ejusque quod simulacris fuerat immolatum, Act. XV, 28. 29. Diei Dominicæ surrogationem in locum Sabbathi. Unctionem infirmorum, injunctam in epistola Jacobi cap. V, 14. Baptismi celebrationem ejusmodi ritibus factam,*
- p. 11.
- p. 29.
- p. 26.
- p. 34.
- p. 40.
- p. 43.
- p. 44.

t Salvatoris nostri exequias quasi referret, quo respicere ait Pau-
 um Eph. IV, 22. Coloss. III, 9. Galat. III, 7. Oblationes, a primis
 Christianis, cum publice convenirent, fieri solitas, item ἀγάπας,
 uarum extet mentio I. Cor. XI, 21. 22. 23. Elevationem atque la-
 ationem manuum tunc adhiberi consuetam, cum quis preces fun-
 ere volebat; conf. I. Tim. II, 8. Lavationem pedum, de qua
 Christi quoque præceptum adsit Joh. XIII, 14. Quemadmodum
 & de excussione pulveris, tanquam indignationis Divinæ signo
 ontra eos adhibendo, qui Doctores Divinos non receperint, Marc.
 VI, 11. Act. XIII, 51. Institutionem Diaconissarum, de qua Rom.
 XVI, 1. Salutationem cum osculo charitatis, de qua Rom. XVI, 16.
 Manuum impositionem I Tim. V, 22. Hebr. VI, 2. Act. VIII, 15. 17.
 Capilli resectionem viris injunctam I Cor. XI, 14, item ut hi ca-
 pite nudato, fœminæ contra operto precari jubeantur, I Cor. XVI,
 5. 7. Ex quibus omnibus multa eodem jure, quo recepta fue-
 runt, iterum abrogata fuisse ostendit. Ritustamen Apostolicos &
 in omnibus ecclesiis universaliter usitari cœptos, quoties rationes
 eadem, quæ olim ut introducerentur effecerunt, nunc quoque con-
 tinuationem illorum suadent, neutiquam esse abolendos monet, id-
 que ad ea, quæ primis Christianis de die Dominica, de impositione
 manuum in ministrorum ecclesiæ ordinationibus adhibenda, item de
 confirmatione post susceptum baptismum placuerunt, specialiter
 applicat. Tertio, quam sit necessarium ad cultum Divinum recte
 peragendum, ut præter ea, quæ præcepta sunt a Deo, unum alte-
 rumve, quod ad ritus pertinet, determinetur, ipsos adversarios
 haud semel agnovisse ostendit, idque præcipue tempore illorum
 tumultuum, quos funesta Caroli I cædes tam celebres reddidit.

In tractatione alterius thesæos ita versatur, ut primo evidens
 esse dicat, quod non nisi superiores normam præscribere possint, ad
 quam inferiores regantur; deinde vero, quinam hic pro superiori-
 bus legitimis haberi debeant, exponat. Nimirum singulis Apo-
 stolis a Christo concessam asserit potestatem, ut de rebus arbitra-
 riis ad religionis exercitium pertinentibus statuunt; eandem pote-
 statem, haud secus ac docendi munus & sacramentorum admini-
 strationem, transmisisse illos in successores & eos, qui in horum lo-
 cum ordinatione legitima accedente successerunt, horumque au-

- p. 23. toritatem multum augeri, si quoque Principis & Magistratus politici consensus atque auxilium concurrat. Ita autem judicat de potestate ista superioribus competente, ut nec restringi eam velit
- p. 61. ad introductionem ceremoniarum naturalium, prout Adversarius eas appellat, h. e. talium, quas ipsa quasi natura introduci postulat, nec tamen etiam extendi ad impositionem quarumvis rerum sua natura indifferentium; quandoquidem ad hoc, ut aliquis ritus injungatur, insuper necessarium esse dicit, tum ut ille sit consentaneus regulis generalibus Sacrae Scripturae, rerumque sacrarum dignitati congruens, tum ut significatum aliquem habeat, & sit quasi symbolum ejus rei, cujus intuitu introducitur: quemadmodum ex. gr. nudare caput olim fuerit signum autoritatis in viris, contra velo caput operire signum verecundiae in sexu sequiore. Unde porro concludit, quod, cum significatio ceremoniarum saepe variet, pro diversitate temporum atque locorum, æquum sit, interdum & necessarium, ut, quod olim fuit receptum, hodie mutetur, & quod hoc in loco conveniens est, id alibi rejiciatur, quodque adeo non possit regula dari ritus praescribens, qui semper & ubivis sint observandi.
- p. 62.
- p. 52. 63.
- p. 64.

- p. 22. Tertiam thesin, ex variis Scripturae locis, ex. gr. Hebr. XIII, 7. 17. 1 Thess. V, 12. 13. probatam, ita explicat, ut res, quae sua natura erant indifferentes, post praecipuum superioris fieri necessarias commonstret, atque illarum observationem doceat se habere instar conditionis, sine qua nequeat esse communio cum ecclesia, in qua quis degit. Ne vero, dum fideles ad obsequium tale obstringit, eripere illis videatur libertatem, in qua secundum Apostoli praecipuum Gal. V, 1. stare debent, concedit ipsis facultatem inquirendi, an talis sit lex superioris, ut salvo erga Deum officio eidem satisfieri queat. Sequentes tamen regulas, ut cautionis loco hic observent, inferioribus commendat; 1. ut nil condemnent, quod non ex S. Scriptura probare possint, vel directo vel per necessariam sequelam, pugnare cum praecipuo aliquo Divino; 2. ut perpendant, posse a superioribus peccari, dum certas ceremonias praescribunt, ex. gr. si minus utiles magis utilibus praepo-
nunt, nec tamen propterea minorem adesse necessitatem parandi, postquam res ejusmodi fuerunt injunctae; in cuius asserti-
fidem
- p. 74.
- p. 74. 29.
- p. 35.
- p. 79.
- p. 80.

fidem locum Baxteri, qui & ipse Presbyterianus, allegat; 3. ut non existiment, ignorantiam suam vel errorem excusare posse neglectum debiti obsequii; in qua sententia se Baxterum eundem habere consentientem indicat; 4. ut maxima sollicitudine id agant, ne prius obedire recusent, quam de re, de qua dubitant, plenissime fuerint instructi; 5. ut consultent eos ministros, qui sunt autoritate publica stabiliti, atque ab his præcipue scrupulos, quos habent, evelli sibi patiantur.

In Secunda Sectione quædam præmittit Autor ab Adversario sibi concessa, 1. Schisma esse discessionem illegitimam ab ecclesiastica communione; 2. eam discessionem pro illegitima habendam, quæ sine peccato potuisset evitari; 3. inter Ecclesiam Anglicam, & eos, qui Dissidentes dicuntur, talem discessionem contigisse. Mox quæstionem, quæ sola veniat in controversiam, nimirum, utrum in his, an vero in illa, discessionis culpa resideat, subjungit. Deinde, quod non Ecclesia Anglicana, sed Dissidentes Schismatis rei sint, variis argumentis, quorum partem jam *ἐν παραδείῳ* in Sectione prima attigerat, confirmat. Illud vero speciatim urget, quod nec iniqua sint, quæ Anglicana Ecclesia introduxit, nec adeo gravia, ut ulli justam conquerendi causam parere potuerint, atque ibi præcipue ritum in genua procumbendi, cum ad sacram Cœnam acceditur, contra Adversarium suum vindicat, qui eundem rejiciendum existimaverat, tanquam non congruentem gestui, quo usus sit Salvator in prima hujus sacramenti institutione, ac nimis prope accedentem ad cultum idololatricum Pontificiorum. Adhuc magis copiosus est in eo ostendendo, quod non constet sibi Adversarius, dum Ecclesiam Anglicanam Babylo ni comparet, unde quemvis, cui sit cordi salus animæ suæ, egredi oporteat, atque ritus ejus tanquam execrabiles & abominandos in oculis Dei depingat, nec tamen defendere dubitet, posse Dissidentes, imo oportere illos communicare cum dicta Ecclesia, si per id habiles se reddere queant ad officium aliquod publicum. Aut enim falsa esse debere contendit, quæ contra memoratam Ecclesiam protulerat, aut omnino abstinendum esse ipsi atque asseclis a communione cum eadem; simul deducens, quod his, qui duntaxat

p. 81.

p. 82.

p. 83.

p. 84.

p. 31.

p. 116. seq.

p. 98. 105.

p. 95.

p. 100. seqv.

p. 128.

p. 129.
 p. 133.
 p. 134.
 p. 139.
 p. 85.
 p. 93.
 p. 142.
 p. 143.
 p. 145.

lucri spe oblata & ad exiguum tempus se conformes reddunt Ec-
 clesiae, quam alio tempore condemnant, neque profit exemplum
 Davidis & sociorum, de quo 1 Sam. XXI, 6, item Matth. XII, 3. 4,
 neque incolarum Samariae 2. Reg. VI, 25, neque Pauli Apostoli Act.
 XVI, 3. Act. XVIII, 18. Act. XXI, 24, neque etiam id, quod de na-
 tura rerum indifferentium, quasi eligendae simpliciter sint, si bo-
 ni alicujus praeponderantis eventus inde pendeat, idem Antago-
 nista disseruerat. Passim quoque monet, agnoscere Presbyteria-
 nos reliquos Dissidentes pro Schismaticis, nihil tamen his ob-
 jici posse, quod non idem contra illos adhiberi queat, & causam
 in eo adhuc esse deteriore, quod reliquis viam quasi sese ab Ec-
 clesia separandi monstraverint. Tandem regulas quasdam exa-
 minat, quibus justitiam ejusmodi separationis probari posse, Dis-
 sidentes sibi persuadeant, quarum prima est: nihil esse facien-
 dum dubia conscientia; altera, cum rerum, quae licitae sunt, aliae
 sint aliis meliores, semper esse praefendas, quae maxime expe-
 diunt; tertia, in usu rerum indifferentium illud maximopere cu-
 randum, ne simus aliis offensionem. Quarum primam statuit vim
 suam perdere, si adsit non solum res in se licita, sed & su-
 perioris de ea praepceptum; quandoquidem in tali casu, si dubita-
 tiones ab obsequii vinculo liberare aliquem possent, nihil foret,
 quod efficaciter obstringeret Pyrrhonianum aliquem ac de omni-
 bus dubitare valentem. Ad alteram respondet, quod, quae cui-
 vis maxime expedire videntur, non statim re ipsa expediant;
 deinde, quod eligere tantum sit eorum, qui suo relinquuntur ar-
 bitrio, non etiam eorum, qui ab aliis reguntur. Ad tertiam
 illud monet, quod si scrupulis omnium esset gratificandum, ne-
 cessum foret, ut orbis universus leges accipiat ab hominibus ma-
 xime stultis, ignorantibus, protervis, suisque affectibus obtem-
 perantibus, ut ruat omne debitum erga superiores, atque in er-
 roribus magis confirmetur, quos corrigi ac in meliorem viam
 reduci charitas exigit. Denique testem pro se iterum producit
 Baxterum, & quam absolum sibi videatur, eo obtentu, ne aliis
 praebatur offensus, Schisma excitare, quod sit offensionum omni-
 um longe pessima ac perniciosissima, exponit.

p. 150.

Argumenti, cujus tractationem tertiae Sectioni reservavit
 dua

has partes facit. Prima quidem multum accessisse asserit ad
 culpam eorum, qui ab Ecclesia per leges Regni in Anglia sta-
 litas desciverint, quod in coetum aliquem peculiarem coierint,
 omnia resque suas sacras separatim sibi habere coeperint, sacro-
 rum quoque ministros a suo tantum arbitrio pendentes constitu-
 erint, verboque idem illud fecerint, quod veteres dixerint ere-
 ctionem altaris contra altare; in quo nec eandem fuisse causam
 Ecclesiae Anglicanae statuit, cum illa se abstraheret ab Ecclesia
 Romana, neque verum esse, quod praetexant adversarii de qua-
 dam necessitate, qua ad susceptam a se discessionem fuerint com-
 pulsi. Deinde id probandum sibi sumit, quod ministri, quos
 sacris suis adversarii praeficiant, vocatione atque autoritate legiti-
 ma destituantur, tam illi, qui praestito jurejurando, quod postea
 violenter, ordinationem accipiant ab Episcopis, quam hi, qui or-
 dinantur a Presbyteris simpliciter ita dictis. Hos enim ordinandi
 potestatem nec a Christo accepisse contendit, nec per decem se-
 cula priora post orbem redemptum eandem sibi vindicasse. Pa-
 tres quoque Ecclesiae, qui plurimum Presbyteris faveant, & plu-
 rima illis largiantur (in quibus nominatim Hieronymum allegat
 atque Chrysostomum) semper ordinationem diserte retulisse ait
 inter res ad eosdem non pertinentes. Ceterum dum amoliri stu-
 dit Adversarius suspicionem, quod consilia Presbyterianorum
 tendant ad exitium Ecclesiae, quam publicae leges in Anglia con-
 firmarunt, Noster quod non adeo fallantur opinione, qui secus
 hac in re de Presbyterianis existiment, hac eadem sectione de-
 monstrare operam dedit. In fine libri denuo exprobrat Antago-
 nistae convitia, quae in ipsum innocentem conjecerit, & quam
 falso, quam inconsiderate, quam denique contra propria & asse-
 rarum commoda ille scripserit, paucis ostendere allaborat. Con-
 silium addit, atque id praesertim debere Adversarium curare monet,
 ne, cum apertius tenuerit viam, quam cautiùs incesserit Autor
 belli, *Short Work with the Dissenters*, eadem fata sentiat,
 quae ille (propterea numellis publice expositus) sit expertus.

p. 151.

p. 152.

p. 157.

p. 160.

p. 173.

p. 182.

p. 183.

p. 181.

p. 185.

p. 194.

NOVA LITERARIA.

In Hollandia impressio Operum Erasmi strenue procedit, cui no-
 va editioni ingens ornamentum accedet, cum Bibliopola solertissi-
 mus, Petrus van der Aa, ultra quadringentas Erasmi epistolas ex illu-

stri-

stribus bibliothecis nactus fuerit, nunquam typis excusas: ut tomus etiam tertius, qui epistolis erat destinatus, in duo volumina fuerit dividendus.

In Moscovia uti supremus ipse Monarcha *Petrus Alexiovitius* Architecturæ Militari, Navalique & Mechanicis Artibus aliis, inusitato studio incumbit: ita bonarum quoque literarum & liberalium artium quarumcunque cultus magis magisque vigere incipit. In ipsa urbe principe Vir Reverendus, *Ernestus Glück*, Præpositus Livoniensis, qui post Narvam a Russis expugnatam captivus Moscuam abductus est, sed gratia nunc apud Potentissimū Czarem floret, Scholam Illustrem (ut ex ejusdem epistola ad Amicum nostrum & Fautorem æsturnatissimū, *Henricum ab Huyssen*, S. Czareæ Majestatis Consiliarium in re militari, Serenissimi vero Principis Hæredis *Alexii Petrovicii* studiorum Rectorem, non ita pridem accepimus) instituit, instruxitq; typographiam edendis omnis generis libris, qui studiosæ juventuti commendari cum fructu solent. Dolet vero vehementer Vir optimus, quod Rutheni nondum fruantur accurata satis SS. Bibliorum versione Slavonica, cum ea, qua hætenus utuntur, vitio seculi, quo a *Methodio Illyrico* confecta est, magna obscuritate laboret, ut vix periodum integram laicus Ruthenus ad amissim possit intelligere. Cui malo quidem nonnullum adhibitum est remedium, cum Moscuæ nuper admodum hoc ipso anno 1705, a *Theodoro Polycarpo*, S. Czareæ Majestatis Architypographo, *Dictionarium Trilingue*, h. e. *Dictionum Slavonicarum, Græcarum & Latinarum Thesaurus*, juxta Slavonicum Alphabetum in ordinem dispositus, in 4. fuerit editus, ut vocibus obscurioribus in versione illa Slavonica obviis lux jam aliqua sit accensa. Sed illud remedium nondum sufficere Glückius noster existimat, cum haud pauca in versionem irreperint menda alia, & cum ipsa analogia fidei pugnantia; ut jam a longo tempore publico S. Czareæ Majestatis mandato interdictum sit, ne a quoquam imprimeretur denuo, ac in lucem emitteretur. Itaque novam plane versionem adornari, optandam fuerit, neq; ad rem eam quisquam ipso Glückio magis futurus est idoneus, qui talem jam olim ex fontibus perfecerat, sed in direptione hostili Bibliothecæ ipsius universæ, cū Narva prædæ militum furibundorū pateret, amissam, & jam nunc versionem Novi Testamenti Græci iterum se aggressum, in epistola supra memorata profitetur. Quod si licet ergo, calcar & nos diligentissimo Viro addimus, ut cœptum opus perficiat, ac de gentis Russicæ salute præclare mereatur, in Divini Numinis gloriam, Christianæque religionis insigne augmentum.

A C T A ERUDITORUM,

*publicata Lipsiæ
Calendis Junii, Anno MDCCCV.*

D. ÆGIDII HUNNII THESAURUS APOSTOLICUS, complectens Commentarios in omnes N. T. Epistolas & Apocalypsin Johannis. Nunc primum hac forma editus, & novis, quæ antea deficiebant, Commentationibus auctus & locupletatus a JO. HENRICO FEUSTKINGIO, Doctore Theologo, Ecclesiæ Collegiæ Kembergensis Præposito & totius Diœceseos Superintendente.

Wittebergæ apud Joh. Wilh. Meyerum & Godofr. Zimmermannum, 1705 in fol. Constat 14 Alphas. & 13 plagulis.

Cum insignis ac de Ecclesia Christi immortaliter meriti Theologi, B. Ægidii Hunnii, edecumatae in Epistolas N. T. Commentationes a multis avidè, sed ob exemplarium inopiam, frustra hætenus quæsita fuerint, de orbe Christiano præclare admodum meritus est Vir Celeberrimus D. J. H. Feustkingius, dum easdem non modo in publicum rursus prodire jussit, sed egregio quoque augmento locupletare voluit. Quandoquidem enim laudatus Hunnius in Epistolas Pauli ad Romanos, Corinthios, Galatas, Ephesios, Philippenses, Colossenses, Thessalonicenses, primam ad Timotheum, Titum, Hebræos ac primam Johannis, solum accuratas lucubrationes reliquit, reliquas autem N. T. Epistolas, ob mortem repentinam, pari studio ac labore enucleare haut potuit, Maxime Reverendus Autor, ut defectum illum suppleret, in Jacobi & utramque Petri Epistolam, nec non Johannis Apocalypsin, breves quidem, sed solidas & per-

Hh

spi-

spicuas Johannis Winckelmanni, discipuli Hunniani, ejusdemque in Academia Marpurgensi successoris, Commentationes supplementi loco adjecit: secundam ad Timotheum, secundam & tertiam Johannis & Judæ Thaddæi Epistolas sua interpretatione ipsemet illustravit, ac præmissis prolegomenis, cujuslibet capituli argumentum & dispositionem, analysin seu sensum, atque locos communes, laudatorum Duum-Virorum methodum secutus, curate nobis tradidit. Neque silentio prætermittendum, Venerabilem Apostolici hujus Thesauri Editorem B. Hunnii Commentarios ad Helvici Garthii, qui illius gener fuit, exemplar, quod Divino quodam fato ex bibliotheca Pauli Röberi ipsi obtigit, in multis locis emendasse, correxisse, per versus & minores quosdam paragraphos distinxisse, atque in elegantiore formam hunc cumulatifimum Thesaurum redelegisse, ac sub finem operis luculentum rerum & verborum indicem addidisse. Tandem benevolum Lectorem celare nolumus, Doctissimum Virum intra semestre spatium Thesaurum Evangelicum, in quo Hunnii in Matthæum & Johannem, Winckelmanni in Marcum & Lucam, atque Arcularii in Actus Apostolorum Commentarii exhibebuntur, cum orbe erudito communicaturum esse, illudque opus jam sub prelo sudare.

PROCESSUS OFFICII FISCALIS CURIÆ ECCLES.

*Mechliniensis contra Dominum GABRIELEM GERBERON,
Ordinis S. Bened. Congregat. S. Mauri Presbyterum.*

Bruxellis, typis viduæ Petri van de Velde, 1705. 4.

Constat plag. 15.

Gabrielis Gerberonii nomen, alioqui inter literatos ob edita Marii Mercatoris Acta non incelebre, postquam diu delituisse, multo cum apparatu in lucem jam prodit. Ille A. 1682, ob suspicionem Jansenismi, ex patria, Gallia, aufugerat, latibula tum apud Belgas Fœderatos, tum maxime apud Brabantos, sub Antonii Kergré appellatione quærens. Cum vero Jansenianæ, quæ dicitur, factioni & libellis conscribendis & consilio diu inservisset, tandem Illustrissimi Archiepiscopi Mechliniensis, Humberti Gui-

Guilielmi a Precipiano, jussu die Mercurii post ferias Pentecostales anni 1703, Bruxellis captus & in Galliam transvectus est. Cum vero Archiepiscopus passim non servatæ in hac causa juris viæ argueretur, ejusdem imperio Fiscalis Advocatus Curia Ecclesiasticæ Mechliniensis, J. A. Vaes, præcipua Processus Juridici contra Clar. Gerberonium instituti monumenta edidit, præmissa ipsius Archi-Episcopi præfatione.

Enarrata igitur facti historia, libellus, quem vocant, conventionalis exhibetur, quo Gerberonius de editis, suppresso vel ficto nomine, variis Jansenianam doctrinam foventibus & promoventibus, inque Ecclesiasticum Magistratum, cum primis Archiepiscopum Mechliniensem & Gandavensem Episcopum, injuriis scriptis, de defensis quinque notissimis Jansenii propositionibus, explosis & joculariter tractatis Romanorum Pontificum decretis, de curata nova operum Mich. Bajæ editione, de commercio cum Jansenianis Hollandicis habito, & turbata universim Mechliniensi diocesi accusatur. Accedit intentatorum horum criminum probatio ex schedulis Gerberonii manuscriptis, literisque variis ad illum missis, quæ in suppellectili ejus libraria, cum captivus abduceretur, inventæ dicuntur. Sequitur libellus, quem vocant, additionalis, peculiarem deductionem istarum accusationum, maxime primæ, complectens, similibusque probationibus munitus. Hunc excipit alter libellus additionalis ejusdem argumenti, secretum Gerberonii cum Paschasio Quenellio commercium in primis prodens, & probationibus geminis firmatus. Singulis libellis e regione accusationum appositæ sunt Gerberonii responsiones, quibus se maximam partem reum confitetur. Claudit opusculum Archiepiscopi Judicatum, Gerberonium, velut Jansenianum, ut ad Abbatiam suam in Gallias, ibidem corrigendus, deducatur, condemnans.

Amantibus literariæ rei cum primis volupe erit, videre hic detectum auctorem plurimorum a triginta circiter annis, suppresso vel ficto nomine, editorum librorum, e quorum ingenti numero quosdam hic enotabimus. Tribuuntur enim Gerberonio e propria ipsius confessione

Lettre à Mr. Abelli, h. e. Epistola ad Abellium, Rhodiensem Episcopum, contra ejus librum de Excellentia B. Virginis, A. 1674 edita.

La Fable du tems, jocosus in Archiepiscopum Rothomagiensem & Episcopum Sagiensem libellus.

Memorial Historique &c. i. e. Historica Recensio eorum, quæ ab A. 1647 usque 1653 circa quinque propositiones acta sunt, edita A. 1676.

Miroir de la Pieté, i. e. Speculum Pietatis, doctrinam de Prædestinatione cum consecrariis ejus considerans, editum A. 1677 sub nomine Flori de S. Fide; qui liber ab Archiepiscopo Rhemensi & Aquensi damnatus, a Gerberonio vero litteris quibusdam defensus est.

Catechisme du Jubilé & des Indulgences, i. e. Catechetica Institutio de Jubilæo anno & Indulgentiis.

La Verité Catholique victorieuse, i. e. Veritatis Catholicæ Victoria contra Triumphum Corn. Hazart, Jesuitæ, edita A. 1684.

Deux lettres &c. i. e. duæ Epistolæ adversus Hazarti Defensionem, sub nomine *Ignatii du Chesne* scriptæ.

L' Eglise de France affligée, i. e. Ecclesiæ Gallicæ Afflictio, quam oppressis Jansenianis tulit, edita A. 1688 sub nomine *Poitevin*.

Abregé de la Doctrine &c. i. e. Compendium doctrinæ de Prædestinatione & Gratia.

Korte ende nodige Onderwysinge &c. i. e. brevis Catholicorum Belgarum Institutio de lectione Scripturæ, qua libellus Episcopi Castoriensis eandem laicis concedens defenditur, edita A. 1690. Quæ cum ab Archiepiscopo Mechliniensi & Episcopo Gandavenfi damnaretur publicis decretis, jussuque Consilii Regii Geldrensis Ruremondæ combureretur, Gerberonius schedis quibusdam defendit id scriptum, & Præsules graviter accusavit.

Entretien d'un Abbé & d'un Jesuite &c. Colloquium inter Abbatem & Jesuitam Flandricum de subscriptione formulæ Anti-Jansenianæ, editum A. 1692, quod posthæc duo alia colloquia ejus argumenti exceperunt.

Questio Juris, an lectio Scripturæ S. Caroli V. edictis populo prohibita sit? edita A. 1691.

Critique des Prejugés de Mr. Jurieu, i. e. Examen Præjudiciorum Jurii, sub nomine *Abbatis Richardi*; quem librum in his Actis A. 1690 p. 565, 608 recensitum invenies.

Questio Juris Pontificii circa Decretum ab Inquisitione Romana adversus XXXI Propositiones latum, edita A. 1693.

Adumbrata Ecclesie Romanae Catholicaeque veritatis de Gratia, adversus Melch. Leydeckeri Historiam Jansenismi, Defensio, A. 1696 sub Ignatii Eyckenboom nomine evulgata, & Romae damnata.

Disquisitiones duae de gratuita Prædestinatione, & Gratia se ipsa efficaci, A. 1697 sub nomine Mart. du Chesne publicatae, & Romae condemnatae.

Traitez Historiques sur la Grace, nihil sunt aliud, quam præcedens libellus novo titulo instructus, & sub Abbatis de S. Juliano nomine editus.

Norifus aut Jansenianus, aut non Augustinianus. Rothomagi, 1699. Liber, quem Gerberonius a se compositum fatetur, editum a se negat.

La Veritable Lettre de M. l' Abbé le Bossu sur le livre du Cardinal Sfondrati, intitulé: Nodus Prædestinationis. Parisiis, 1698. Quem librum se composuisse non solum fatetur Gerberonius, sed & addit, in dicto Nodo contineri quaedam dogmata plusquam Pelagiana.

Histoire Generale du Jansenisme, i. e. Jansenismi Historia generalis, A. 1700 Gallice edita, & in his Actis A. 1701, pag. 289 recensita.

Discordia Janseniana Enarrator.

Estrenes, &c. i. e. Strenæ ad Inquisitores, quibus Romana Inquisitio perstringitur, editæ A. 1700.

Le Chrétien desabusé sur le sujet de la Grace, i. e. Doctrina de Gratia Christianis rectius explicata, edita A. 1701.

La Confiance Chrétienne, i. e. Fiducia Christiana quatuor immobilibus innitens fundamentis, edita A. 1701, atque a Theologis Lovaniensibus & Duacenis damnata.

Mart. Steyarti Morbus & Remedia.

La nouvelle Logique du Sr. Bois-verd, ed. A. 1702.

Anselmus per se docens.

Deprehenduntur hic etiam passim libri a Gerberonio conscripti, sed in MStis adhuc latentes, quales sunt *Dialogus inter S. Anselmum & Bosonem ejus discipulum, Occasus Jansenismi, &c.*

Præterea ex ipsius Gerberonii confessione probatur, eundem Specimina Theologiæ Moralis tutissimæ, quæ Ægidius Gabriëlis Latine edidit, quæque Romæ damnata sunt, Gallice scripsisse, vel, ut suspicamur, transtulisse, p. 10; novam Michaëlis Baji Operum editionem, quæ A. 1696 prodiit, ab ipso præcipue esse curatam, p. 26. 51. Idem confessus dicitur pag. 65, quod Jansenii aliorumque ad Abbatem San - Cyranum literas, adscito Franc. du Vivier nomine, ediderit.

FRANCISCI DE VARGAS, PETRI DE MALVENDA, Veterumque quorundam Hispaniæ Episcoporum, de Concilio Tridentino Epistolæ & Observationes Latinitate donatæ.

Brunsvigæ, impensis Christ. Frid. Fikkeli, A. 1704. 4.
Alph. 2. pl. 18.

Historiæ Concilii Tridentini illustrandæ, & maxime iis fere omnibus, quæ Petrus Suavis, vel potius Paulus Sarpus, de hocce Concilio jam pridem literis prodidit, confirmandis has Hispaniæ quorundam Episcoporum Epistolæ inservire, tum jam a nobis indicatum fuit pluribus, cum Gallicam eorundem versionem, a Michaele Vassorio adornatam, A. 1699 Mens. Jun. p. 26. in Actis his recenseremus. Nam quæ Hispanica lingua (præter aliquot solum Gallorum quorundam responsorias) ab Episcopis Hispanis manuscriptæ, in Trumbullii, Equitis Angliæ Illustrissimi Bibliothecam privatam pervenerant, Epistolæ, illæ primum a Michaële Geddesio in linguam Anglicanam traductæ, cura Celeberrimi Stillingfleeti Londini A. 1697 in 8 juris publici factæ sunt. Post ea Michaël le Vassor, Vir non minus celebris, easdem in Gallicam linguam translatas, nec non adnotationibus præterea doctissimi passim illustratas, Amstelodami A. 1699 in 8 luci publicæ exposuit. Et jam etiam, una cum Vassorii notis, a Jona Conrado Schrammio, Viro Clarissimo, Latinitate donatæ, in Germania nostra prodierunt, non exiguo orbis literarii emolumento. Equidem Patres Trevoltenses, e Societate Jesu, Vassorio, cum Gallica jam lingua ab eo ederentur, valde indignati, inter acerbis satis suas ac

has literas animadversiones, quas recensiois suetæ loco Actis vel Commentariis suis Historiæ Scientiarum adornandæ inserituris, mense Februario anni 1703 inseruerunt, fidem ipsis ob duas præcipue causas dubiam reddere sunt annisi. Primo, observatum non fuisse, quomodo in hæc monumenta inciderit, vel qui servavit illa, vel qui reperit. Deinde etiam nondum satis esse demonstratum, num genuina illa sint, & ab iis revera provenerint, quibus tribuuntur? num vero, quod facile credendum sit, quidam Protestantium ea conceperit, posteris ita illusurus? At quæ ad hæc prævisa facile Pontificiorum tela, e Vassorio jam in recensione editionis Gallicæ a nobis fuerunt præmonita, ea nunc fortius sub finem præfationis suæ, Latinæ versionis præmissæ, Schrammius noster adversus Trevoltenses urget, & uberiori aliquantum confutatione tuetur. Ceterum in ipsa præfatione non ineruditam de turbis, tum Ecclesiasticis, tum Civilibus, propter Concilium Tridentinum, inter ipsos hinc inde Pontificios exortis, commentationem instituit, & quomodo cordatiores Pontificii, tum in Italia, tum in Hispania, tum in Gallia, tum in Polonia, tum apud Venetos, tum etiam in Imperio Germanico, cum summis quandoque Principibus, vel publicum, vel privatum suum a Concilii Tridentini decretis dissentum, a prima statim ejus convocatione ad nostra usque tempora, subinde declaraverint, solertissime commemorat, alia denique adhuc monumenta, Historiam Concilii egregie illustrantia, & nondum antehac visa, orbi literario pollicitus.

HERMANNI von der Hardt AD CL. V. PAULUM
MARTINUM NOLTENIUM, in Historiam Mosis Genes.

II, 18. 19. 20. de vocatis ab Adamo animalibus, Epistola.

Helmstadii, A. 1705 in 8. plag. 2 ed. sec.

Quod dudum optant Viri præstantes, ut hujus Epistolæ Illustris Autor, alias ab Actis Constantiensis Concilii, aliisque monumentis nobis merito laudatus, suas *Annotationes in univ-*
ersum V. T. quas domi servat, cum erudito orbe communicet, id illi nondum possunt impetrare. Nec tamen usque adeo invidet

det Reipublicæ literatorum, ut non interdum e scriniis suis promat, quo Lectores philologos & cupidos doctarum lucubrationum recreet. Expectant illi avide, & jam fere pollicentur sibi *Historiam Abrahami, Isaaci, Jacobi, Commentarium item in Hoseam*, ab eodem Autore, intereaque dum illorum & plurium potiantur, & hanc Epistolam cupide arripiunt ac legunt. In qua primum proponit quæstionem, Epistolæ nempe totius argumentum: *Num Adamus, omnibus brutis, volatilibus & terrestribus, nomina imposuerit, nature cujuslibet congrua; & num vestigia illius facti apud Mosen deprehendantur genuina? Nec vero dissimulat, Judæorum vulgus id quidem velle, Adamoque ut istam laudem concilient, historiam Gen. II, 19, 20 descriptam proferre. Verum his ita respondet, ut ignorantiam scriptorum Mosis ipsis objiciat, qui Mosen frustra crepent & ostentent, quem in suæ gentis laudem vel invitum semper pertrahant. Idque agere etiam h. l. plerosque Rabbiorum, ut ex Adami hac nominatione dein asserant. lingue Judaicæ cum antiquitatem ac dignitatem, tum pondus ac vim significandi inexplicabilem. Hanc opinionem, cum aliis multis, fuisse ad Christianos ita propagatam, ut viri eruditissimi, Buxtorfius & Bochartus, ne vix quidem evitare fucum Judæorum potuerint. Quibus id opponit, quomodo brutis imposita ab Adamo nomina significantiora putent ipsius nomine *Adami*, quod Deus indiderit, & hominem, humo natum, tantum indicet, naturam hominis non attingat. Quod si quis, contra ac Mosen, a pulchritudine dictum Adamum velit, neque hac quidem ratione naturam hominis esse expressam; quod invenustum foret, in colore & venustate essentiam hominis, nisi forte venustissimi & mollissimi sexus, collocare.*

Deinde ad locum Mosis, ad quem provocari solet, progressus, docet primo, Geneseos capite II, 4, *Adami historiam* reconditam pertexturum divinum Scriptorem, genuinam Adami sedem notasse, qui ex illa regione, in qua conditus fuerat, transire jussus sit in vicinum Orientalem tractum, foecundissimam terram, quam coleret & conservaret, omni, præter unum aliquod genus, victu indulto. Atque hoc primum hujus historiæ momentum. Ad alterum v. 18 digredi Mosen, emendandis Israë-

litarum moribus intentum, *Adami* scilicet *conjugium*: eique *oraculum Divinum* præmittere, ut *in omni vitæ genere ad Divinam invitaret providentiam*, & *societatis conjugalis sanctum principium* suos doceret. Adamo, inquit Moses v. 18, in regione fertilissima sic collocato, eaque colenda ac conservanda occupato, Divina providentia edixit, & pro rei necessitate ipsiusque desiderio definivit: *non esse bonum aut congruum, Adamum*, pro tanta rerum conficiendarum ac conservandarum cura, *existere solum*; sine auxilio & adjumento, tantis laboribus fore imparem. Atque hoc quidem principium conjugii, *laboris nempe consortium*, ideo sollicitè exposuisse Mosen, ut Israëlitas meliora edoceret, qui ab Ægyptiis male didicerant, voluptatis tantum causa uxores quærere, habere, dimittere.

Succedere apud Mosen luculentum in priora verba commentarium: *faciam illi auxilium, quod illi sit præsto*. Divinum nempe de auxilio parando decretum. *Auxilium* vocari a Deo, *dulcissimam curarum & familiaris rei sociam*, cum delicata determinatione, tale auxilium, *quod* blando vinculo retineatur, ne abeat, *sed semper viro sit præsto*, in rei conservandæ cura.

Præterea Mosen, qui alias Cananæorum affinitates dissuadeat, modo illo, quo Adamum scribat sociam quæsitam non invenisse, id agere, ut Israëlitas a Cananæorum detestanda cum brutis consuetudine abstrahat. Quo etiam supplicia Exod. XXII, 18, Levit. XX, 15, 16 criminibus istis dicta spectent. Ideoque post decretum Divinum de socia necessaria, v. 18 *sollicitudinem* Adami in quærenda, & *judicium* de non inventa, v. 16 & 20 describi. Cum de Adami socia apparanda ageretur, *jam creaverat*, inquit Moses, *Deus ex terra omnia bruta, omnisque generis volucres*. *Ea ergo in Adami oculos incurrere jussit*, effecitque, ut omnia, quæcunque & ubicunque essent obvia, animalia aspiceret attente. Meminisseque Mosen primo terrestrium, dein & volatilium, ne ullum genus quis exclusum putaret, maxime cum gentes utroque abuterentur.

Contemplaturum ergo Adamum omne brutorum genus, ut dispiceret, num quod illorum advocaret pro auxilio desiderato, aut ad se pro socia adscisceret. Neque his verbis: *quodnam*

illorum vocaret, designari judicat Autor illud Adami negotium, quo bruta nominasse jactetur ad naturam accommodate. Id enim historiae scopum non ferre: quandoquidem *de socia Adamo querenda* fermo sit, non de nominandis brutis. Atque esse ipsum absolum negotium cogendi ex universo orbe & nominandi bruta; quod multis incommodis prematur, quæ p. 19, 20, 21, 22 commemorantur. Nihil horum dicit Autor esse apud Mosen, Locutionem ejus pro scopo & contextu explicandam.

Jam ubi *sollicitus de socia* inducatur *Adamus* a Mose, alterum quoque errorem vulgi Ægyptiorum, Arabum, Sabæorum, finitimorumque, ab eodem tolli, nempe de occulto *animarum defunctorum utriusque generis*, & familiarium dæmonum cum homine commercio. Unde horum cultus & sacrificia quondam, Judæorumque Lilith & Styx Gentilium, fagarum denique opinio venerea hodieque audiantur; & leges his oppositæ a Mose Lev. XVII, 7, Deut. XXXII, 17, Exod. XXII, 17, Lev. XIX, 31, XX, 6, 27 legantur. Eam ob causam Adamum describi non nonnisi inter animalia viva circumspicere jussum, *neque ex ullo alio genere auxilium pro societate sibi evocaturum, præterquam ex illis, quæ animantium viventiumque nomen secum ferrent*, exclusis animabus & dæmonibus. Nec quenquam, scopi memorem, autumatuum censet Interpres, Mosis illis verbis significari, ab Adamo unum illud *animalis vivi* nomen omnibus datum fuisse brutis, terrestribus & volatilibus; quod nullo id fine referret Mose, & contra plane dicat Gen. I, 20, 21, 24, 25, Gen. II, 7, quodcunque vocaret Adamus pro auxilio, id nomen jam habuisse *vivi animalis*.

Post consilium Dei, v. 19 a Mose enarratum, subjungit idem, Autore nostro judice, v. 20 *Adami factum & obsequium: nominatim, seu sigillatim, obvia omnis generis animantia percensuisse, sive domestica essent jumenta & cicuria, sive volucres, sive bestie agri aut ferae quæcunque*. Omnia viva animantia, quocunque veniant nomine, attendisse serio, judicaturum, essetne aliquod illorum ad auxilium sibi idoneum. Pingique Adamum, seriem quasi omnium animantium obviorum iterum iterumque pertextentem, *exemploque dari Israëlitis, ne hi temere in bruta ruant*.

Tandem eodem fine ipsummet Adami judicium afferri monet Interpres noster, *atque ita*, a Mose concludi, postquam in omni genere animantium circumspexerat Adam, *pro Adamo non invenit auxilium*, & tale quidem, *quod preesto illi semper esset*, seu jugale. Quæ diserta *conclusio Mosis*, de non inventa Adamo ex brutis jugali & laborum humanorum socia, exacte respondeat superiori *Mosis propositioni* & Divino oraculo, de necessaria Adamo conjugali, eaque quærenda. Quæ causa sit, cur Moses his tandem subjungat veræ & dignæ Adamo conjugis originem, Adamique gaudium: nunc tandem in hac Eva deprehendo os ex osibus meis & carnem ex carne mea, sive jugalem, humanam, homini congruam, quam diu frustra quæsit. Quo pacto *historia hæc Mosaica penetrantissimum ad virtutem, honestatem, decentesque mores calcar sit.*

GEORGII WOLFFGANGI WEDELII CENTURIÆ
*secundæ Exercitationum Medico-Philologicarum, sacrarum
 & profanarum, Decas I.*

Jenæ, apud Jo. Bielckium, 1704. 4. pl. 15.

NOVAM hac Decade Exercitationum suarum Medico-Philologicarum Illustris *Wedelius* orsus est Centuriam, ad quam nunc more nostro perlustrandam, par prorsus materiarum tum selectarum, tum erudite pertractatarum, ubertas & præstantia nos excitat, quæ ad *primæ Centuriæ Decades* (et quidem *Dec. I & II. A. 1686. p. 361. Dec. III. IV. & V. Suppl. Tom. II. p. 249. Dec. VI & VII. A. 1694. p. 349. Dec. VIII. p. 501. Dec. IX. Suppl. Tom. III. p. 422. & Dec. X. A. 1701. p. 519.*) recensendas nos excitavit.

Atque in *Exercitatione* quidem *I primæ* hujus in Centuria *secunda Decadis*, de *Censu Augusti*, ex marmore maxime *Ancyraeno*, ab *Augerio Busbequio Ancyrae*, oppido *Galatiæ*, invento, contra *Eminentissimum Cardinalem Norisium*, & nuperum quendam *Scriptorem anonymum* demonstrat, non unum, sed tres ab *Augusto Imperatore* in *Judæa* census fuisse peractos, quorum primus ipso *nativitatis Christi* anno, seu anno *Augusti XLII*;

alter anno Christi VII, qui cum anno a pugna Actiaca XXXVII, a Josepho censui Quirini assignato, conveniat; & tertius anno Christi XIV, Sexto Pompejo & Sexto Apulejo Coss. contigerit.

In *Exercitatione II per Morbum Phœnicæ Hippocratis*, L. II. Prædict. c. 49 memoratum, Elephantiasin seu lepram veram Arabum intelligi, non paucis argumentis comprobatur, textu Græco Hippocratis accurate simul & diligenter castigato, & exanthemata, quorum Hippocrates loco suo meminit, alia alba, alia rubra esse, ex ipso Hippocrate demonstrato.

In *Exercitatione III de Hercule Medico*, Poëtæ Euripidis relationem de Alceste mortua, & per Herculem Alcmenæ filium resuscitata, non fabulam, sed Herculem istum tum verum, tum summum Medicum fuisse, contendit. Scilicet Alcestis, Admeti Thessalorum Regis conjux, morbo consumpta & tabescens, resolutis jam manuum viribus, pro conclamata habebatur, & tantum non mortua: indictus etiam erat luctus funebris per annum integrum, rasura capitis & pullæ vestes, ut jam tunc in usu erat. Ast dum jam ipsa pompa funebris est ducenda, bona fortuna Hercules, Alcmenæ filius, hospes adest, qui re comperta admiffus Alcesten, in omnium oculis exanimem & jam rogo imponendam, vivam conjugi, salvam & incolumem reddit; licet multis laboribus. Atque hoc factum, Tragoedia ab Euripide descriptum, neque pro fabula Poëtæ & ingenii lusu, neque pro miraculo habendum, Wedelius eo minus censet, tum quod Poeta ipse opinionem, quod Alceste revera mortua & ab inferis ducta sit, declinat, *Τεθνήσκειν*, inquiens, *οἱ θανόντες*, & iterum, *Ὅυκ ἐστὶν τὰς θανόντας εἰς φάος μόλειν*; tum quod ipse Admetus Herculi quaerenti, utrum mortua an viva esset Alcestis? responderit: *ἔστιν τε, καὶ ἂν ἔτ' ἐστί*, est & non est. Quo evictio, jam id cum primis evictum dare annititur Wedelius, *Herculem fuisse Medicum*. Primo enim, testimonium Cornelii Celsi Herculem facere Medicum antiquissimum & celebratissimum. Deinde dictum Alcidem *ἀπὸ τῆς ἀλκῆς*, a remedio; & *ἀλεξικακὸν*, quod nullum majus vel gravius malum esset morbis: prout & ab eo apud Hippocratem morbi quidam nominantur morbi Herculei; non quod ipse Her-

cules istis vexatus fuerit, sed quod tanti fuerint, ut Herculeis opus habuerint remediis. Porro pingi Herculem cum poculo: non quod ebrius vinum fuderit ex urceo, sed ad denotanda pocula fanitatis, pro abigendis morbis & reparanda valetudine. Fuisse dormitorem monstrorum, ac idcirco clava & leonis exuviis insignem, ad febres, hydropem, cancrum, epilepsiam, aliosque morbos sævissimos, ab eo curatos, significandos. Expurgasse Augiæ stabulum, quod cacochymiam, morborum gravissimorum matrem & nutriculam, expurgaverit. Theseum & Pirithoum, enecto Cerbero, ex orco reduxisse, quod itidem a desperatis morbis vitæ restituerit; & quæ sunt reliqua.

In *Exercitatione IV de Ecstasi putata Christi*, locum D. Marci c. III, 21: καὶ ἀκύναντες οἱ παρ' αὐτοῦ, ἐξῆλθεν κρατῆσαι αὐτόν· ἔλεγον γὰρ, ὅτι ἐξέστη, evolvit, atque ubi ἕκτασιν aliam supernaturalem, aliam non naturalem, aliam vero præternaturalem esse dixit, ex phrasi, ὅτι ἐξέστη, neque delirium, multo minus furorem, sed solum prætensam putatamque animi passionem argui posse, ostendit.

In *Exercitatione V de ἀγωνία Christi* differit, eamque non angorem corporis ex intemperie quadam spirituum morbosa ortam, sed tristitiam intellectualem, ex odio & ira erga mortem, infernum & horum fratrem diabolum natam fuisse, ex ipsa historia sacra declarat.

In *Exercitatione VI Tabulam Hermetis Smaragdinam* ampla quadam in ipsum textum, eam complexum, commentatione explicat, ac in ea veram Chimix sublimioris & Lapidis Philosophici theoriam tradi, adversus Athanasium Kircherum, cum Borrichio & Krigsmanno commonstrat.

In *Exercitatione VII de Nummis Novi Testamenti*, generaliores primum voces Græcæ, ad exprimendam pecuniam vel monetam quamcunque in N. T. adhibitæ, ut χαλκόν, νόμισμα, χεῖμα enodantur; quam enodationem specialis nummorum sacrorum expositio ordine alphabethico excipit. Nimirum ἀργύριον, argenteus, ex mente *Wedelii* nostri, modo pecuniam indefinite quamvis ex argento confectam; modo in specie certos nummos argenteos notat, qui cum drachmas quatuor pendeant,

dimidio Imperiali nostrati, monetæ gravioris seu schweren Geldes / æquipolleant. Ἀσάριον, *assarium*, diminutivum ab asse est, as dimidius, & perinde ac λεπτόν species monetæ omnium minutissimæ; κόδρανς vero seu quadrans quarta pars assis, non denarii. Δηνάριον, *denarius*, species nummorum Romanorum, hodie adhuc frequentissima, denos valet nummos æreos, ut quinarius quinos; ex quo simul & illud efficitur, asses fuisse nummos æreos, & unumquemque assem partem decimam denarii. Δραχμή, *drachma*, eadem est, cum denario; & διδραχμον duo denarii; τετραδραχμον autem stater seu quatuor denarii. Qui valor si cum nostro comparetur, denarius non per duos grossos cum dimidio, neque per tres cum dimidio, Germanis Schreckenberger / ut quidam volunt; sed per integros tres grossos monetæ gravioris reddendus erit. Ut adeo Matth. XX. 2, ubi conventio facta dicitur cum operariis ἐκ δηναρίῳ τὴν ἡμέραν, in diem denario, zum Tage-Lohn / & hinc acceperint ἀνα δηνάριον, singuli denarium, ita intelligendum sit, pretium operarios singulos tres vel tres cum dimidio grossos accepisse. Μνᾶ, *mina*, per quam in N. T. non mina Alexandrina, sed Romana intelligitur, est nummus centum drachmarum; τάλαντον, *talentum* vero, quod pro certa nummorum quantitate, eaque non levi, sed pondere eminenti, in N. T. acceptum legitur, apud Josephum habet minas centum. Regulat denique hæc omnia certus numerus unicuique nummorum recensitioni additus; atque hinc Matth. XVIII. 24 μύρια τάλαντα, quæ decem millibus cum 60 minis seu 6000 drachmis divisis, faciunt sexaginta millena millia, 60000000 imperiales, seu sexaginta auri tonnas; & Act. XIX, 19, per ἀργυρίῳ μυριάδας πέντε, denariorum quinquaginta millia, seu sex mille ducenti & quinquaginta imperiales constituuntur.

In *Exercitatione IIX de Claudis Novi Testamenti*, geminam speciatim duorum ex utero materno claudorum historiam, unam Act. III, 2, alteram Act. XIV, 8, memoratam examinat, atque Philologicis quibusdam circa voces Græcas χωλός, βάσις, σφοδρά observationibus inspersis, veros iustos claudos miraculoso modo ab Apostolis sanatos affirmat, curationem a primo ortu claudorum impossibilem per naturam statuens; utut seipsum

primis annis praxeos A. M DC LXVII adolescentem universali paralyfi, miserrimo spectaculo laborantem, & dehinc non paucos alios perfecte paralyticos, per Dei gratiam, curasse meminerit.

In *Exercitatione IX Basilii Valentini*, famosi istius scriptoris Germani & arcanorum chemicorum principis, *vitam* succincta quadam commentatione exhibet, & insigni elogio, *ubi desit Basilius, ibi incepit Paracelsus, uterque non satis in sua arte laudandus*, ornat, deque scriptis illius eorumque fati notatu digna memorat.

In *Exercitatione X* originem & sensum *Paræmie, Jovem lapidem jurare*, tum literalem, tum mysticum maxime, ad forum chemicum & *lapidem* speciatim *Philosophicum* translatum, notis eruditis indagat, eaque occasione iconem inferit quatuor lapidum securiformium, seu, quod alii putant, cuneorum, partim Querfurti inter rariora cimelia Davidis Sigismundi Buttneri, Diaconi ibidem, partim apud suos a se visorum.

Joh. Joachim Müllers Historie von der Evangelischen Stände Protestation und Augspurgischen Confession.

Hoc est:

JO. JOACHIMI MÜLLERI HISTORIA PROTESTATIONIS STATUUM EVANGELICORUM & AUGUSTANÆ CONFSSIONIS.

Jenæ, apud Jo. Bielckium, 1705, in 4. Alphab. 6. plag. 10.

Quemadmodum Doctissimi Mülleri nostri Nobilissimus Pater, Jo. Sebastianus, ante annos aliquot, trium novissimorum seculorum memorabilia, quæ quidem ad Historiam Saxoniam spectant, e monumentis quam aptissimis, Annalium in morem dilucide admodum dextreque recensuit, ut in Actis A. 1700 p. 409 monuimus: ita vestigiis paternis insistere laudabiliter allaborans Filius solertissimus, specimen hac vice edit suæ in perlustrandis chartophylaciis secretioribus Saxo-Vinariensibus, quibus una cum Viris integerrimis aliis hoc tempore præfectus est, exantlatæ hæctenus industriæ, atque ea propter nunc in apricum produ-

ducit, quæ ad partem Historiæ Ecclesiasticæ seculi decimi sexti haud minimam illustrandam non parum conferunt. Etenim solennem illam *Protestationem*, qua a decreto Comitiorum Spirensium A. 1529 habitorum, ad Sacram Cæsaream Majestatem Conciliumque universale Christianum atque liberum, Judicemve quemvis idoneum alium provocarunt Status, qui exinde Protestantium nomen adepti sunt, non parum describit accuratius, eique comitem adjungit Historiam *Legationis* ad Imperatorem Carolum V, Protestationis istius insinuandæ gratia, susceptæ, tandemque & prolixissimam *Augustanæ Confessionis Historiam* subnectit. Viderat, Illustrem Seckendorfium in Historia Lutheranismi, istud appellationis instrumentum, in Archivo Vinariensi asservatum, utpote quod actorum historiam & Reformationis præcipua fundamenta exhiberet, dignum judicasse, quod ad notitiam omnium hæc nosse cupientium publicaretur. Viderat etiam, ab eodem Historiam Comitiorum Augustanorum manuscriptam, ibidem reconditam, volumen appellari a Viro rerum peritissimo, & fortassis ab ipso Pontano elaboratum, quod editionem maxime mereatur, multisque aliis, quæ de his Comitibus scripta extent, præferendum sit. Plurimum itaque in sententia sua, de his monumentis publicæ luci exponendis, se confirmatum sensit, & ideo tribus in libris narrationis filum longius protraxit, quorum primus Protestationem & Appellationem, secundus Legationem, ob eandem institutam, & tertius denique Religionis in Comitibus Augustanis tractatum negotium attinentem Historiam omnem describit. Utrique suam narrationem allatis in medium monumentis, quæ huc spectant, integris, prout verbis ea primitus conceptis habent, confirmat, immortalis Seckendorfiano operi hac ratione quoddam velut Supplementum additurus, quandoquidem in isto talium excerpta modo plerumque reperiantur. Utut autem heic, serie narrationis ita postulante, alibi jam passim obvia nonnulla repetenda venerint, plura tamen primitus nunc e manuscriptis protrahuntur, & priora ista pariter ex his nonnullis in locis pleniora & correctiora sistuntur. Et ut de iis, quæ nunc primum integra publicantur, cuius constet dilucidius, dum in Indice librorum capitumque simul inserta allegat monumenta hæc

hæc ab antea jam tum vulgatis adjecto folicite asterismo distinguit. Historiam Comitiorum Augustanorum A. 1530 habitorum manuscriptam locis inserit convenientibus, eamque ad Autorem Apologiæ MStæ provocando insinuat, variaque ex eadem profert, quæ in Cœlestino & Chytræo, utut hi non levem huc attulerint diligentiam, frustra omnino quæsiveris. Singula vero Noster ea pertractat cum dexteritate, ut nihil fere ad istius historiæ perfectionem amplius requirendum videatur. Interdum etiam excursu aliquo nec inutili nec inconvenienti Lectorem divertit, velut ubi p. 688 seq. de oblata, cum post mortem Maximiliani I thronus vacaret Imperatorius, *Johanni Friderico*, Johannis Filio, & postmodum Saxonix Electori, (non, ut perperam in Tab. II Archi-Ducum Austriæ Rittershusiana legitur, Friderico III Electori) in sponsam *Caroli* Austriaci sorore, *Catharina*, Infante Castiliæ, ex actis abs se attentius inspectis differit, & quomodo post factam Francofurti electionem Imperatoriam sponsalia rite contracta & rata insuper utrinque habita, veruntamen post tempus quoddam interjectum rescissa rursus fuerint, sponsa quippe eadem Regi Portugalliæ in thori sociam concessa, luculenter memorat.

MARTINI HANKII DE SILESIIORUM NOMINIBUS Antiquitates.

Lipsiæ apud Christ. Bauchium, 1702, 4. Constant 12 plag.

EJUSDEM DE SILESIIORUM MAJORIBUS ANTIQUITATES ab Orbe condito ad annum Christi 550.

Ibidem, apud eundem, 1702, 4. Const. 18 plag.

EJUSDEM DE SILESIIORUM REBUS AB ANNO Christi 550 ad 1170 Exercitationes.

Ibidem, apud eundem, 1705, 4. Constant 2 Alph. 20 plag.

MARTINUM HANKIUM, Gymnasii patrii apud Vra-
tislavienses in Silesia Rectorem, Scholarumque reliquarum
Aug. Confess. addictarum Inspectorum, præter Orationes & Poe-
mata in lucem emissa, duo præsertim tractatus de Romanarum
& Byzantinarum rerum Scriptoribus celebrem, & D. LEOPOL-
DO Imperatori, nuperrime proh dolor! fatis defuncto, litterato-
rum

rum omnium æstimatori augustissimo, notum atque charum reddidere. Qui licet per annos plus quadraginta laboribus gymnasticis mancipatus, parum a negotiis gravioribus respirare potuit, horas tamen suas ita dispertitus est, ut post scholastici muneris curas, ad patriarum antiquitatum notitiam digrederetur, quarum evolutio tanto difficilior habetur, quo minus ille Germaniæ veteris adversus Sarmatiam terminus, ab auctoribus mediæ sæculi describitur. Tria potissimum momenta sunt, quorum pertractatio a Silesiis magna difficultate laborare creditur, ipsum scilicet *Silesiæ nomen, veteres deinde regionis incolæ, ac novi denique illorum successores Slavi*. Prioris puncti indagacionem Clarissimus Autor in libello *de Silesiorum Nominibus* accurate persequutus est, cujus capite I. Nominum, quibus *Silesii* denotantur, recensio; II. Origo prima *Silesiorum* nominis, a *Silesiæ situ*, Latina, Polonica, Germanica; III. Origo secunda, a *solo Silesiæ*, Polonica; IV. Origo tertia, a *Silesiæ fluvio Sleso*, Slavica; V. Origo quarta, a *Silesiæ monte Sabotho*, Latina & Germanica; VI. Origo quinta, a *Silesiæ Convenis*, Polonica; VII. Origo sexta, a *Silesiæ Convenis*, Bohemica; VIII. Origo septima, a *Silesiæ populo Quadis*, Slavica; IX. Origo octava, a *Silesiæ populo Lygiis*, Germanica; X. Origo nona, a *Silesiæ populo Elysiis*, Germanica; XI. Sententia, quod seculo post Christum natum sexto ortum sit *Silesiorum* nomen, legitur. Alterius momenti rationes in tractatu *de Silesiorum Majoribus* disquirat, cujus XXI capita sunt, in quorum XIV prioribus, originem Silesiorum ex majoribus inter Noachicos Japheticis, inter Japheticos Celtis, inter Celtas partim Gallis iisque Gothinis, partim Pannoniis iisque Osis, partim Germanis iisque Suevis, inter Suevos autem Lygiis & Quadis deducit; capite postea XV. Lygiorum & Quadorum res gestas ante Christum natum, capitibus XVI. XVII. XVIII. XIX. XX. Lygiorum & Quadorum acta seculis quinque post Christum natum illustrat, ac ultimo tandem capite, quod est numero XXI, quæstionem perdifficilem examinat: an scilicet Silesiorum majores Lygii & Quadi, post destructam in Occidente Romanum Imperium, seu sponte sua digressi, seu per vim adacti, seculo VI. circiter annum 550. patriam Silesiam vacuum Slavis advenis occupandam reliquerint,

rint, prorsus ipsi postea deleti? Atque ea ipsa nervus est puncti, quod modo inculcavimus, tertii. Quum enim multi ex Polonis pariter ac Silesiis asserant, Quados & Lygios per Slavos Polonos aut in fugam coniectos, aut vi oppressos fuisse, indignatus est celeberrimus Hankius, illatam hanc patriæ injuriam, & velut alter Germanicæ originis vindex, operosissimo scripto, quod *Exercitationes de Silesiorum Antiquitatibus ab anno Christi 550. ad 1170.* inscripsit, demonstravit: Quados & Lygios, postea *Silesios* dictos, adeo non a Slavis Polonis aut depulsos, aut extinctos, ut Silesii potius diu quidem cum Polonis pari tum jure, tum libertate, societatem coluerint, aliquoties tamen ab iis separati iisque contrarii, vel nulli, vel alteri populo associati fuerint; etiam post instauratum in Occidente Romanum Imperium, licet suis Ducibus præditi, Romanis Imperatoribus, tanquam summis Principibus suis, a Carolo Magno ad Fredericum I. Barbarossam, tributarii subjectique fuerint. Universum opus in capita XII. dispescuit, quorum singulis sectionibus non modo computum chronologicum, sed Romanorum quoque Imperatorum, Polonicorumque Ducum nomina præfixit, addita semper notula, num Silesii eo tempore Romano-Germanorum Imperio tributarii, num a Polonis separati, num vicissim cum Polonis aut etiam Bohemis conjuncti vixerint. Tributi mentionem ideo adjectam deprehendimus, quod ex Polonis Scriptoribus fere omnes, atque præ cæteris Joannes Schultzius, Clarissimus nuper Francofordiensium Juris Professor, ante menses aliquot ibi vivis ereptus, singulari opere, quod *de Polonia nunquam tributaria* composuit, tributum a Polonis unquam solutum fuisse Romanis Imperatoribus, contra Conringium cordatissimosque rerum Germanicarum auctores, pernegant. Eruditam hanc litem, magno fervore inter utrosque Scriptores agitatam, duobus fundamentis acquiescere notavit Hankius noster, quorum *prius* est: quam terram Scriptores ancipiti *Polonia* vocabulo designent? Veteres enim & recentiores, generali notione *Poloniam* sæpius vocant, non tantum quam hodie cognomento vel *majorem* vel *minorem* nuncupamus, verum ab utraque distinctam etiam quamcunque provinciam cum Polonia sub eodem communi capite conjunctam, Lithuaniam, Russiam, Masoviam, Samogitiam, Prussiam, Pome-

raniam; quo pacto, quicquid jurisdictioni Polonicae subditum aut fuit, aut est, Polonicum dici consuevit. Hinc parem ad legem, nostra *Germaniae* pars *Silesia* sæpius antiquis vocabulo alieno, quam suo, denotari solita, ob annosam cum Polonia conjunctionem, dicta reperitur *Polonia*. Eum ad modum igitur Polonia, quoties aut Germanis aut exteris aliis vel tributaria vel subiecta fuisse dicitur, num tota, num ejus quædam & quænam pars innuatur, occasionem dubitandi præbet: sicque unius vocis ambiguus intellectus miris umbris lucem historicam obscurat. *Posterius* fundamentum hoc est: utrum de Polonia, seu tributaria, seu subiecta, dissentientibus Scriptoribus *Germanicis*, an *Polonicis*, subscribendum in ea re sit, unde priscus & Polonorum & Germanorum status, in alterius nationis gloriam seu adaugendam, seu imminuendam, solide cognoscendus dependet. Hanc controversiam quoties tractare cogitur Auctor noster, primo quidem Poloniam, quatenus Silesiam vocabulo suo non comprehendit, Germanicis Augustis nullo modo unquam subditam fuisse, sed sub Poloniæ tributariæ nomine, vel Pomeraniam, vel Silesiam, veteri Poloniæ conjunctas provincias, intelligi statuit. Addit vero, Germanicis Scriptoribus in hisce Polonorum rebus plus, aut certe non minus, auctoritatis esse tribuendum, quam Polonis, cum quod Germani multo vetustiores sint omnium seculorum auctoribus Polonis, atque in rebus suorum temporum, quibus multa ex parte præsentibus interfuerunt, fidem omnino præ recentibus mereantur, tum etiam quod in Germanis major animi candor ubique deprehendatur, Polonos vero in iis, quæ patriæ gloriam obfuscare possunt, multa neglexisse, suamque adeo fidem sublestam reddidisse constat. Quod ad ipsam operis tractationem attinet, laudanda est Viri Clarissimi exactitudo, qui quotiescunque thesin aliquam proponit, præter annorum indiculum, quem semper addit, testimonia integris cujuscunque auctoris verbis exprimit, vetustiores recentibus præponens, quorum rationes punctatim examinat, & cuiam ipse assentiatur, innuit. Præmisit insuper Exercitationibus hisce prolixam præfationem, in qua 1) quo dictionis genere, 2) quibus e monumentis, 3) intra quos materiæ limites, 4) qua tum veritatis, tum etiam perspicuitatis cura, 5) quo præcipuo intentionis scopo, lectoribus

capiendam exhibeat rerum patriarum notitiam, ingenue profiteatur. Hac igitur ratione difficilior annalium Silesiacorum pars, stupendis tot annorum vigiliis a diligentissimo Polyhistore in ordinem redacta, atque ex monumentis, quantum licuit, antiquissimis diducta, non Silesiæ tantum, cujus præcipue gratiam lucubrationibus suis meritus est Auctor, sed eruditis omnibus, illis autem inprimis, qui gentium migrationes, & mediæ ævi acta scrutari solent, exhibetur. Hac ratione tot illustria Germanorum facinora, tot præclara Silesiæ fortitudinis decora, quorum famam alias cum ipsa fere memoria priorum temporum infelicitas ob Scriptorum penuriam aboleverat, nova luce donantur, & Piaustus, Silesiorum cum Polonis conjunctorum Dux, cujus stirpem, post nongentorum annorum principatum, anno superioris sæculi quinto ac septuagesimo, in Georgio Guilielmo, ultimo Lignicensium, Bregensium & Wolaviensium Duce, invida Parca, exstinxit, Germanicæ origini ab Hankio nostro postliminio quasi vindicatus, in Boleslao Procero, Mieslao, & Conrado Lasconogo posteris suis, constitutis Silesiorum Ducibus propriis, & Polonorum Ducibus & distinctis & separabilibus, revixit. Hac denique ratione Silesiæ populus ab anno 550, quo etsi non amplius Suevicus, tamen adhuc Germanicus, partim Quadicus, partim Lygius, cum peregrina dissimillimaque Sarmatarum Slavorum Polonorum gente societatem inibat, diu alienum, prius Slavorum, deinde Polonorum nomen, aut obscuratis, aut imminutis laudabiliter gestis sustinere solitus, post DCXIII annos, per quos cum Polonis plerumque sub eodem capite fuerat connexus, aliam reipublicæ formam recepisse conspicitur: pro temporariis Præfectis, perpetuos Duces anno 1163, eosque totius Silesiæ possessores anno 1169 consequutus.

*VOYAGE DE GUINE'E, SIVE ITINERIS A GUI-
LIELMO BOSMANNO ad littoris Guineensis in Africa
provincias suscepti Historia, XXII Epistolis Gallice
scriptis comprehensa*

Ultrajecti apud Ant. Schouten, 1705. in 12. cum fig.

Const. 1 Alph.

Kk 3

MA-

Magna quidem Scriptorum seges est, qui itinera in utramque Indiam facta litteris consignarunt, sed pauciores sunt illorum libelli, ex quibus Africae statum, qualis nunc est, atque ejus praesertim plagae, quam *Littoris aurei Guineensis* nomine Cosmographi indigitant, perdiscas. Huc enimvero inservit praesens Guilielmi Bosmanni opusculum, qui Belgarum Foederatorum auctoritate Pro-Prator dicti littoris, Collegii pro stabiliendis illic commerciis instituti Adfessor, atque castelli D. Georgii apud Elminenses Praefectus fuit, & haud ita pridem, post felicem ad Batavos reditum, negotiationis exercitae rationes scripto luculenter exposuit; cui vel ideo major habenda est fides atque aestimatio, quod oculatus omnium, quae narrat, testis fuit, & ea civibus suis de praesenti commerciorum ac incolarum illius tractus statu recenset, quae intra proximum aevi nostri decennium contingere. Despicuerat laborem suum in libros quinque, sed mutavit brevi post mentem, & per epistolas telam, quam exorsus erat, pertexturus, viginti illarum Gallice exaravit, quibus duas ejusdem argumenti alias, a Davide Nyendaalio & Joanne Snoekio ipsi missas, ad calcem socias junxit. *Prima* earum monita quaedam generalia de Guineensi littore, ac magis dein specialia de Aximensi provincia suggerit, cujus dominium Batavi atque Brandenburgici inter se partiti sunt, ex quibus hi Fridericiburgum, illi autem D. Antonii arcem a Lusitanis olim conditam possident, ea tamen differentia, quod Brandenburgici Praefectorum, quos Directores generales Auctor adpellat, culpa omnia fere perdiderint; Batavi vero, tanquam rei nauticae ac incolarum magis gnari, magnam ex auro, ebore atque mancipiis mercaturam adhuc faciant. *Secunda* regiones Jabinensem & Adomensis; *tertia* regnum Commaniense, cujus emporium celeberrimum Elmina urbs est; *quarta* Fetuensem, Saboensem, Fantinensem provincias; *quinta* Acronense & Agonnense territorium, nec minus regnum Aquamboense, in quo Angli, Batavi & Dani castella fundarunt, delineat. *Sexta* tractus, ubi aurum colligitur, ejusque formam ac valorem; *septima* vero auri inde ad Europaeos asportati calculum ponit, atque virorum, quibus colligendi computandique auri munia committuntur, indiculum ostendit. *Octava* aerem intra montes minus sanum, morbos inde

de obortos, vulnerumque per decocta olera sanationes, & fulmina plane terribilia sæpenumero illic locorum obvia describit. *Nonna* mores incolarum versutos & vafros, vestitum, educationem, linguam, agriculturam, commercia, & quæ ejus generis sunt; *decima* cultum sacrorum, infinitum idolorum numerum, sacrificulorumque fraudes; *undecima* regiminis formam, leges, judicia, tribunalia, regii cultus a plebejo vitæ genere discrepantiam exigam, Batavorum autem in Aximensium maximam partem imperium, armorumque diversas species; *duodecima* matrimonia; *decima tertia* morborum remedia & funerum ritus; *decima quarta* animalia quadrupedia; *decima quinta* volatilia, pisces, cancos, serpentes; *decima sexta* arbores, frutices, plantas, fruges & legumina; *decima septima* vero singulares de vægrandibus bestiis historiolas nobis depingit. Decimam octavam tandem, XIX, & XX Epistolas descriptioni Quahoviæ, Ladincuriæ, Lampii Provinciarum, fluminum variorum, ac regni inprimis Fidæ impendit. Hæc summa operis lineamenta sunt, quod ob argumenti copiam vetus Plinii proverbium, quo *ex Africa semper novi aliquid* adferri scribit, in memoriam nobis revocat. Ne igitur sicco quasi pede cuncta transeamus, quædam tantum, ac ne ex singulis quidem litteris singula, quæ palato nostro maxime arriferunt, excerpere placuit. Magnum esse littoris hujus Guineensis tractum, ex eo colligimus, quod diversa regna, provincias bene multas, oppida & vicos pene innumerabiles, & spacium aliquot centum milliarium completitur. Incolarum vero deterrima conditio est, quos levi de causa pro mancipiis vendi, quibusdam in plagis ex rapto solum vivere, alibi victimas idolis mactari, & ultima quæque tyrannidis atrocissimæ pati constat, adeo certe, ut *Anqua* quidam illorum Dux sanguinem humanum (Epist. 2. p. 27.) plus vice simplici biberit. Quid ergo magis optandum esset miseris, quam Christianos nancisci rectores? Sed obstitit mutua inter Lusitanos, Anglos, Belgas, Danos & Brandeburgicos altercatio, quorum alii aliorum conatus turbarunt, atque ex sociis hostes facti bene coepta pessumdederunt; obstitit, uti Auctor refert, Anglorum militum luxus, Lusitanorum pauperies, Danicarum virium defectio, reliquorum autem inordinatum regimen, quibus id tandem effectum est, ut

dum

dum singuli omnia affectant, omnes deinde vix singula devictorum Æthiopum imperia retinuerint: cujus rei, præter Bosmannum, testes sunt Focquenbrogius Batavus, & Guilielmus Joannes Mullerus Harburgensis Saxo, qui posterior, quod obiter notamus. Augustissimi Regis Friderici III jussu, Danorum ad illa littora navigantium Concionator nauticus extitit, & Fetuanæ regionis, cujus maxima pars tunc temporis ad Danos spectabat, descriptionem Noribergæ 1675, in 8, idiomate Germanico publicavit. Ut vero ad Bosmannum nostrum revertamur, digna lectu sunt, quæ Epist. III. de regno Commaniensi a Batavis circa annum 1687 per Sweertium subjugato, Epist. IX. de *Mulatis*, (genus id hominum est ex Æthiopissa & Europæo prognatum) Epist. XII. de Guineensium polygamia, de adulteriis severe punitis, de neglecta inter conjugatos bonorum communione, de liberis ab hæreditate adeundis exclusis, de circumcissione infantum, de uxoribus post decimum partum per annum integrum solitarie viventibus, ac deinde ad maritos reversis, de puellis in libidinem publica venalium corporum prostitutione damnatis, quarum tres aut quatuor a singulis civitatibus aluntur, tantæ apud Æthiopes existimationis habitæ, ut Batavi nihil non a Barbaris extorquere possint, si meretrices dictas in castella sua captivas abduxerint. Nec minus illud memorari meretur, quando Epist. XIII. mactata in funerum solennitatibus, etiam per infantes, mancipia tradit; quando Ep. XIV. elephantes plumbeis haud æque ac ferreis globis feriri, & eodem in tractu animal *ἀνθρωποφάγον*, Barbaris *Koekeboe* & *Aromp* dictum, inveniri scribit, cujus generis quoddam in nundinis venalibus hujus anni, ex Africa in Germaniam delatum, heic Lipsiæ conspeximus; quando Epist. XVII. elephantem in horto arcis Eminentis deprehensum, vix ducentis scloporum ictibus occisum narrat. Cæterum quod ad regnum *Fida* attinet, in Guineensium confiniis situm, magnam Auctor operam ultimis tribus epistolis in recensendis ejus sacris, legibus, pœnis, redditibus, incolis, frugibus, bestiis ac finibus adhibet. Colloquutus est aliquoties perquam familiariter cum ipso Fidensium Regulo Bosmannus, quum mancipiorum emendorum gratia illuc diverteret, atque hoc modo ex oculari inspectione dominationis arcana, genium incolarum

rum, & sacrorum formulas perdidicit. Miserrima gentis sub Tyranno vita est. Quævis elegantioris formæ puellulæ in gynæceum regium vel invitæ abripiuntur, atque ex illis, quarum Regem satietas & fastidium cepit, integræ quotannis cohortes exteris advenientibus divenduntur. Quisque incolarum tot sibi idola fingit, quot consultum ac necesse duxerit; ex omnibus autem serpentes agmen ducunt, quos in ea veneratione habent, ut delubrum regni celebratissimum *Domum Serpentis* nuncupent, ad quam peregrinationes frequenter instituunt, hostias quotidie deferunt, atque fortunatum inde in negotiis successum præstolantur. Illorum cultui certi sunt constituti Flamines, homines nautici ac fraudulentissimi, qui artibus suis superstitiosam plebeculam argento emungunt, & Vatiniani inter conjuges odii semina spargunt. Serpentes autem, quorum ingens multitudo per ædes singulas discurrit, uti neminem lædunt, ita vicissim a nemine læduntur, sed eodem frequenter cum hominibus cibo victitant, & ab incolis tanta religione immunes ab adgressionibus fervantur, ut quum Anglorum negotiatores anguem in hospitio obvium occidissent, ac cadaver foras projecissent, universa mox civitas, in qua patrata fuerat cædes, in rabiem quasi conversa, convolverit ad arma, neque prius quieti sese dederit, quam Anglis inter necione occisis, mercibusque illorum igne penitus absumentis. Accidit etiam anno circiter 1697, ut porcus anguem ob morsum sibi inflictum devoraret, idque tanta festinatione, ut Æthiopum, qui adstabant, nemo serpenti suppetias ferre posset. Conversi ergo ad sacrificulos suos Barbari, infortunium ordine exponunt, qui facinus execrabile mirum in modum detestati, questus ad Regem deferunt, edictumque ab ipso extorquent, quo porci per universam regionem idcirco deleri jubebantur; cui quoque mandato tam properanter satisfactum legimus, ut maxima suilli gregis multitudo letho succumberet, donec ex Purpuratis aliquis Regem ad edicti antiquationem precibus ardentissimis permoveret. Contigit alius Auctori nostro casus, ut ex laqueari nimirum conclavis ejus quotidie serpens in mensam prandii tempore descenderet. Bosmannus, quum ad Regis colloquium circa id tempus admitteretur, per jocum conquestus est, quod diebus singulis dea-

ster quidam gentis serpens apud ipsum haud invitatus pranderet, quem a mensa arcere & hospitio depellere cogatur, nisi Rex sumtus ad victum novi hospitis impensos liberaliter reddat. Quid ergo factum? Regulus narratiuncula Bosmanni mire delectatus, ut serpentem quiete illuc divertere permetteret, hortatur, atque impensarum loco pinguem Auctori bovem dono, mittit. Præter Flamines, ex sequiore sexu sagas & sacrificulas habent, feminas magnæ inter Barbaros auctoritatis, quæ *Deorum se filias* vocant, & maritis, quibus junctæ sunt, morem in paucissimis gerunt. Ex illis una ante quatuor, aut quod excedit, annos ex inferno se rediisse contendebat, cujus ignem ac tormenta ita graphice depingere noverat, ut cum Francisco Quevedo Hispano, qui simili ratione apud Plutonium aliquando per somnium divertisse fabulabatur, de palma ingenii certare potuisset. At enim vero ex hac profunda gentis superstitione satis colligere est, quam difficulter ex iis unus vel alter ad Christianæ veritatis lucem ex Paganismi tenebris converti queat. Expertus est obstinationem illam R. P. Thomas Augustinianus, qui cum Purpurato cuidam prædiceret, gentem universam infernalibus olim flammis, ni resipisceret, vexatum iri, id solum responsi accepit: *Parentes, Avi Atavique nostri eandem vitæ rationem, eundem idolorum cultum sequuti fuerunt, ac nos: si ergo illi æterno igni destinantur, par hercle existimo, nos velut illorum posteros eadem sorte gaudere, qua prædecessores nostri gavisi sunt.* Jactitarunt equidem Galli, se in Africano littore universam regionem Assinensem, cujus incolas maximam partem subjugarunt, ad Christum adduxisse, Principem gentis Parisios venisse, ab Episcopo Meldensi, post adprobata Romanensium dogmata, sub Ludovici Hannibalis nomine baptismum accepisse, die postmodum 27. Februarii anni 1701. ex Cardinalis Noallii manibus sanctissimæ cœnæ Dominicæ symbolum accepisse, Divæ autem Virgini Mariæ ditiones suas votiva tabula dedicasse, & d. 24. Martii, tribus Gallorum navigiis bellicis sub equitis Damonii ductu instructum, in patriam remeasse. Sed fabulam sapere nuncium isthoc Gallicum, commentitiumque Principem ex mancipiorum, quæ Galli ex Africa in Americam deportant, numero unum fuisse, & post reditum in Africam

pristinæ servituti se reddidisse, asserit Bosmannus: qui Mercurii Europæi auctorem, ex quo verba (Epist. XX. p. 448.) protulit, alterius adhuc mendii insinuat, dum Gallus Pseudo-Principem illum Regem Syriæ adpellavit, quum Assinensem scribere debuisset. Unum adhuc addimus, natos scilicet videri ad servitutem hos Æthiopum populos, quos inter usu receptum est, ut a parentibus liberi, a maritis uxores, quarum singuli plures ducunt, ad libitum levi pretio vendantur, quæ mancipia mercimoniorum in illo tractu præcipua portio sunt, ac in ipsa servitute nihil magis exhorrescunt, quam ne ab emtoribus velut quædam mensarum lautitiæ, aut pullorum instar saginentur.

*FULGOR FULGINII IN SPLENDORIBUS SAN-
ctorum, sive R. P. D. JULII AMBROSII LUCENTII, Cister-
tensis Abbatis, Elogia Sacra.*

Romæ, typis Bernabò, 1703, 4.

Constant plag. 30.

Fulginium, celebre Veteris Umbriæ oppidum, mercatura dives est. maxime vero, si Francisco Scotto in Ital. Itin. fidem habemus, rerum saccharo coopertarum nundinis valde frequentatur, ut Italis adeo in vulgi facetiis *Foligno delle strade inzuccherate*, seu Fulginensium viæ ac plateæ saccharo tinctæ quasi aut imbutæ vocitentur. Cujus urbis cives quosdam præcipuos, vitæ ac morum sanctimonia, miraculorumque post obitum patratorum, quæ putant, celebritate illustres, quadraginta & septem, elogiis posteritati commendare voluit R. P. D. Julius Ambrosius Lucentius, Abbas Ordinis Cisterciensis, Sacræ Congregationis Indicis Consultor, & pluries in S. S. Liberiana Basilica extra ordinem Pœnitentiarius Apostolicus, Apostolici Catechismi in Urbe Minister &c. Nuncupavit is lucubrationes suas Clementi XI. Pontifici hodie Maximo, atque in eo præcipue operam collocavit, ut illorum, quos Ughellus in *Fulginatensium Episcoporum Catalogo*, & Ludovicus Jacobillus in edito *de Sanctis atque Beatis Umbriæ, quos ad Cœlitum gloriam evexit Fulginium* opere, seu leviter tantum memorarunt, seu quorum obliti plane sunt, graviore stylo laudaret atque describeret; foeminis quoque in illorum, quos adduxit, censu haudquaquam neglectis. Dignus Cla-

Elog. XLI.
p. 191.

rissimi Abbatis labor est, quem illi, qui Fulginatum gloriæ favent, & meritorum a prædecessoribus in ædes sacras collatorum recensione delectantur, optime sibi commendatum habeant: neque enim in solis sanctissimorum virorum elogiis scribendis acquievit, sed paraphræcos quasi loco, singulis notas suas adjecit, in quibus præter personarum natales atque res gestas, locorum insuper fata & familiarum vicissitudines, annaliumque, ex quorum voluminibus omnia hauserat, titulos atque auctores subjungit. Quam quidem styli rationem quum sibi præfixisset, elogio statim secundo (p. 19. sq.) quod D. Paulo, Gentium ac imprimis Umbrorum Apostolo dicavit, disputatiunculam addit: an ex eo, quod asseratur Paulus æqualis in potestate cum cæteris Apostolis, possit confundi Primatus Petri cum Apostolica potestate Pauli? Elog. III. Umbriæ, & in illa Fulginii urbis statum breviter exponit. Elog. IV. Saxovivensis Archicœnobii (auctoris formula utimur) claritudinem extollit: magnum quippe & fulgentissimum inter Italiæ septa Deo sacra Saxovivum est, ipsi fere Casino æquandum, auctum scilicet ad numerum nonaginta duorum monasteriorum, quæ se ipsi adjunxerunt per universam Umbriam, Picenum, Etruriam & Latium; quibus in locis & aliæ monachales Cellulæ, animarum curatæ Ecclesiæ, & plura Hospitalia eidem se subdidere, quibus Saxovivensis Archimandrita, tanquam caput & Abbas Generalis, sub Saxovivensis Congregationis nomine jura dicit; quam dignitatem D. Maynardus Benedictinus, illustri stirpe Teutonica natus, & e Stiria Germanorum in Italiam profectus, primus sustinuit, Elogio XV. ab Auctore nostro laudatus. Num. XXIV. Eliseæ familiæ apud Italos celeberrimæ præconium; n. XXV. S. Petri Confessoris, qui Fulginatum Divus tutelaris est, & *Lachrymosus* atque *Almificus* vulgo vocatur, elogium; n. XLII. Augustini Minoritæ, *illuminati* cognomento dicti, vitam; n. XLIV. Oratorium Boni Jesu Congregationis S. Philippi Nerii, per Ven. P. D. Jo. Baptistam Vitellium nobilem Fulginatem institutum, cum dulciariis ex saccharo apud Fulginienses pinsi solitis comparatum; n. XLV. Jo. Baptistæ Jacobilli, Ludovici Jacobilli, quem de Sanctis Umbriæ scriptorem supra laudavimus, gentilis, virtutes stylo consignatas Lector inveniet. Cæterum ex illis, quorum scripta in-

subsidium adscivit, Nicolaum quoque Tignosium in Originibus Fulginensibus, Sigismundum de Comitibus Fulginatum in Commentariis de Historia sui temporis, Durantem Dorium in Historia Trincia, Felicem Ciattum in Historia Perusina, Pompejum Compagnonum in Regia Picena, Aloysium Catharinum de Nobilitate Neapolitana, Franciscum Zazzaram de Nobilitate Italica, aliosque plures citavit, quorum opera hisce in oris rarius obvia, & paucissimis inter nostrates cognita esse credimus. Quare optandum non modo est frequentius Italorum cum Germanis librorum ac litterarum commercium, sed admonendus etiam doctissimus Abbas, ut post viros, qui Fulginium vitæ sanctimonia illustrarunt, eorum quoque, qui litteris apud Fulginates maxime inclaruerunt, catalogum pari diligentia contexere, & in lucem emittere sustineat.

DE DRIE SEND-BRIEVEN VAN DEN H. JOHANNES, en die van den H. JACOBUS, ontledet en scrifftmatig verklaart.

i. e.

Trium S. JOHANNIS & unice S. JACOBI Epistolarum Analysis & analogia Scripturis Explicatio. Autore JOHANNES CHREYGHTON V. D. M. Franckerano.

Franckeræ, apud Jacobum Horreum, 1704. in 4.

Constat alph. 4. pl. 17.

EA cum Reverendo & Clarissimo Autori mens esset, ut S. Codicis libros eruditis commentationibus illustraret, Divi Johannis inter alios & Jacobi, in quibus operam poneret, epistolas selegit, eo quod priores omnem pietatis vim ac rationem complectantur, posterior Ecclesiæ doceat fata, tum superiorum temporum, tum olim eventura. Primam quippe inter Johanneas eo maxime consilio conscriptam ab Apostolo fuisse, ut pietatem inculcaret, ejusque ex N. T. genio ac indole, ipsaque Evangelii doctrina originem arcesseret, quo confirmaret credentes, tepidis stimulos adderet, ac infideles excitaret. Tribus autem universa partibus absolvitur, præfatione c. I, v. 1-4. tractatione c. I, 5-V, 12. & epilogo c. V, 13-20. In tractatione ita versatur Apostolus, ut

præf. **

p. 3.

p. 4.

p. 23.

- & piorum gaudium, si in communionem veniant Ecclesiæ, Deoque fruantur, consummari posse doceat; & quo illud impleatur, definiat modum. Utrumque hoc ordine exequitur, ut tum generatim notas ostendat fidelium, quibus de salute sua, gaudiique complemento certiores redduntur; quarum tres constituens, primam c. I, 5- II, 2. secundam c. II, 3. 4. 5. tertiam c. II, 6- 14. exponit, cui mantissam velut ac appendicem subjicit v. 15- 29: tum speciatim media suppeditet, quibus hanc fidei *πληροφροσίαν*, in gaudii sui complementum, juvare pii debeant & confirmare c. III-V, 12.
- p. 24.
- p. 393.
- p. 396.
- p. 427.
- p. 428.
- p. 444.
- p. 469.
- p. 477.
- p. 501.
- Epilogus denique fidelium enumerat prærogativas, ex certitudine isthac ceu fructus oriundas, partim in precum *παρρησία* v. 13- 17. partim in perseverantia credentium ac immutabilitate sitas v. 18-20.
- Secundæ in dubium Grotius vocat autorem, alium substituens Johannem, Ephesinæ Ecclesiæ presbyterum; confutatus eo nomine ab Hammondo. Sane nobis quidem patrum, Irenæi, Clementis Alex. Tertulliani, &c. longe, quam Grotii, potior autoritas est. Ceterum rem omnem, cui volupe est, apud Gomarum videat. Epistolæ vero argumentum adhortationem complectitur, qua factam tectam jubet doctrinæ servare integritatem, & a Pseudo-Doctorum sibi cavere corruptelis, Anti-Christi scilicet anteambulorum. Eo itaque omnis tendit, ut contra seductorum, qui Anti-Christo viam straverunt, insidias instruat Ecclesiam & muniat. Præfatione constat v. 1. 2. 3; tractatione, quæ (1) ad vitæ rationem Christiano nomine dignam hortatur v. 5-7. (2) a seductione cavere jubet v. 8. 9. (3) de consuetudine & conversatione cum falsis doctoribus instruit v. 10. 11; & Epilogo v. 12. 13.
- Tertia præter inscriptionem v. 1. exordium complectitur v. 2-4; tractationem (qua Gajum Apostolus a charitate ac liberalitate commendat v. 5-8, de Diotrephæ vita ac moribus refert v. 9. 10, ad munificentiam hortatur v. 11, ac Demetrio testimonium perhibet v. 12.) & epilogum, quo literarum brevitatem excusat v. 13. 14. 15.

Jam vero, ut ex ungue, quod ajunt, agnoscas leonem, quam ipsa textus explicatione fidem ac industriam probaverit Autor, exemplo docendum. Locus vix alius æque interpretum in securas ac studia convertit, quam v. 16. cap. V. Ep. I. Joh. quem de pec-

peccato in Spiritum S. loqui, sunt qui affirmant, alii negant. Auctori quæ circa eundem sententia sit, paucis lustrabimus. Primo itaque phrasin, *ἀμαρτίαν ἀμαρτάνειν*, quam sæpe alias pondere carere, & simpliciter peccandi actum designare largitur, singulari h. l. emphasi gaudere, totamque enormium, quæ in oculos incurrunt, & imperitis offendicula, piis mœrorem pariunt, peccatorum seriem ac nexum notare observat. Quod vero ad mortem peccatum dicitur, de morte æterna ac supremo impiorum supplicio ut plurimum accipiunt doctores; minus sane commode, quod ad hunc sensum peccata omnia ad mortem forent, cum omnia gehennam mereantur. Nec est, quod regeras, peccatum ut ad mortem non sit, Divinæ id misericordiæ, ac merito Christi fide apprehenso acceptum esse ferendum: cum ne sic quidem electorum ante conversionem patrata delicta, imo & ἀπεργασίαι fidelium, ex illorum numero ac censu excludenda sint. Hac itaque cum non procedat, alia aggrediemur via. In genere mortis vocabulum statum denotat ἀνάληγον, sensu motuque carentem; qualis metu incusso v. g. in Nabale conspicitur, cujus cor mortuum fuisse, h. e. torpuisse ac obstupuisse, 1. Sam. XXV, 37. dicitur. Haud equidem negandum, Deut. XXII, 26. peccatum mortis, morte dignum notare delictum; ast alia hic loquendi formula obtinet, ubi peccatum AD mortem vocatur, æque ut Joh. XI. a Christo morbus AD mortem dicitur, qui mortem comitem habet. Tale ergo hic notabitur peccatum, quod mortem spiritualem, ἀνάληγνυσίαν, cordisque duritiem in peccante secum affert. Quo sensu Eucherius quoque in de quæstion. difficil. N. T. in h. l. phrasin exponit. Nec cum Cocceji hæc pugnant explicatione, qui de plenaria a veritate defectione, inexpugnabili conjuncta cum induratione, existimat agi. Monet itaque Apostolus, ut, si quis fratrem suum non ad mortem videat peccantem, misericordia ejus capiatur, precibusque conversionem illius juvet. Nec irritas has fore preces statuatur, cum vitam ei, in cujus gratiam sunt fusæ, impetrent. Ubi quidem vita oppositam, quam supra diximus, morti significationem habet, ut velut illa indurationem, sic hæc conversionem notet ad vitam. At enim vero sollicite hic circumspiciendum, an frater peccans admonitionibus locum det, & iræ

p. 402.

p. 403.

p. 404.

p. 405.

Divi-

p. 406. Divinae comminatione convinci animum ac moveri patiatur: unde felicem precum exitum & peccatoris augurari liceat conversionem. Contra vero ea pro peccatoribus ad mortem, qui indurati in peccatis pergunt, omnesque hortationes, incitamenta, minas fusque deque habent, orare Apostolus vetat. Quanquam enim fidelium non sit, judicem agere & damnatoriam in alterum sententiam ferre: cum *παρρησία* tamen ac fiducia, pro ejusmodi homine intercedere non licebit; voto solum locus erit, jvelit Deus, si ita ipsi visum fuerit, misereri. Non enim amplius de exauditione certos reddere, vel ad preces hortari Apostolus audeat, quam quoad ex verosimillimis pateat indicis, ejusmodi Deum in peccatore excitare motus, ex quibus spes oriatur, fore ut divina ac irresistibili potentia convertatur, & propter Christi merita salvetur.

p. 508.

Ad D. Jacobi epistolam Autor progressus, postquam eorum, qui *Ἰεσοπνευσίαν* ejus in dubium vocarunt, notasset errorem, accuratam ordinis, qui prima quidem fronte alicui forte deesse videbitur, rationem habendam monet. Quippe in tanta argumenti varietate (ubi cap. I. statim de oppressione fratrum & tolerantia, tum de sapientiae origine, mox de laudabili divitum gloriatione, porro de peccandi illecebris, de refrenanda hominis ira, de fructuosa verbi Divini auscultatione, denique de iis, quæ ad sanctum Numinis cultum pertinent, agitur) non ad verborum nexum esse attendendum, sed rerum, quibus universa, & pro temporum ratione varia Ecclesiae N. T. facies contineatur. Eamque

p. 509.

p. 511.

Cocceji autoritate sententiam confirmat. Ac ne mirum id cuiquam videatur, alias quoque in Apostolicis, utramque scilicet Petri, & Judæ epistolas propheticas esse, & Paulum haud dubie 2. Thessal. 2. de ortu, indole ac interitu Anti-Christi vaticinari affirmat. Quinimo id ipsum ad Christi facere gloriam Ecclesiaeque splendorem, si & Apostolorum aliquos prophetico instructos spiritu ac lumine dicamus: ut in Johanne, Petro, Juda, Paulo, liquido conspiciatur. Cur ergo, quæ caterorum fuit, eam Jacobo dignitatem denegemus? Caterum epistolæ, non in tractatus forma, Divinum id opusculum prodiisse, tum inscriptio probat, tum epistolis præmitti solitum votum. Nec obstat, quod epistolari ca-

p. 512.

reat clausula, quæ brevitatis forte studio omiſſa eſt; æque ac I. Johannis ἀνευ ἡποσιμίας orditur, ſoloque πῶ Amen obſignatur. Argumentum, in quo verſatur, inſtitutio eſt, de officiis, quibus tum univerſa in genere Eccleſia, tum quodlibet ejus membrum, in ancipiti fortuna operam dare debeat, quo dignum ſe Evangelio ſanctaque gerat vocatione, & Dei exinde gloria regnique ejus oriatur ſplendor. Eo itaque omnis tendit, ut ſanctum Dei conſilium aperiat, qua via quibusve modis Eccleſiam ſuam regere, & ad iſtud perfectionis ac gloriæ perferre culmen decreverit, quod ultimis temporibus tenere debeat. Hinc eſt, quod a patientia in adverſis orditur, & in gentium deſinit converſionem. Ordine conſtructa eſt tali, ut inſcriptionem c. I, 1. excipiat tractatio, quæ duabus partibus conſtat, & tum generalem exhibet officiorum expoſitionem, quæ pro fortunæ diverſitate variis temporibus Eccleſiæ incumbunt, tum exactiorem factorum enumerationem, quæ doctrinæ juxta ac regiminis eccleſiaſtici reſpectu, varie poſtremis ſeculis eam ſint afflictura, c. II-V. ad fin. Quod reſtat, de auctore adhuc monendum, duos fuiſſe in Apoſtolorum ordine hoc nomine claros, Jacobum Zebedæo ſatum, & Jacobum Alpei filium Matth. X, 2. 3. Quorum alter, qui frater Johannis, cum mature nimis, & ante, quam datæ epiſtolæ tempus patitur, Hærodis ſævitia occubuerit Act. XII, 2. ſatis apparet, poſtერიorem illum epiſtolæ extitiſſe autorem. Sunt, qui tertium addunt e LXXII diſcipulorum numero, cognomine Juſtum: Eraſmus quatuor numerat; æque tamen firmis, ac pro Alpei filio, argumentis deſtituuntur. Et hæc fere ſunt, quæ circa præcognita monenda cenſuit Autor. Jam quod ad ipſam epiſtolæ explicationem attinet, ea maxime crucem fixerunt eruditibus, quæ cap. II, 14. ſqq. de fide operibus inſtructa diſputat Jacobus. At vero his controverſiam prædici exiſtimat Noſter, quæ de veritate & ſinceritate fidei Eccleſiæ cum Romano-Catholicis ſit futura; quam omnem ita partitur, ut propoſitionem v. 14. ejusdem ἐκ θεοῦ ac explicationem v. 15. 16. 17, uberiorem porro deductionem v. 18, 25, & conſuſionem v. 26. exhiberi ſtatuat. Jam itaque, quod v. 14. fidem habere dicit Apoſtolus, non de fiducia, ſed conſeſſione ac prædicatione doctrinæ fidei ſeu Evangelii capiendum: æque ac de

p. 513.

p. 514.

p. 650.

p. 651.

- p. 653. operibus fidei maxime illis loquitur, quæ doctrinam Evangelii ornant, & ad institutionem fratrum faciunt. Sic quæstionis cardo in eo vertitur, an nuda salutaris doctrinæ professio, operibus destituta, spem facere salutis queat? quod Apostolus negat, mentemque suam egeni exemplo v. 15. 16. illustrat, cui ni misericordiam impertiatur fides, ac ipso juvet opere, vanam esse ac irritam pronunciat. Ubi quidem spiritualiter pauperes Autor intelligit, quibus Ecclesiæ (Pontificiæ) antistites verba dent, fumosque vendant, nec divinarum rerum cognitione aut salubri eos imbuant doctrina; unde nudi vestibus salutis, & spiritualis cibi inopia laborantes, ad fores stent sacerdotum, inani tamen cum benedictione, & solenni isthac formula, *abi in pace*, dimittantur.
- p. 655. Inde ad thesin Apostolus redit v. 17. fidem absque operibus, i. e. Evangelii doctrinam operibus, quæ ad rudiorum pertinent institutionem, destitutam, esse mortuam, quod pro tali habeatur, quæ ad Ecclesiæ nil profit instructionem. Id enim mortuum alias in Scriptura dicitur, quod operatione, quam edere debebat, caret;
- p. 660. quo sensu peccatum a Paulo mortuum asseritur Rom. VII, 6. 8. Jam vero uberiolem huic effato deductionem v. 18. sq. Apostolus subjicit, litem exponens, quam Pontificiis hoc de fidei dogmate moturi sint Orthodoxi, Satanæ profunditatem penitus habentes perspectam. Cum enim ex operibus cognosci fides debeat, ex Pontificiorum sane tyrannide, persecutionibus, oppressione piorum, ἐθελοθρησκείαις item, monasteriorum fundatione, peregrinationibus religiosis, &c. minime eam elucere: quare hoc fidei defugiant examen, antiquam prætendentes fidem ac tot seculorum ferentem ætatem, nec ulterioris adeo inquisitionis indigam. Ad quæ v. 19. regerit Apostolus, recte quidem ipsos facere, quod credant, unum esse Deum; nec tamen id sufficere, siquidem nec Diaboli istud in dubium vocent: qua appellatione Bekkerus sacerdotes gentilium, Antonides Pontificios cum suo Flamine antistites, Autor vero malignos designari putat spiritus, qui idem credentes nihil ea propter feliciores evadunt, verum contremiscunt.
- p. 665. Idem porro Apostolus deducit, allato gemino e V. T. typo; Abrahamum ex operibus justificatum, i. e. pro justo declaratum & cognitum affirmans, quod jam ante fidem haberet, quam fili-
- p. 669. um

um mactare vellet, ad justitiam sibi imputatam. Ubi prolixè cum Paulo Jacobum Autor confert, notamque *ἐναντίο Φαυείαν* e medio tollit. Hinc porro sequi docet, neminem ex fide qua tali solum justificari, seu pro justo declarari & agnosci, nisi opera indivulso nexu fides sibi habeat conjuncta. Quæ porro de Rahab meretrice Apostolus affert, ea faciem exhibere Ecclesiæ Autor existimat, circa prima reformationis tempora, quibus pii multi & qui bonam mentem amabant, ad verum transeuntes Christianissimum, legatos Christi & heroes seu orthodoxos doctores receperint, foverint, ipsorumque in propagando Christi regno conatus juvarint. Inde reformatam Ecclesiam ex operibus justificari Autor concludit, in qua operosa fides & viva veram sponsam demonstret, cum in Pontificia mortua maneat fides. Tandem cophonomiam controversiæ Apostolus imponit v. 26. fidem declarans Ecclesiæ Pontificiæ operibus destitutam, inertem esse ac fidei potius simulachrum, æque ut ipsorum conventus sacri, vita ac spiritu carentes, exanguis ad instar cadaveris sint habendi.

p. 679.

p. 681.

p. 683.

p. 685.

*SAMUELIS MORLANDI OBSERVATIONES
quædam novæ circa partes & usum florum
in plantis.*

Excerptæ & translatae ex Actis Philosoph. Angl.

No. 287. Anno 1703.

Nitida & curiosa florum textura, una cum toto suo apparatu oculis se sistens, Viros haud paucos, singulari eruditione & sagacitate celebres, in penitiorum sui investigationem invitavit. Cum autem isti, qui in Historia naturali perficienda, & naturæ operationibus evolvendis, suam collocant operam, non eadem felicitate, qua reliquas res naturales prosecuti sunt, hanc materiam tractaverint; non irritus forsitan erit conatus, accuratius in fabricam & usum dictarum partium inquirendi, quo vegetabilium propagatio & harmonica naturæ methodus melius cognosci & intelligi valeat.

Dudum jam observatum fuit, singulis feminibus inesse plantam seminalem, inter binos lobos positam, prima stamina continen-

tinentem, & primum nutrimentum teneriori plantæ subministrantem. Verum D. Grew, cujus industria & sagacitas hoc doctrinæ genus maxime excoluit, solus, quod sciam, observavit, farinam illam, seu pulverem subtilem, qui certo tempore ex thecis seu apicibus seminiformibus, in staminum summitate excrecentibus, protruditur, munia certo modo præstare spermatis masculini. In eo tamen deficere mihi videtur, quod eam in externam tantummodo superficiem uteri vel vasculi feminalis spargi, & femina inclusa per emanationes quasdam spirituosas vel impressionem energeticam imprægnare statuatur.

Jam inquirendum restat, annon convenientius supponere liceat, femina, intra propria involucra provenientia, in principio ovis animalium nondum imprægnatis esse similia? item farinam esse congeriem plantarum feminalium, quarum singulæ in singula ova sint deducendæ, antequam hæc fecunda evadant; porro stylum, quem Rajus vocat, vel partem superiorem pistilli ex Tournefortii sententia, esse tubum, pro plantis hisce feminalibus ad ovarium & in ova deducendis formatum; denique maximum earum adesse proventum, inter se differentium, ut una ex tam multis angustum adeo ductum, sibi adæquatum, invenire & transire possit.

Quæ ut evidentius appareant, observationes communicabo, circa situm horum staminum & stylum, in quibusdam plantis factas. *In Corona Imperiali* uterus seu vasculum feminale plantæ centro floris insidet, & ab hujus summitate stylus exurgit, & vasculum feminale cum stylo repræsentat pistillum. Hoc ambiunt sex stamina, quorum extremitatibus singulis apices tanto artificio affiguntur, ut vel a lenissimo vento hinc inde moveri possint; eadem enim gaudent cum stylo altitudine, qui in hac planta, quemadmodum per totum suum corpus, ita in summitate maxime, concavus & apertus est. Quibus addendum, quod styli extremitati adhæreat crista quædam, ex villis pinguibus constans, & ad farinam ex thecis suis dilabentem recipiendam & retinendam, ut videtur, formata. Hæc itaque farina, vel mediante pluvia, vel a vento, detruditur ad tubum, donec ad vasculum feminale pertingat. *In Caprifolio* stylus oritur a rudimentis bæccæ cujusdam, in quæ in-

feritur versus summitatem floris monopetali; ex cujus floris medio propullulant stamina quædam, farinam suam styli, in hac planta itidem cristati, orificio immittentia. *Allium* uterum habet tricoccum, cujus centro inseritur brevis stylus, ad apicum altitudinem non exurgens; hinc isti magis eminentes, globulos suos eo commodius illius orificio committere possunt. Inde etiam est, quod nullam cristam in hoc stylo, prout in modo commemoratis, observare potuerim.

Atque ex his concludo, quod, quoniam pulvis hic subtilis curiose præparatus certo tempore prorumpit, tubus etiam adest, qui eundem commode recipere possit, & quidem, si apicibus pulverem suppeditantibus non directe supponatur, singulari apparatu pro eodem retinendo donatus, necessario sequatur, tubum hunc pro pulvere recipiendo esse formatum. Quodsi enim hæc stamina ductus excretorii tantum forent, particulas excrementitias fecernentes, relictis reliquis in seminis nutrimentum abituris, quid opus esset, excrementa hæc in tam curiosa deponere repositoria? Certe in alium quemvis potuissent collocari locum, quam ad vasa seminalia, quibus profecto noxas potius inferrent. Quibus accedit, tubum hunc exsiccari, quamprimum thecæ hæ contentis suis vacuæ existunt.

Sed ut ne amplius urgeam, plantam seminalem constanter in ea seminis parte locatam esse, quæ styli insertioni proxime adjacet; in *fabis*, *pis* & *phaseolis*, immediate sub illo loco, quem oculus vocamus, mediantibus microscopiis majoribus, manifestam deprehendi perforationem, directe ad plantam seminalem locatam, in quam hanc intrare existimo. Et certe credo, fabas & pisa, quæ non progerminant, eadem destitui.

Nec in aliis plantis apparatus ille, quo sæpe commemoratus pulvis intra tubum aliquem ad ovula deducitur, desideratur. In *leguminosis* enim *plantis*, si petala florum caute avellamus, videbimus siliquam arcte membrana quadam cingi, circa extremitatem in varia stamina, farina onusta, abeunte, quæ firmiter fibrarum fasciculo in tubi extremitate sito uniuntur, sicque farina ad siliquam derivatur. In *Rosis* erecta visitur columna, ex variis conflata tubis, invicem junctis, sed facile separandis, quorum singuli ad

proprias ducunt cellulas, staminibus in magna copia eam cingentibus. In *Tithymalo* oritur vasculum tricoccum, quod quamdiu parvum & exile existit, fundo incumbit, imprægnatum autem exsurgit & longo innititur petiolo, ita ut quis crederet, nullam esse inter hoc & apices in ima parte sitos communicationem. Pili *Fragorum* & *Baccarum Rubi Idæi* superficiem investientes totidem sunt tubuli, quorum singuli ad propria abeunt semina. hincque flore primum se aperiante, circulum adesse staminum intra petala, & integram aream internam sylvam horum pilorum repræsentare videmus, qui postquam suos globulos receperunt & ad semina deduxerunt, hæc in pulpam elevantur carneam.

Explicatio Figurarum.

TAB. VI. Fig. I. II. III. IV.

TAB. VI. *Figura* I. repræsentat asphodelum.

- A. Suprema pistilli seu tubi extremitas, in quam plantæ seminales intrare, & per quam eadem ad semina nondum imprægnata deduci supponuntur.
- bbb. Apices semini-formes, qui maturi aperiuntur, & pulverem suppeditant in tubum A injiciendum.
- C. Locus vasorum feminalium circa terminum tubi sitorum & flore tectorum.

Figura II. sistit plantam leguminosam.

D. Siliqua in flore latens.

E. Tubus a siliqua ortus, plantas seminales ad eam derivans.

F. Tunica membranosa siliquam investiens aperta.

- gggg. Apices, qui, antequam integumentum aperiatur, videntur ab angulis ejus oriri, & per petala florum orificio tubi admoventur, ut suam farinam huic inferere possint.

Figura III. exhibet fabam Gallicam a latere.

- i. perforatio, per quam planta seminalis primum ingredi supponitur.

Figura IV. Eandem oculis sistit divisam.

- h. Planta seminalis.

Fig. VII.



F. VI.



Fig. VIII.



Fig. V.



Fig. I.




Fig. IV.




Fig. III.



Fig. II.






Fig. IX





ADRIANI RELANDI DISSERTATIO ALTERA
 de Inscriptiōe Nummorum quorundam Samaritanorum, ad
 Spectatissimum Virum JACOBUM de WILDE: in qua
 de Amphora Mannæ nummis illis inscripta, & asini cultu,
 Judæis per calumniam objecto, agi-
 tur.

Accedit

JOH. BAPT. OTTII, LINGUÆ SANCTÆ IN
 Athenæo Tigurino Professoris Publici, Epistola de Nummis qui-
 busdam Samaritanis, ad Excellentissimum Virum ADRIA-
 NUM RELANDUM, cum Hujus
 Responso.

Trajecti ad Rhenum, 1704, in 8. Constant plagulis octo, &
 tribus tabulis æneis.

Tres partes hic libellus habet, I. Clarissimi Viri Adriani Re-
 landi Dissertationem alteram de nummis quibusdam Sama-
 ritanis, ad Amplissimum Virum Jacobum Wildium: II. Doctissimi
 Viri Joh. Baptistæ Ottii Epistolam de eisdem nummis & simili-
 bus ad laudatum jam Relandum: III. Hujus ad Clarissimum Ot-
 tium Responsonem. De prima parte hæc breviter more nostro
 subnotamus.

Tertius annus est, cum Vir Clarissimus, Adrianus Relandus,
 Dissertatiunculam de Nummis quibusdam, præsertim Samarita-
 nis, quos in Nobilissimi Viri, Jacobi de Wilde, Gazophylacio pri-
 mum viderat, ad eundem Antiquitatis peritissimum Virum da-
 ret, quam nos anno 1703 mense Aprili recensuimus. Hanc ope-
 ram cum non displicuisse Viro Doctissimo cognovisset, scripsit al-
 teram ad eundem Dissertationem, quæ in hoc libello prima est:
 & sicut in priore, abhinc triennio excusa, in literis nummo-
 rum examinandis occupatus fuerat, ita in hac, quæ in illis ex-
 pressa vasa erant & signa alia, sibi constituit curatius explicanda,
 etiam explicavit eruditissime. Primum erat in nummis illis ca-
 xix apertus, quem negat Clarissimus Auctor urnam Mannæ esse,
 ut visum est nonnullis, etiam Villalpando, cujus nummum in
 pri-

priore Tabula num. V. æri incisum exhibuerat; quia apertio aliquid vacuum significet, & in ipsius vasis medietatem vel oculis, si intendamus, liceat inspicere; deinde figura ipsa delineata sit calicis potius, quam urnæ, aut huic vasis similis. Urnam autem Mannæ in alio nummo ejusdem tabulæ contactam dici conspici, ne quid heterogeneum incidat, ac purissimæ Mannæ misceatur. Id probari ait *σάμνος* nomine ad Hebræos Epistola cap. IX, 4, quod ex Pollucis Onomastico illustrat, qui *σάμνος* & *σαμνία* inter vasa vinaria numeret, unde Comicis sit *κατὰ σαμνίζεν τὸν οἶνον*, *vinum in stannos diffundere*: & Aristophanis Scholiastes in Batrach. act. 1. scen. 1. *σαμνία δὲ καὶ σάμνος τῆς ἀμφορέως τὸ οἶνον φασίν*: quod etiam Phavorinus in Onomastico dixit, & Auctor Etymologici Magni. Sic stannus amphora est his interpretibus: Amphora autem Isidoro in Originibus est ita vocata, *quod hinc & inde levetur, & ejus ansæ geminata videantur aures imitari*. Est enim idem quod *ἀμφορέως*, qua voce Homerus usus est, eamque Hesychius exposuit quod vas sit *ἐκατέρωθεν ὠτα ἔχον*, *cui ex utraque parte auris sit*, sive manubrium. Jam vero colligit, in dicto nummo vas utrimque auritum conspici, quod urnæ, qua Manna adservabatur, quam maxime conveniat. Nec enim amphoras tantum vini esse receptacula, aut alius liquoris, olei, muricæ, apud Catonem & Martialem; sed aridorum etiam, ut cinerum & ossium de bustis collectorum, apud Homerum, Iliad. ψ. de Patroclo: & auri, argenti, plumbi apud Corn. Nepotem in Hannibalis Vita cap. 9. Pergit de Amphoris differere, quæ vel rudes erant, quibus pice obductis vel gypso, in cellis & horreis per multos annos vinum servabatur, & hæ plerumque fictiles erant, unde per *κεράμια* Eustathius, Hesychius & Suidas interpretantur: etiam vitreæ, quemadmodum in Satyrico Petronius de Opimiano centum annorum vino, (quod ex Vellejo, Plinio, Martiale Noster describit) *statim allata sunt amphoræ vitreæ diligenter gypsatae*. Addit de figuris amphorarum, easque depictas exhibet: etiam quid *jugulare Falernum* sit apud Martialem lib. 1. epigr. 19. exponit. Altera amphorarum species elegantioris formæ, non in cellis deponi solebat, sed curphialis, scyphis, crateribus ostentari. Tales Lentuli Spinthe

amphoras ex onyche factas Plinius XXXVI, 7 memoravit: quibus & Urnam Mannæ, in nummis nitidius exsculptam, adnumerari doctissimus Auctor æquum censet. Postea in ipsam vocem מַנְנָה, ut urna illa Hebraice vocatur, inquiri, quam misis Judæorum ineptiis, a מַנְנָה vel מַנְנָה, Hebræis deperdita, Arabibus superstite radice, quæ recondere & servare sonat, deducit. Et quod in Targum hæc urna מַנְנָה translata est, de hac quoque voce ibidem disputat. Judæos autem, de urnæ materia varie sentientes, Θεοπνεύτης Apostoli auctoritate configit, a quo σάμψθη χρυσῆ, *vas aureum* appellatur. Hinc excurrit in auricularum amphoræ descriptionem, quales in urna nummi Willidiani etiam conspiciuntur. Græci ὠτα illas ansas vocant, & Homerus τρίποδ' ὠτάωντα Iliad. ψ. quo *diota* Horatii etiam referenda est. Ex Polluce ac Phavorino plura hujus generis adduntur. Ab auribus vas tale festive Aristophanes ὄνον, *asinum* dixit: ad quem modum etiam Athenæi IV, 23 ὄνος γέμοντας ὄνος doctissimus Auctor interpretandos censet, quod γέμειν, etiam Casaubono observante, de interno onere, ut navium est; non de externo jumentis imposito, a Græcis usurpetur. Atque idem ex Petronii *Asello Corinthio in promulsidari* posito demonstrat. Philosophatur hinc de Sileni fabula, qui Bacchi famulus asello vehi fingebatur: & de voce κάνθαρος, *cantharus*, quam α κάνθαρον, *asinus*, putat derivatam esse: sed scitissimum & maxime ad fidem pronum est, quod de asino, seu capite asini profert, in Hierosolymitani templi penetralibus, quæ ethnicorum calumnia erat, dedicato. Ortum enim ipsi maledictum ab ὄνω, *asello*, videtur, id est aurito vase seu urna mannæ ibidem olim adservato: quod doctissimi Bocharti conjecturæ præfert, ex Coptica lingua calumniam explicantis, qua ΠΙΕΩ *asinus* prope easdem literas habeat, quas Scripturæ sacræ formula ΠΙ ΙΑΩ, פִּי יְהוָה, *os Domini*: quia non magis *os* Dei, quam *manum*, *oculos*, eodem modo sæpissime descriptos, Judæi adorasse dici possint: nec appareat, Ægyptios hujus calumniæ architectos primos existisse.

Sequitur Clarissimi Viri *Johannis Baptiste Ottii* ad celeberrimum *Relandum* Epistola, ex qua hæc excerpta recensemus.

TAB. VI.
Fig. V. VI.

In nummo suo primo (duos autem nobilissimus Fromont, exul Gallus, æneos communicaverat, exesos quodammodo: quibus alii duo accesserunt) in primo, inquit, nummorum delineatorum (quem nos Figura V, & ut ex conjecturis restitutus est, Figura VI exhibemus) doctissimus Auctor conjectura restituit duos fasces, quorum in medio germinans virga superavit ceteras. Hos antea putavit fascem baculorum XII tribuum significare, e quibus unus tribus Levi seu Aaronis germinavit tulitque fructus. Quod vero duplex in nummo vel vas vel fasciculus apparet, mutata sententia existimat, in hoc & similibus nummis לולא *Lulaf* Judæorum signari, sive fasciculos, quibus in festo Tabernaculorum utebantur. Interjectis aliis de *Hosanna*, quo nomine & festum & fasciculum nuncupaverint; & de arborum genere, unde *Lulaf* Judæi petierint; putat vulgarem in multis Europæ populis hinc morem ortum esse, quo Calendis Majis arbores vel virides ramos ante domorum fores ponant, qui a tempore seu mense illo *Meyer* appellentur. Vas autem in tribus Relandinis & uno Hottingeri de צלוחית *lecytho* seu *ampulla* explicat, qua eodem festo e Siloam haustam aquam in ara exteriori libaverint: quod non modo ex Judæorum scriptis, verum etiam ex ipso sacro Codice tam Veteris quam Novi Testamenti constare putat, & eodem verba Esa. XII, 3, nec non quæ ipse Salvator noster Johann. VII, 37 in illo Tabernaculorum festo prolocutus est, referri posse, tanquam ab ritu illo petita, existimat.

Fig. VII. VIII.

In nummis, quos exhibet numero 3, (nobis Fig. VII & VIII) vitis folium expressum esse contendit, & eo adfert Flori verba III, 5, Criticorum quidem dissensu vexata, ex Lipsii autem lectione (quam non tantum vulgatæ, sed Grævianæ etiam, propter eosdem nummos anteponebat) ita restituta, *sub aureo vitem celo*. Et quod Tacitus *vacuam sedem & inania arcana* dixerit de simulacro Numinis, quo abstinebant Judæi, interpretatur non quod nihil quidquam ibi visum fuerit; & τῷ πᾶντι Grævio id ex Josephi de Bello lib. VI, 14 probanti, eundem auctorem opponit ex lib. I. cap. 5. nisi hic sanctum templi cum sancto sanctorum confunditur. Quapropter aliud opinioni suæ præsidium quarit, & in vite aurea invenisse credit, quam, eodem Josepho

teste lib. XIV. 4, Pompejo Aristobulus dono miserat, eamque, si non surrepta ex sancto sanctorum fuerit, ad imitationem tamen ejus, quæ in sanctissimo loco custodiebatur, effigiatam fuisse autumat. Hæc ille de figuris nummorum; post quas de literis adscriptis ita judicat:

In primo Relandino legit **שנת ארבע** *anno quarto*: & aliorum collatione **שנת שתים** *anno secundo*: in postica **לגאלת ציון** *a redemptione seu recuperatione Zionis*, & in minore **חרת ציון** *libertas Zionis*. Deinde agit de Judæorum **מנין שטרות** *era contractuum*, ad quam etiam I Maccab XIII, 41 respiciatur: de qua quod ex prima clarissimi Relandi dissertatione ante biennium dictum est, liceat jam nobis brevioribus esse. Ex annis, quos sic satis definitos doctissimus Auctor putat, colligit tandem, omnes Samaritanos nummos (exceptis ficlis argenteis, si modo veri dentur) Simonis Maccabæi tempore percusos esse. Etiam in Ludolfiano nummo, priore Relandi Dissertatione expresso (quem vere Jobi Ludolfi, summi Viri, fuisse agnoscimus) legit **שמעון** *Simeon*, seu *Simon*; & in altera facie **לחרות ירושלם** *liberationis Jerusalem*; ac itidem sibi de altero minore, cum Ludolfiano ibidem delineato, etiam in Hottingeri Tabula III, nomen *Simonis* in sermo legendum esse, persuasum habet. In suo primo nummo solitarium **ח**, Samaritice effigiatum, vel **חרות**, *libertas*, vel **חצי** *semis* legendum censet: licet semisiclum, ab Alstedio descriptum, pro ficto habeat, a nemine usquam vel visum vel possessum. Deinde ficlos quosdam examinat, & suspectos novitatis ex signis haud dubitandis reddit.

Succedit clarissimi Relandi Dissertatio tertia, qua doctissimi Ottii Epistolæ amice ac placide respondet, & in quibus ille dissentit, erudita modestia examinat, suamque in prima Dissertatione propositam sententiam tuetur. Quatuor autem sunt, in quibus secus sensit Ottius, quorum tribus tantum jam Relandus respondit: quartum præteriit, aut meliori otio reservavit.

Primo, ubi ipse legerat in nummo **שנת רכז** *anno 224*, clarissimus Ottius legit **שנת ארבע** *anno quarto*, videlicet ab initio principatus Simeonis. Sed neque in hoc, neque in altero, quem ille *secundum annum* putat præscriptum.

habere, nomen Principis Simonis invenitur, sicut I. Maccab. XIII, 42. & XIV, 27: nec concedit doctissimus Auctor, sub solo Simone nummos hujusmodi procusos fuisse. Nec ex nummis illos annos probari certo posse demonstrat, quia in Relandino sit שנת, quod explicari possit *anno 300*: Ottianus nihil habeat nisi שתי; & quod diversi typi sint, defectum unius ex altero negat suppleri posse. De isto autem nummo, quo Ottianus *anno quarto* legebat, ad Dissertationem suam primam Auctor noster remittit, qua clare per singulas litteras, & illorum temporum scribendi consuetudinem, docuerat, *anno 224* significari, nec opus esse ut repetat. Hinc ad alteram faciem progreditur, qua ipse legerat *לגארת מון liberationis a Grecis*; ille, *liberationis Zionis*, quæ etiam Joannis Harduini in Chronologia V. T. sit sententia, ut annus notetur, quo Simon arcem Zionis occupaverit. Dissensus ergo de posterioris vocis litera prima est, quam ille ז, hic ד putat valere, quod ductus litterarum in libris & nummis non ubique sibi respondeat. Sicut vero, exempli gratia, in נ manifesta est diversitas; ita posse etiam in ד esse Auctor censet: & dum ille ד vocis *Jerusalem* in nummis perinde, ut in libris, formatum objicit; respondet hic, ectypos illos nummos esse, qui plerumque ad mentem & opinionem ejus, qui depingat, exprimantur: in ipsis autem Villalpandi & Kircheri nummis ד vocis *Jerusalem* plane aliud esse, propiusque cum initiali litera vocis convenire, de qua jam sit hæc disputatio. Præterea distinguit inter Zionem montem, & inter arcem, quam Simon recuperavit, extra Zionem positam, I. Maccab. III, 50, ut lectio *Zionis* ne historię quidem conveniat.

Denique de palmis in tribus suis nummis addit, non fasciculos Tabernaculorum esse, qui ea densitate ac forma pingi non possint, nec inde fructus palmæ pendere tam longe pendulo caule. In publicis lætitiis Judæos ramis palmæ usos esse, Nehem VIII, 15, I. Maccab. XIII, 51. II. Maccab. X, 7; non summo totius palmæ cacumine, quod in nummis appareat, quia abscissio ejus toti arbori extimalis sit: quod Salmasii etiam auctoritate confirmat.

Quod vero Relandinos nummos lectissima virgo Maria Wildia ex paterno thesauro elegantissime depinxerat, sicut Ottia-

nos Anna Wafera, Caspari Waferi, Viri post fata etiam laudatissimi, abneptis; idcirco gemina elegia, in laudem præstantissimæ artificis Wildiæ composita, opusculum hoc Relandus noster finivit, quæ plura moneri de Ottii epistola possint, alii tempori otioque reservatis.

*AUREUS CONSTANTINI AUGUSTI NUMMUS
de Urbe, devicto ab Exercitu Gallicano Maxentio, liberata
explicatus.*

Romæ, typis Lucae Antonii Chracas, 1703, 8.
plag. 2.

Qui antiquarios inter transalpinos doctrinæ & sagacitatis fama diu jam floruit, Clarissimus *Michael Angelus de la Chausse*, nummo musei sui ex auro percuso, cujus antica pars caput Constantini lauro cinctum, verbaque circumscripta *Constantinus P. F. Aug.* postica vero Imperatorem equo insidentem, dextraque protensa conspicuum, cum epigrapha *Gloria Exercitus Gall.* subtus denique literas *P. Tr.* exhibet, dissertatiuncula hac justam ætatem figere conatur. In opinionem namque Illustris Comitum, Francisci Mediobarbi, qui ejus quidem mentionem fecit, sed anno CCCVII Æræ Christianæ, quo cum Maximini Herculei filia Faustina nuptias Treviris celebravit Constantinus, signatum esse sensit, ea de causa concedere abnuit, quod illa tempestate, Gallicani militis ope, Imperator nihil susceperit memoratu dignum. Licet enim superiori anno Ascaricum & Regaisum, Francorum Reges, sub potestatem suam redegerit; istam tamen expeditionem neutiquam hic commendari posse, eo quod Cæsareo solum axioma tum temporis eminuerit Constantinus. Augusti vero titulum a Galerio demum A. CCCVIII ipsi impositum fuisse, quem deinde Senatus Romanus A. CCCXII, post celebrem illam victoriam de Maxentio partam, virtutis ergo detulerit. Immorari paululum videas hic Nostrum descriptioni arcus triumphalis, in honorem Constantini inter Palatinum & Coelium montes erecti, quem ex destructis præstantioribus Urbis monumentis, Augusti, Trajani & M. Aurelii puta, Baronii aliorumque fide asserit exornatum, absolutum vero ipsis Decennialibus Imperii Constantini votis solutis, ac

TAB. VI.
Fig. IX.

Vicennialibus denuo susceptis. Tempus autem, quo nummum suum cufum existimat, in annum CCCXIII rejicit, cum nimirum Constantinus pacata Urbe, & sorore sua Constantia Licinio in uxorem data, in Gallias rediisset, ac Treviris aliquamdiu commoratus, in Francos atque Alemannos Rhenum transituros exercitum duxisset. Felicissimum enim expeditionis hujus successum designare & alia duo numismata aurea, in quorum altero mulier plorans sub trophæo, addito lemmate *Gaudium Romanorum*, atque in inferiore parte *Francia*; in altero eadem figura cum voce *Alamannia* compareat. Præterea quoque supra laudatum Comitem Mediobarbum nummum aureum Constantini, Marte gradivo, hinc & inde duobus captivis ad pedes stipato, & epigrapha *Virtus Exercitus Gall.* illustrem, ad bellum istud referre. Cum itaque gloria virtutis comes habeatur, quin & utriusque nummi antica facies eandem inscriptionem *Constantinus P. F. Aug.* ostendat, hinc utrumque etiam uni eidemque anno vindicandum fore, Noster perquam verosimile credit, nequicquam contrariari, quod elogium *Maximi*, Constantino post domitum Maxentium Romæ tributum, in prædictis nummis non occurrat, utpote cujus nullum quoque vestigium existet in numismatibus averfa parte *Gaudium Romanorum*; *Gloria Exercitus*; *Restitutori Libertatis*, aliaque verba præ se ferentibus, de quibus tamen certum sit, illa post reportatum de Tyranno triumphum cælata fuisse.

IDO WOLFFII OBSERVATIONUM CHIRURGICO-Medicarum Libri duo, cum scholiis & variis interspersis Historiis Medicis editi a JOHANNNE CHRISTIANO WOLFFIO Medicinæ Doctore.

Quedlimburgi sumptibus Theodori Philippi Calvisii, 1704, in 4.
Constant 1 $\frac{2}{1}$. Alphab.

REpletus est præsens liber Medico-Chirurgicus maximam partem cruentis historiis, quas pro dexteritate & virili Ido Wolffius, Illustrissimi Principis Anhaltini Chirurgus *νῦν ἐν ἀγίῳ*, conscripserat.

rat. Hic enim Chirurgi filius Chirurgiæ totum a teneris annis se consecraverat, cujus prima cum posuisset fundamenta, parte Inferioris Saxonix perlustrata, Daniam, Prussiam, Poloniam & Moscoviam adiit, præstantissimosque Chirurgos, scientia & manu peritos, conquisivit, ex iisque salubria præcepta avidissime hausit. Reversus ad suos, alterum meditatus est iter, inde in Belgium, deinde Angliam, hinc Galliam profectus, ibique Chirurgi castrensis munere per aliquot annos functus est. Quæ igitur diversis hisce in terræ plagis & regionibus vidit, audivit, vel dum Servedæ praxin exercebat, observavit, solerti manu consignare integrum duxit. Atque hæ sunt Observationes, quas Cl. Filius ipse Latinitate donatas non solum publici juris fecit, verum etiam Commentario fere perpetuo ornavit, variisque historiis Chirurgicis, Medicis, atque Anatomicis firmavit, tum & causarum scrutinium addendo, rationibus Philosophico-Medicis illustravit. Ex omnibus quasdam nunc nominasse sufficiat observationes, quæ non ubi-vis obviæ existunt.

Sic *Libri I. Observatio 15.* jacturam oculi & tandem mortem ex pulvere pyrio tabaco admixto; *Obs. 16.* ex hemicrania cæcitatem & rupturam corneæ; *Obs. 20.* menses per mammæ erumpentes; *Obs. 21.* vulnus in cordis cono sanatum; *Obs. 27.* vulnus ventriculo per transversum inflictum curatum; *Obs. 32.* intestinorum abscissionem sine ægri detrimento; *Obs. 39.* uteri verum prolapsum, & *Obs. 41.* partum post matris mortem recenset. *Lib. II. Observatio 4.* cephalalgiam a vermibus sub cute in vertice nidulantibus; *Obs. 15.* tumorem femoris per fascinationem inductum, & exemptis septem ossibus albis curatum allegat.

LIBRI NOVI.

Histoire du Vieux & du Nouveau Testament, enrichie de plusieurs Figures en Taille-Douce. Pr Mr. Basnage. A Amsterdam dans l'Imprimerie de J. Groenevoud, 1705. 4.

De Synodi Carentonensis, a Reformatis in Gallia Ecclesiis A. 1631. celebratæ, Indulgentia erga Lutheranos, Dissertatio Theologico-Historica, Autore D. Thoma Ittigio. Lipsiæ apud Heredes Joh. Grossii, 1705. 4.

Quinti Septimii Florentis Rivini, Jcti, Enunciata Juris ad Ordinationem Processus Judicarii Saxonici Electoralem collecta. Ex schedis edita Parentis a Filio D. Jo. Florente Rivino. Lipsiæ apud Jo. Frid. Gleditsch, 1705. 4.

Casparis Henrici Hornii, Jcti, Jurisprudencia Feudalis Longobardico-Teutonica. Wittebergæ apud J. W. Meyerum & G. Zimmermannum, 1705.

D. Jo. Alberti Fabricii Bibliotheca Græca. Hamburgi apud Christianum Liebezeit, 1705. 4.

Wilh. Ern. Tentzelii Saxonia Numismatica Lineæ Albertinæ. Pars I. Prostat Francofurti ad Mœnum apud Frid. Knochium & Lipsiæ apud Ph. W. Stockium, 1705. 4.

D. Job. Bartholdi Niemeieri de Conjugiis prohibitis Dissertationes junctim editæ. Helmstadii apud Sal. Schnorrium, 1705. 4.

Anacrisis Apocalypsios Joannis Apostoli, auctore Campegio Vitringa. Franequeræ apud Franciscum Halmam, 1705. 4.

Antonii Teisserii Catalogi Auctorum, qui librorum catalogos, indices, bibliothecas &c. scriptis consignarunt, Auctarium, seu Pars altera. Geneva, apud Chouetum & Socios, 1705. 4.

Antonii Van Dale Dissertatio super Aristeæ de LXX Interpretibus. Additur Historia Baptismorum & Dissertatio super Sancho-niathone. Amstelod. apud Jo. Wolters, 1705. 4.

Andræ Christiani Eschenbach Dissertationes Academicæ. Nori-bergæ apud W. Michaelis, & Jo. Adolphi, 1705. 4.

Theodosii Schöpfer Gerontologia, seu Tractatus de Jure Senum. Quedlinburgi, apud Tb. Ph. Calvisium, 1705. 4.

D. Christoph. Franckii Demonstratio Deitatis Christi, ex immotis S. Literarum fundamentis deducta. Kilonii, apud J. S. Riechelium, 1705. 4.

D. Val. Ern. Löscheri Ion, sive Originum Græciæ restauratarum Libri II. Lipsiæ apud Heredes Grossianos, 1705. 12.

Conformité de la Foi avec la Raison, ou Défense de la Religion. Par Mr. Jaquelot, 1705. 8.

Voyage du Sieur Paul Lucas au Levant. A la Haye, chez Mein-dert Uytwerf, 1705. 12.

A C T A ERUDITORUM,

*publicata Lipsiæ
Calendis Julii, Anno MDCCV.*

*SAXONIA NUMISMATICA, oder Medaillen-Cabinet
net &c.*

Hoc est:

*SAXONIA NUMISMATICA, SIVE NUMMOPHY-
lacium Numismatum Mnemonicorum & Iconicorum, a Serenissi-
mis Electoribus Ducibusque Saxonie Lineæ Albertinæ cudi jussor-
um, collectum a WILHELMO ERNESTO TENTZELIO,
Consiliario & Historiographo Regio Polonico &
Electoralis Saxonico. Pars I.*

Sumtibus Christiani Wermuthii, Numismatum Sculptoris. Pro-
stat Francofurti ad Moenum apud Knochium, & Lipsiæ apud
Stockium, 1705. in 4. Constat Alphas. 1. plag. 7.
& tab. æneis 16.

Opus præstantissimum, & cui simile in Germania nun-
quam hæctenus fuit editum, aggressus est Amplissimus
Tentzelius, dum Nummophylacium numismatum
mnemonicorum & iconicorum, a Serenissimis Ele-
ctoribus Ducibusque Saxonie cudi jussorum, pandere
& ex historiarum monumentis illustrare instituit. Octo istud
absolvetur partibus, quarum quatuor Lineæ Albertinæ, quatuor
Ernestinæ consecrabuntur. Prima Albertinæ destinata est Duci
Alberto, ejus conditori, successoribusque hujus ad Augustum
usque Electorem claris. Secunda incipiet a Christiano I Electro-
re, desinetque in Johanne Georgio I. Tertia a Johanne Georgio
II fausta capiens auspicia, in hodierno Electoratus Principe Here-

de subsistet. Quarta Duces Weisenfelsenses, Merseburgenses ac Cizenses complectetur. Prima pars Lineæ Ernestinæ ab Ernesto Electore, illius conditore, usque ad Johannem Fridericum pertinet. Secunda dabit Lineam Coburgicam & Altenburgicam, pridem extinctas. Tertia adhuc florentes Lineas Vinariensem & Isenacensem. Quarta denique Gothanam.

Et solidam certe hoc in genere eruditionem a Celeberrimo Autore quisque sibi pollicebitur, qui eidem fortunam numismata talia noscendi & in ectypis colligendi tantam, quantam Historicorum Saxoniorum nulli antea, obtigisse cogitaverit. Quam ut ipse in præfatione Tomi primi, nunc prodeuntis, latius deprædicat, sic haustæ hinc notitiæ specimina non una hæctenus jam in lucem publicam prodire jussit. Equidem quintuplex opus numismaticum edendi consilium cepisse se aliquando innuit, quo Historiam Invictissimi Imperatoris LEOPOLDI nuperrime defuncti, tum *Saxonicam & Brandenburgicam, Ecclesiasticam* denique & *Literariam* nummis illustraret. Cujus rei publice spem fecit in directâ ad Serenissimum Electorem Brandenburgicum, hodie Borussiae quoque Regem, dedicatione humillima Colloquiorum suorum Menstruorum, anni 1694. mensi Julio, splendidissimam Academiae Fridericianæ Halensis inaugurationem depingenti, præfixa. Quin proximo anno ipse Berolinum accessit, optatoque ad nummophylacium Electorale gavissus aditu, Consiliario Begero, quem 20 Febr. hujus anni defunctum merito lugemus, rariora quævis commonstrante, in usus suos plurima descripsit. Unde natus est Brandenburgicorum numismatum Index mense Colloquiorum Julio 1695. Sed cum tota Serenissima Linea Saxonum Ernestina, defuncto D. Caspare Sagittario, Prof. Jenensi, A. 1694. Historiographi Saxonici characterem ipsi clementissime contulisset, sui omnino duxit officii, numismata Saxonica præ cæteris colligere atque describere. Cœpit ergo A. 1696. certis ea classibus disponere, optimamque *nuptiis Gothæ - Ducalibus* occasionem præbentibus, quæ in Domo Saxonica hæctenus ejus generis prodierant, enumerare. Proximo statim anno tribus schediasmatibus illustravit, quæ in *Encænia*, in *Electrices Ducissasque*, ac in *Dies natales* cusa ipsi obtigerant, quibus A. 1699. numismata in *consecrationes baptismales, homagia, bellum*

pacemque, ordines & ludos equestres, exequias denique facta subjunxit. Quinque priores harum novem diatribarum auctiores dedit, cum Bielckius Jenensis A. 1700. uno omnes fasciculo comprehenderet.

Omniem vero industriam hactenus probatam multum superat labor, quem huic destinavit operi, quod Germanica pariter ac Latina lingua concipere instituit, ut summa Saxonicae gentis gloria, non in Germania tantum nostra, sed quaqua patet Latina doctorum lingua, magis magisque resonet. Præterea figuras numismatum æneas ubique in tabulis peculiaribus repræsentavit, easdemque ex Historiarum & Genealogiarum monumentis docte illustravit.

Hac vice Tomus operis primus prodit, nummos a Serenissimis Electoribus Ducibusque Saxoniae Lineae Albertinae cudi jussos complexus, e quo in specimen nonnulla huc afferemus. Initium facit Amplissimus Tentzelius ab ALBERTO, Duce Saxoniae, qui ob res fortissime gestas *Animosi* cognomen merito tulit, hodiernæque lineae Electoralis ab ipso denominatae Parens felicissimus extitit. Hujus nullum se vidisse fatetur numisma mnemonicum, quod extra omnem dubitationis aleam positum fuerit. Utut enim aliqui superbiant thalero, quem Dux Albertus A. 1486. in electione Romanorum Regis Maximiliani I. Francofurti ad Moenum cudi jusserit, sive in ludorum equestrium tunc celebratorum memoriam, sive, quod Albertus Præfecti Aulici Marefcallique Regii instar tunc fuerit, ut statim in coronatione Aquensi ad dispergendum parati essent nummi; thalerum tamen illum supposititium, & ad monetam Frisiae minorem, in libro monetarum Belgicarum Antwerpiae A. 1627. edito delineatam, extensum effictumque videri affirmat. Nihilominus tamen duo in memoriam Alberti cusa affert numismata, vetustius unum, & alterum recentius, quorum istud Augusti Electoris mandato, hoc vero novissime a Wermuthio Gothæ sculptum fuisse, & quæ in isto brevius de vita obituque Ducis Alberti habeantur, prolixius exponere observat.

Pergit dehinc ad Ducem GEORGIUM, inter cujus numismata ea inprimis celebrat, quæ is in memoriam suæ in Ordinem

Aurei Velleris factæ cooptationis fieri fecit: quorum unum Diverfo signatum, confert cum simili Friderici Palatini, infelicis Bohemiæ Regis, Imperiali admodum ominoso. Sed & istius meminit, in quo Georgius, tanquam *veteris fidei Assertor constantissimus & Ecclesiæ filius obedientissimus*, laudatur & deprædicatur. Curiosam sapit eruditionem, quod in gratiam eorum observat, qui, cur Dux Georgius modo cum, modo sine barba, uno eodemque nonnunquam anno, in thaleris effectus sit? anquirunt. Nempe A. 1534. Dominica *Esto mihi*, quæ in XV. Cal. Martii tunc incidit, obiisse memorat Georgii uxorem Barbaram, Casimiri Poloniæ Regis filiam, præcedente eam filia Margaretha, prima conjuge Joachimi II. Marchionis, post Electoris Brandenburgici; unde tantum concepisse Georgium mœrorem refert, ut, cum nullam iste barbam antea nutritisset, nec numismatibus monetisve expressisset, emergente tunc luctus tempore longissimam alere cœperit, eamque ad vitæ usque finem retinuerit. Factum inde autumat, ut, quos pro Novi Anni mercatu A. 1534. Georgius cudi fecerit, unciales barba adhuc caruerint, quia mense demum Februario conjuge is privatus fuerit; sed qui nundinis Paschalibus & Michaelicis illati sint, eos longam ejus barbam ostendere addit, unde postea Barbati nomen Georgius acceperit. Quem anno ætatis suæ 66 adornari fecit nummum rarissimum elegantissimumque idem Georgius, in gratiam Concilii generalis excogitatum conjicit, quod Papa A. 1537. primum mense Majo ac deinde Novembri Mantuæ celebrandum indixit. Tunc sane Georgium, qui inter veteris fidei Defensores auctoritate opibusque præcipuus fuerit, minime negligentem se præbuisse, quin Legatis potius ad Concilium mittendis nitidissimum numisma destinasse credit. Licet autem Concilium Mantuanum impeditum fuerit, proximo tamen confestim anno triplicem occasionem istud numisma dispertiendi oblatam reputat, partim membrifœderis sub summi fide silentii adversus Protestantes a Catholicis Principibus sanciti; partim Regi Ferdinando, qui novæ arcis visendæ gratia, Dresdam mense Majo venerit; partim denique Statibus provincialibus, & illis cum primis octodecim Nobilibus, quatuor Ecclesiasticis, & totidem e civitatum Magistratibus, qui debilio-

ris ingenii filio, Duci Friderico, ad gubernandam Rempublicam additi fuerint. Ultimum hoc fuisse censet numismatum ipsius Ducis Georgii jussu factorum; unicum namque hujus filium, tunc adhuc superstitem, mense Februariō A. 1539. morte inopinata peremptum, infelicem Senem XV. Cal. Maji eodem anno, ætatis suæ 68. infecutum fuisse memorat. An quisquam subita tunc rerum omnium inversione, de nummis cogitaverit exequialibus, valde dubitat, ac nihil de illis unquam se vel legisse vel cognovisse innuit. Nummos tamen, quibus Georgius, aliquot post obitum annis, representatus fuerit, indicare haud omittit.

Post numismata memoriam duorum ex Georgii filiis, secundi puta JOHANNIS, & quinti, natura simplicis & ad rerum gubernationem inepti, FRIDERICI, asservantia, ad ea properat, quæ HEINRICI Ducis referant effigiem, & singularem in successione fraterna fortunam, istisque mnemonicum addit in SEVERINUM Principem, Heinrici istius filium secundogenitum, qui a Parente Oenipontem missus, ut cum Regis Ferdinandi liberis educaretur, diem ibi supremum obiit, anno ætatis ineunte XII. in cœnobio Stambiano sepultus; & gamicum in Heinrichi ejusdem filiam primogenitam, Fribergæ A. 1515. natam, & anno ætatis decimo nono Georgio, Marchioni Brandenburgico, quinquagenario, matrimonio copulatam, cui aliud associat, cujus pars adversa, præter insignia Brandenburgica & Saxonica, refert dictum: DEUS DAT. UTI. SPERO. & annum clō Io XXXIV. Id quod rem magni momenti innuere reputat. Cum enim verba hæc ordinarium Marchionis symbolum haud exprimant, tacite eadem respicere arbitratur prolongatam, difficilemque dotis numerationem, quam a Duce Georgio negatam, Friberga demum interveniens præstiterit.

Pauca sunt, quæ de MAURITII numismatibus affert. Licet enim Principem hunc multa fortitudinis prudentiæque specimina, pace ac bello, ante turbas Smalcaldicas edidisse largiatur, nullum tamen hæctenus in illorum gloriam numisma se deprehendisse profitetur. Potissima sub ipso cusa obsidionem respicere monet Lipsiensem, a Joanne Friderico Electore A. 1547. susceptam. Neque tamen illius dememinit, quod Luckius exponat,

quodque Mauritium habitu Electoris indutum sistat; & in duobus nummis, in duodecimam ultimamque expeditionem, qua Elector tot victoriis coronatus vitam ipse amisit, cufis desinit.

Omniū vero prolixissimus est in delineandis nummis sub AUGUSTO cufis. Maximus enim hic Elector, uti tot facinoribus heroicis inclytus, artiumque tam liberalium quam mechanicarum promotor singularis extitit, sic plurima quoque fabricari fecit numismata mnemonica. Non referemus ea, quæ exercitiis sagittariorum destinata fuerunt, sed iis potius aliquantum adhuc immorabimur, quæ altioris paulo videntur esse indaginis. Referas huc illa, quæ in averfa parte sistunt navem, mari agitatum turbido, scopulisque proximam, in cuius velis expansis Christus cruci affixus delineatur, maloque adstat Elector, gladium Electoralem humeris imponens, quem hostes undique equis adnatantes telis gladiisque petunt, ille autem Christo confidit, eum quasi allocutus: TE GUBERNATORE. Horum numismatum intentionem alibi quidem ad bellum Gothanum Noster retulerat, sed postmodum in eas delapsus est cogitationes, finito potius Principum conventu, Numburgi mense Januario & Febuario A. 1561. habito, eadem consecrata, & exempla Electoribus & Principibus ibi congregatis postmodum transmissa fuisse. Quamvis prorsus inficiari nolit, typaria hæc ante vel post obsidionem Gothanam denuo impressa, præcipuosque militum ductores iisdem donatos fuisse. Hinc de numismatibus, quæ procul dubio in memoriam obsidionis Gothanæ facta sunt, ulterius differit, & elegantissimum postea nummum, in memoriam Formulæ Concordiæ compositum, quo Elector Saxo Brandenburgicum amice complectitur, representat. Utut enim ille annum referat 1574, annisque fere duobus interjectis, prima demum istius libri lineamenta ducta, eaque hinc exterorum Electorum Principumque Theologis ad recensendum transmissa, & denique A. 1577. aucta consummataque a tot centenis subscripta fuerint, suum tamen de hoc numismate assertum ita salvat, ut istud non ad initium modo, sed ad progressum quoque Formulæ Concordiæ spectare innuat. Neque indigna sunt consideratione numismata, quæ Annam Electricem *Natam Daniæ Reginam* appellant. Oviforme istud, quod

ex altera parte effigiem Augusti, ex altera vero Abrahamum ante altare, cui præter ligna filius Isaac ligatus impositus, stantem gladiumque stringentem, cum epigraphe Germanica, *Abraham vertrauete Gott*, repræsentat, sententia peculiari sic interpretatur, ut innui eodem statuatur negotium cum Augusti filio ex novenis unico superstite, *Christiano*, gestum, quo Elector eundem die 24. Januarii A. 1581. Consilii intimi Præsidentem constituerit, bonoque adeo publico quasi devoverit & immolarit, Deo cum Abrahamo confidens, fore, ut is suo tempore Ecclesiæ Reique publicæ multam afferat utilitatem. Forte & curiosis non displicebunt bina numismata, Adamum ab Eva seductum præferentia, licet Pasquini scholam redolere videantur. Tacemus alia, quæ haud citra insignem animi voluptatem lustrari poterunt.

Cæterum cum numismatum nonnullorum prior saltem pars sive adversa, ad manus Nobilissimi Auctoris pervenerit, posteriori seu averfa deficiente, circulum ideo illis vacuum adjici curavit, ut curiosis ad prototypa pleniora exquirenda, sibi que transmittenda, stimulum adderet.

ARRIANOT NIKOMHΔΕΩΣ ΑΝΑΒΑΣΕΩΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΒΙΒΛΙΑ ΕΠΤΑ ΚΑΙ ΙΝΔΙΚΗ.

ARRIANI NICOMEDIENSIS EXPEDITIONIS
Alexandri Libri VII & Historia Indica. Opera
JACOBI GRONOVII.

Lugduni Batav. excudit Petrus van der Aa, 1704. fol.

Constant Alph. 4. pl. 5.

Nitidissimam hic Arriani Nicomediensis editionem exhibemus, quam summo studio multorumque labore annorum a se confectam, Cosmo III. M. Etruriæ Duci Serenissimo dedicat Celeberrimus Gronovius, quia in ejus Bibliotheca latuerant præstantissimi codices, quibus nitorem hunc suum de novo quasi regenius Arrianus debet. Et materiam quidem longe nobilissimam, expeditionem scilicet maximi, post omnium memoriam hominum, Regis ab hoc autore luculentissime descriptam, se, ut hunc laborem susciperet, potissimum movisse ait Editor solertissimus. Inde jam

juvenem se justam incessisse cupidinem, autorem hunc tot sordibus inquinatum purgandi: imprimis cum omnes adhuc editiones lectorum expectationem de intelligendo Arriano turpiter fefellerent, ipsique adeo editores, magni licet inter Eruditos nominis, Arrianum non intellexissent; præ aliis autem istius, quæ anno 1668. in Zelandia & Westfrisia prodierit, editionis autor nihil fere toto opere nisi plagiarium egisset. Se igitur, cum nullum Arriano parari præsidium, nullum intelligendo ipsi accendi lumen, nisi e codicibus MSC. optimis posse intelligeret, itinere in Italiam suscepto, clementia M. Hetruriæ Ducis, operaque humanissima Illustris Magliabechii, quatuor optimos codices nactum in Bibliotheca Medicea S. Laurentii, in alium etiam deinde Origenis Philosophumenis adjectum longe emendatissimum incidisse: unde meliora & saniora reliquis afferre, ipsumque Arrianum, opere per triginta annos expolito, restituere potuerit. Quo non parum contulisse dicit, quod illum etiam codicem acceperit, quo Bonaventura Vulcanius usus fuit: qui vel liberius paulo versa, vel a Latini sermonis commoditate aliena emendaverat, & alia quædam in ora libri apposuerat, quæ supponi mallet; quod bona se fide executum ait Gronovius: prætereaque se varias lectiones, quas ille ex exemplari hujus Historiæ Augustano excerpserat, in communes usus adhibuisse, adeo ut jam perfectus & integer videri Arrianus queat, nihilque ipsi desit, quam unica lacuna de Hephæstione, quam vel ab aliis invento aliquo Arriani corpore suppleri, vel jam suppletam rectius tractari, cum Gronovio optamus. In notis suis ad Arrianum, id unum fere agit Gronovius, ut e codicibus MSC. sibi visis varias lectiones conferat, textum ab innumeris mendis purget, ea ratione interpretationis accuratioris fundamenta struat, atque adeo autorem tam afflicte corruptum, & tam invenustis interpretationibus deformatum, omni ex parte adjuvet. Lectionis quidem emendationem sæpissime optimo, quem appellat, codici acceptam refert. Ejus ope v. g. pro nomine Africano seu Ægyptio Ἀφρικανός, Macedonicum nomen Ἀπυλλικός restituit, eaque occasione etiam alia de nominibus Indicis & Macedonicis affert, p. 110. §. 22. Ex eodem codice, quem instar omnium esse dicit, de inventa elegantissima lectione, ubi χεῖν pro Infir.

med. *χρῆναι* ponitur, exultat p. 164. §. 70. Hoc denique prælucente, obscuram & ab ipsis interpretibus magis etiam obscuratam librorum Arriani sexti & septimi distinctionem detegit: & librum peculiarem de rebus Indiæ, ab aliis pro septimo, ab aliis pro octavo Arriani libro venditatum, non cum Vossio Indica sive Indicorum nomine appellandum, sed nomine *Ἰνδική*, subintellecta voce *συγγραφή* seu *χώρα*, signandum ostendit. Est tamen & ubi ab optimo codice isto, & reliquis omnibus discedat, & vel ulceris aliquid adhuc subesse indicet, vel aliunde opem afferre studeat Gronovius. Sic p. 179. §. 40. contra fidem & consensum omnium, etiam optimi, codicum, ex ipsa historiæ veritate & Suidæ citatione Arrianum emendat: p. 110. n. 22. vero in textu omnium codicum consensu adprobato, lacunam quandam alicunde forte supplendam subesse suspicatur. Post textum accurate emaculatum, de versione ac interpretatione, vel emendanda vel confirmanda, sollicitus est Vir Celeberrimus. Ut ex innumeris vel unicum proferamus, p. 166. n. 76. voces *ἀτὰρ ἔχῃ κίσα τῷ τῆς προσκυνήσεως νόμῳ*, quas tam mirifice interpretati Gronovio videntur alii boni viri, ut vix ab iis vel illas ipsas, vel omnis istius periodi connexionem recte fuisse perceptam opinetur, ita vertit: *tum etiam, quod in his non est minimum, ritu adorandi.* Alibi versionem datam pluribus aliorum Autorum locis adductis illustrat, remque p. 167. §. 83. & *Φράσις* pag. 166. §. 78. confirmat, & elegantiores Græcismos p. 89. §. 96. variis exemplis, etiam N. T. adductis annotat. Alibi selectiores ex antiquitate Græca observationes, quæ Autori celeberrimo deesse non poterant, adfert: quales sunt, quas p. 219. §. 11. 12. de nomine *βυκέφαλος* & *βυκεφάλος*, de variis equorum Macedonicorum appellationibus, de ipso Bucephalo ejusque forma, signo, & capitis amplitudine, & plurimis aliis locis ex optimis Autoribus contexit. Frequentissimæ autem, ut in aliis operibus Gronovianis, ita & in his Commentariis Virorum doctorum censuræ occurrunt. Freinsheimium sane p. 57. §. 94. dum velites *τοξόταις* includit, præ Latinitatis studio insanire dicit: eundem p. 65. §. 15. vagæ cujusdam & indecentis varietatis arguit: Scaligeri & Mauffaci errorem p. 88. §. 94. notat: Henricum Valesium in not. ad Excerpta Peiresciana p. 110. oscitantia con-

vincit p. 89. §. 95, quia Arrianum de eo, quod Hercules Tartessus Tyriusque unus idemque sit, dubitare aſſerit. Imprimis autem autores editionis Frificæ de A. 1668. nihil dicere vel ignotum, vel suum, p. 115. §. 42: Facium nasutissimum p. 110. §. 22. & 312. i. ineptum & ridiculum p. 166. §. 76. esse: Vulcanium audacter & perperam autoris contextum mutare p. 89. §. 96. alios aliter errare perhibet: adeoque omnem operam, quæ aliis forte etiam moleste sedula videri possit, in Arriano suo ornando & vindicando usurpat. Eodem spectat & exercitatio appendicis loco addita, de fossa ex Euphrate. Cum enim magna cura Arrianus exsequatur alveum, qui Pallacopas appellatur, ut lectores cognoscant, quis sit qualisque, & cui bono ac usui illic fuerit ductus, indeque in Eruditorum libris nominetur; sui esse muneris duxit Gronovius, ut extremam manum operi admoturus, cum lectoribus communicaret, & quæ de hoc Pallacopa scripta repererit, & quid in illis ab Arriano verissimo & fidelissimo descriptore ejus digrediat, ideoque prorsus rejiciendum sit. Primo igitur Salmasii de hoc opinionem in Exercitat. Solinianis p. 703. expressam ad verbum refert, eamque in Joh. Jac. Hoffmanni obscœnæ molis Lexico nonnullis mutatis repetitam esse, nec tamen ubique verum dicere ait. Inde Isaaci Vossii descriptionem examinat: & quamvis in ea quædam a vera rei consideratione alienissima esse declaret, istam tamen P. D. Huetium, tanquam egregium aliquid, suis Gallis in libello de Situ Paradisi p. 85. ostentasse; Marshamum vero paulo quidem prudentiorem, non tamen ab omni errore in hac materia liberum fuisse, allato proluxo Strabonis testimonio, variisque Facii, Vulcanii, Isaaci Vossii & Marshami versionibus, in Arriani locum lib. VII. in capitis 21 sine collatis & examinatis, docet. Potissimum tamen Is. Vossii versionem sub censuræ incudem revocat, eaque incredibilem errorum aggerationem contineri, per plures plagulas declarare sustinet. Nos alienissimum esse in disputando a viris doctis quibuscunque characterem illum, quo e Seneca allato opus hoc Gronovius claudit, cum ipsomet optamus: *Hinc sibi indulget, ex libidine judicat, & audire non vult, & ea quæ invasit tenet, & eripi sibi judicium suum, etiamsi pravum est, non sinit.*

OMINOSUM NOMEN, CUJUS DUCTU URBS
augusta URATISLAVIA centum anagrammatibus incre-
menta & fata sua turbato ordine adumbrat, auctore
 CHRISTIANO ROHR-
 MANNO.

Lipsiæ apud Christ. Bauchium, 1705. 4.
 Constat plag. 6.

Solent ab iis, qui Poësin exactius callent, inter lusus metricos
 Anagrammata quoque numerari, quæ ab epigrammate vix
 aliter differunt, quam quod in illis inscriptio sit brevior, in hoc
 descriptio plenior; in illis nominis notatio, vel alterius ominis ex
 nomine deductio, in hoc autem simplex cujuscumque rei, vel per-
 sonæ, vel facti indicatio fiat; in illis semper, in hoc rarius sylla-
 bæ ac litteræ mutantur. Nacta sunt statim ex viris doctis patro-
 nos haud minori numero, quam obtrectatores, quorum illi cum
 poësi nata natum quoque esse anagramma, & divinam quandam
 emphasin ex litterarum transpositione derivari, adeoque novum
 sortium poëticarum genus dici debere arbitrantur: isti autem nu-
 gas tantum difficiles, stultumque ineptiarum laborem adpellant,
 quando laureati quidam versifices unum idemque nomen ita mi-
 sere lancinant, lacerant, transfodiunt, admutilant, discerpunt, ut
 vix nescio quis Podalirius sit illi sanando. Atque hanc ipsam
 controversiam magno fervore, coram Petro Wesenbecio, ante
 centum & quod excedit annos, discussissent bina Gothanæ Scho-
 læ lumina, ex quibus Joannes Weitzius Anagrammatomastigem,
 Andreas Wilkius vero illorum defensorem strenuum egit, quo-
 rum duæ de Anagrammatismis scriptæ ad Wesenbecium epistolæ,
 circa annum M DC III, Erphordix typis impressæ prodierunt.
 Equidem negari non potest, quod pleraque anagrammatum aut
 sensu plane cassa sint, aut obscura adeo, ut ad intelligendum
 Delio natatore opus esse cuivis videatur; quæ sane nominum
 truncationes nullius haberi debent momenti, & in causa fuerunt,
 cur isthæc litterarum carnificina, cui superiori seculo vates fere
 omnes certatim subscribebant, nostra ætate apud cordatiores vi-
 lescere atque antiquari cœperit. Cæterum ea, quæ sententiam

integre absolvunt, neque vim sensui inferunt, laudem omnino suam merentur, nec absque insigni delectatione legi possunt. Quem quidem in censum illa veniunt, in quibus e. gr. Sigismundus - *Musis dignus*; Eucharistia - *vis theriaca*; Piaustus - *sat pius*; Logica - *caligo*; Galenus - *Angelus*; Civitas Norimbergensis - *nescis? urbium regina est*, scribitur. Novimus apud Erythræum in Pinacotheca de Aurato quodam Litteratore memorari, quod vaticinatus sæpe fuerit anagrammatibus: quæ res ne fidem omnem videatur excedere, eo facere possunt anagrammata, quorum ductu ex nominibus, laudator - *adulator*; Gustavus - *Augustus*; Cartesius - *Sectarius*; Calvinus - *Lucianus*; Faustus Socinus - *infaustus Socius*; Alstedius - *sedulitas*; Cornelius Jansenius - *Calvini sensus in ore*; ebrietas - *re bestia*; herba Nicottiana - *in bona charitate*; effingitur: quibus exemplis Morhofii τῆ πᾶνυ testimonium subjungimus, qui in suis de Lingua & Poësi Germanica Commentariis Part. II. Cap. XVI. ex nomine cujusdam per litterarum metathesin exsculptum fuisse narrat, quod is ipse homicidium aliquando patraverit.

Non infelix iisdem lusibus videtur esse Silesiorum natio, ad poësin præ multis aliis facta quasi & nata. Reusneros, Treutleros, Heermannos, Henelios, Cunrados, aliosque vetustiores silentio præterimus, quando nuperrime Christianus Rohrmannus *Uratislavia*, quæ Silesiorum metropolis est, clarissimum nomen centum anagrammatibus celebravit, quorum, quod ob rotunditatem numeri omnia sensum integrum non absolvant, illustrationi inserviunt additæ explicationes, stylo lapidari concinnatæ, in quibus incrementa urbis, fata varia, celebres Duces, illosque subsequutos Reges ac Imperatores, Status deinde Provinciales, situm loci peramœnum, structuram ædium magnificam, ampla commercia, cultos civium mores, arguta dictione adumbravit. Sunt enimvero inter illa quædam plane egregia, quibus Polonorum adversus Silesios odia, repurgata apud Uratislavienses sanctissimæ religionis dogmata, fidem incolarum erga Augustissimos Imperatores illibatam, intactam ab hostibus intricennali bello urbem, mirum Senatus Breslei erga scholas & literatos favorem, bonum regiminis publici ordinem, felicia ju-

ventutis ingenia, solum frumento fertile, aërem regionis salubrem, aliaque urbis memorabilia eleganter expressit. Dignam judicarunt hanc operam ex Mæcenatibus nonnulli, quam non modo typis Auctor exscriberet, sed Senatui quoque Illustri nuncuparet: qua ratione bina nobis ex urbis vocabulo anagrammata in memoriam redeunt, alterum quidem Italicum: *Viva l' Austria*; Latinum vero alterum, quo *Uratislavia lauta a Viris* dicitur, ab illis nimirum, qui ob præclara erga Celsissimam Domum Austriacam obsequia, & perennem ad juvandas stabiliendasque elegantiores litteras adfectum, tantam nominibus suis famam circumdederunt, ut in ipsos obvia in quibusdam Romanorum inscriptionibus verba quadrare omnino dixeris: POSTERI VIR- TUTEM IMITANTOR.

M. JO CHRISTOPHORI WOLFII HISTORIA
Lexicorum Hebraicorum.

Witenbergæ, apud Christ. Theoph. Ludovicum, 1705. 8.
Plag. 16.

Auctor Clarissimus Celeberrimorum in orbe literato Duumvirorum, J. H. Böcleri & D. J. A. Fabricii, exemplo excitatus scriptionem hanc suscepit, qui cum Græcorum Lexicorum historiam tradiderint, noster operæ pretium facturum se esse putavit, si eandem operam Hebraicæ Linguae præstaret. In quo negotio ita versatus fuit, ut integrum schediasma in quatuor capita distingueret, quorum primum Judæorum Lexicographos completitur, serie Chronologica recensitos; secundum Christianos Lexicorum scriptores enumerat; tertium in eorum notitiam ducit, qui Lexica Hebraica vel promiserunt, vel perfecta in MSS. inedita reliquerunt; quartum denique illorum facit mentionem, qui consilia de optima Lexicon Hebraicum scribendi ratione dederunt. In eam vero præcipue curam incubuit, ut origines Lexicorum Hebraicorum assequeretur, priusquam ad Lexicographorum recensione[m] industriam applicaret; quo consilio ad Grammaticarum Hebraicarum origines attendit, cumque persuasus fuerit, Grammaticæ vocumque studium conjunctum semper fuisse, easdem utriusque origines existimare non dubitavit. Proinde

tribus potissimum argumentis utitur, e quibus probet, Judæos seculo post C. N. X, quo literarum principatus ad Arabes fere transierat, Arabum potissimum exemplo excitatos fuisse, ut Lingua Hebraicæ rationes certis regulis comprehenderent. Argumenta illa partim a tempore, quo Grammaticæ Hebraicæ concinnari cœperunt literarumque in eo statu, partim ab ipsis Hebræorum Grammaticis, partim denique a methodo, quam Grammaticos præcipue secutos esse constat, petenda putavit. Hanc suam sententiam tum Judæorum quorundam, tum Christianorum, Jo. Buxtorfii, Jo. Morini, J. H. Hottingeri, Bartolocci aliorumque testimonio confirmat, & tandem comparato utroque vocum Grammaticæque studio, ostendit, ad eandem temporis epocham Lexicorum Hebraicorum originem referendam esse. His explicatis, Judæorum Lexicographorum recensioem aggreditur, quam ita instituit, ut, quoad ejus per Historiæ Judæorum Literariæ tenebras fieri potuit, constituto quo singuli vixerint, tempore, de ratione, quæ singulis, in negotio hoc expediendo placuerit, esset sollicitus. Familiam Judæorum adducit R. *Menahem ben Sarugh*, qui sæculo post C. N. X exeunte vixit: agmen claudit R. *Juda Jonas*, qui nostra memoria Lexicon Hebraici conscribendi consilium cepit, sed non æque exsecutus est, de quo exponit Bartoloccius P. III Biblioth. p. 52. Hinc Christianorum Lexicographorum recensioem eadem ratione exorsus, examinata quorundam opinione, qui ante Jo. Capnionem seu Reuchlinum, ex Christianis nonnullos Hebraicæ Linguae copias in Lexico Hebraico disposuisse putant, evincit, Reuchlini laudem hanc relinquendam esse: qua occasione de odio, quod Vir optimus ex studio Linguae Hebraicæ, isto sæculo insolenti, apud plerosque incurrit, fusius exponit, & alia monet, quæ ad pleniorum laudati Viri cognitionem pertinent. Hunc alii Christianorum Lexicographi ordine excipiunt, de quorum plerisque modestum Auctor formare solet judicium, idque sæpius ὁμοψήφως aliorum testimoniis confirmat. Quod ut exemplo constet, B. Joh. Foersteri, de quo Class. II. §. 9. disseruit, mentionem faciemus, cujus quidem Lexicon multis nominibus commendat, & ex eo potissimum, quod ille inter primos omnium felicissime copiosissimeque, in indaganda formali vocum Hebraicarum signifi-

tur, qui in aliis argumenti scriptis obiter quasi, vel certe non adeo accurate idem tetigerunt argumentum, quo refert Dictionariorum Universalium Scriptores, qui eruditorum sermonibus celebrantur, quales sunt *Car. Stephanus*, *Nic. Lloydius*, *Jo. Jac. Hofmannus*, *Lud. Morerius*, & novissime accuratissimeque omnium *Pet. Baylius*, quorum labores pro merito laudantur. Hæc brevis est totius schediasmatis sciagraphia, quod passim variis annotationibus est instructum, quæ tum ad pleniorum Lexicographorum, de quibus differit, notitiam faciunt, tum varia Hebraicæ Linguæ & Antiquitatum Judaicarum momenta elegantiorisque literaturæ capita illustrant. Sic p. 10 sqq. in notis refutat eos, qui cum *Jo. Clerico* ac *Campegio Vitringa*, historiam de commixtione Linguarum Babylonica aliter interpretati sunt, eamque non nisi de animorum dissensione accipiendam censuerunt. Ibidem p. 12 recenset eos, qui historiam Linguæ Hebraicæ perscripserunt, & p. 13 laudat præcipuos, quorum industria in constituendo typographiæ inventore elaboravit. Hinc p. 24 sq. *Steph. Morinum* & *Richardum Simonium* confutat, qui punctorum vocalium originem ab Arabibus repetere non dubitarunt. *Jarchii* appellationem minus accuratam esse, & cum *Isaaci* nomine commutari debere evincit p. 31. Summam fuisse Judæorum in describendo sacro codice diligentiam, probatur p. 44 sq. variis hanc in rem allegatis auctoribus, ubi simul p. 46 mos loca S. Scripturæ ex memoria allegandi, Patribus solennis, immutationi eorum sæpe occasionem dedisse observatur. *Danielem* a Judæis minus recte ex Prophetarum numero removeri, docet. v. 51 sq. & p. 53 variæ libros inscribendi rationes, Orientalibus receptæ & pleræque obscuræ illustrantur. *Varii Imbonati* errores, quos in allegandis auctoribus commisit, notantur p. 75. *Αυτοδιδάντων* exempla, & qui de his commentati sunt, scriptores habentur p. 97. De crassa Judæorum ignorantia variorum testimonia afferuntur p. 100 sq. qui p. 106 sq. a corrupti sacri codicis scelere immunes pronunciantur, variis, qui huc spectant, allatis auctoribus. Illorum notitia, qui alias linguas cum Hebraica contenderunt, peti potest ex pag. III. Plures qui longum temporis spatium elaborandis scriptis impenderunt, recensentur p. 121 - 123. De poesi Hebræorum Lectorem instruit p. 137 sqq. &

p. 144 sq. non contemnendum scriptorum numerum, qui Hebraica Judæorum scripta ad Buxtorfii exemplum congesserunt, exhibet. Ex his exemplis judicium facile formari potest de reliquis annotationibus, quas Auctor subinde non exiguo numero contextui sermonis adpersit. Cæterum in schediasmate hoc conficiendo Bartoloccij & Imbonati laboribus usus est, sed ita, ut subinde utriusque errores animadverterit & emendarit.

SOLUTIO PROBLEMATIS PASCHALIS.

Romæ, typis Rev. Cam. Apost. 1703. in 4. maj. Constat plag. 13, cum 5 Tab. æneis.

IN hoc Opusculo Illustris Autor (quem *Franciscum Blanchinum* esse, Summi Pontificis Magistrum Cubiculi hoc tempore Honorarium, ex eo ipso accepimus, cujus beneficio libellus ad nos pervenit, Reverendo Abbate *Dominico Passioneo*) sibi hoc problema solvendum proponit: *An disponi possit Cyclus Paschalis, constans annis Gregorianis, qui Pascha semper indicat tempore congruo, h. e. mense primo, die Dominica intra hebdomadam tertiam Lunæ?* Quamvis vero multi *Mathematici* negativam amplexi fuerint, *Noster* tamen affirmativæ veritatem se evicturum confidit. Demonstrationis loco affert ipsum Cyclum a se constructum, quem Octogrammum ideo vocat, quia Epactis saltem utitur ad investigandam Novilunii diem, octo autem literis in Calendario Romano antiquo olim ordine sæpe recurrente per totum annum continuatis (quas Nundinales communiter vocant omnes, *Noster* vero ad Cyclum Lunæ pertinere credit) ad indicandam Lunam decimam quartam, ante quam per *Canones Concilii Nicæni* Pascha legitime celebrari nequit. Ast ne hac ratione oriatur confusio cum literis Dominicalibus, loco literarum *Julii Caesaris* A B C D E F G H, assumit sequentes L M N O P Q R S. Ut igitur novi hujus Cycli Octogrammi veritas pateat, postulata quædam, rationem numerandi Lunam decimam quartam ac diem æquinoctii definiendi concernentia, præmittit: quoniam, ut notum est, in computando Paschate omnis labor huc redit, ut indicetur dies Dominica, Lunam decimam quartam, post æquinoctium vernale primam proxime sequens. In postu-

- lato primo, initium novilunii mediæ ab eo temporis puncto, quo incidit, tanquam ab Epochâ computari petit, ita ut circulus ille horarius, in quo tunc Sol versatur, sit limes & initium horarum 24, quæ singulos dies Lunæ juxta motus medios constituent.
- def. 1. Quamobrem diem primam Lunæ hac ratione numeratam vocat *diem primam Lunæ juxta motus medios*, seu *primam diem mediæ Lunationis*: intervallum septem istiusmodi dierum a momento novilunii mediæ numeratorum, *Hebdomadam primam Lunæ juxta motus medios*: unde simul intelligitur, quid ipsi sit
- def. 2. *Hebdomada secunda*, item *tertia Lunæ juxta motus medios*. Secundo postulat, hebdomadis ferias & anni dies civiles, juxta receptum Ecclesiæ morem, a mediâ nocte in mediâ noctem sequentem, per Solis regressum, post horas viginti quatuor, ad inferiorem ejusdem circuli meridiani partem numerari. In tertio postulato sibi concedi jubet, diem anni *Gregoriani*, quæ in Cyclo dicenda erit 21 Martii, jure haberi posse æquinoctialem. Ubi tamen probe notandum: quod, quemadmodum Noster, more Ecclesiæ primitivæ, in definiendo Paschate motus Lunæ medios constanter respicit; ita e contra in definiendo die æquinoctiali, Solis motus nunc mediæ, nunc veri rationem haberi velit: quia alibi demonstratum supponit, posse ita per cyclum disponi annos *Gregorianos*, ut dies, quæ quotannis in eo dicetur 21 Martii, intra suas viginti quatuor horas punctum contineat veri aut mediæ æquinoctii. In postulato denique quarto, præter decimam quartam Lunæ mediæ, numerari petit aliam, quæ dicatur *Civilis*, & aliam, quæ *Cyclaris*. Scilicet ea feria & dies civilis, in cujus partem finis primæ diei Lunaris juxta motus medios incidit, Lunæ prima dies Civilis dicatur. Ex quo simul patet, quam-
- def. 5. & 6. nam diem vocet *Decimam quartam Civilem Lunæ*, nec non *vigesimam secundam Lunæ Civilem & Ecclesiasticam*, nempe in quarum unam partem incidit finis decimæ quartæ vel vigesimæ secundæ mediæ. Quartam decimam Lunæ diem Civilem, quæ in diem æquinoctialem 21 Martii, vel proxime post ipsum incidit, *quartam decimam Paschalem* appellat. Denique diem anni Civilis, in quam Cyclus finem diei Lunaris mediæ cadere præsumit, sive revera cadat, sive non, *Diem Lunæ Cyclarem* dicit.

Lunationem, cujus decima quarta Civilis Paschalis est, pro *Mense primo* sive *Novorum* haberi vult: dies vero septem Civiles Lunæ, qui quartæ decimæ civili usque ad vigesimam primam civilem inclusive succedunt, pro *Hebdomada Paschali* Canonice haberi pronunciat. Definitionibus hisce præmissis, Axiomatum loco sequentia ponit: 1. Pascha celebrandum esse die Dominica, quæ sit in tertia hebdomada non cyclari, sed civili, per Bullam *Correctionis Gregorianæ*. 2. Tertiam Lunæ hebdomadam Civilem per def. 5. & 6. definiendam esse, quia vi Canonum *Nicænorum* ac Bullæ *Gregorianæ*, Pascha nunquam Luna decima quarta, nec ante eam celebrandum. Principiis hisce expositis, ad solutionem problematis per sequentes propositiones procedit: quod scilicet 1. annis 100 *Gregorianis* labentis seculi ita disponi possint novilunia & quartæ decimæ Cyclares per enneadecaeteridas, ut Dominica Paschalis proxime sequens eam quartam decimam cyclarem sit intra hebdomadam tertiam Civilem Lunæ primi mensis: 2. annis centenis seculi præcedentis XVII Æræ communis, & annis 984 proxime numerandis post præsens seculum Æræ Christi XVIII, idem præstari possit, quod in præsentis: 3. post absolutam periodum Paschalem annorum 1184 (quam in honorem *Clementis VIII* Pontificis Maximi *Periodum Clementinam* vocat) eadem periodus instaurari possit, castigatè exhibens singulis annis Pascha legitimum die Dominica intra tertiam hebdomadam mensis primi: 4. denique eadem periodus annorum 1184 etiam instaurari queat, quando dies bis sextilis non fuerit omissa anno postremo periodi præcedentis, ut nullum Pascha legitimum per hanc repetitionem e sede sua deturbetur. Demonstrationis vicem maximam partem subeunt Tabulæ sub finem adjectæ, quarum prima ab anno Christi 1600 usque ad 2700 valet; secunda complectitur 12 secula tertiæ revolutionis periodi Paschalis ab anno Christi 3968 ad 5152; tertia Periodi Paschalis *Clementinæ* seculum primum (nempe XVII Æræ Christi) in annos singulos expansum; quarta ejusdem periodi seculum secundum (Christi XVIII) & quinta duodecimum respondens anno Christi 2700 & sqq.) in annos singulos similiter expansa. Annexa est Tabula Paschalis, auctoritate *Concilii Nicæni* statuta; a *Theophilo* Patriarcha

def. 9.

def. 10.

Ax. 1.

Ax. 2.

Prop. 1.

Prop. 2.

Prop. 3.

Prop. 4.

cha Alexandrino producta; usu & doctrina SS. *Athanasii, Ambrosii, Cyrilli, Proterii, Paschasini & Leonis Papæ* comprobata. Cæterum pleniorẽ Cycli sui octogrammi expositionem in peculiari opusculo pollicetur *Autor*, in quo singulorum assumptorum rationem redditurus est. Interea hunc suum Cyclum *Mathematicorum* censuræ proponit, rogans, ut si ullius anni Pascha minus recte ordinari cognoverint per numeros ejusdem Cycli, id velint libere arguere ac distincte notare: quorum judicia cum enixe flagitet, atque eadem se revereri plurimum profiteatur,

Tab. VII. Tabulam præcipuam hic subjicere visum est. Ipse vero *Autor* Expositioni Cycli sui Octogrammi geminam subjungit appendicem. In prima dubia solvit, quæ occasione Cycli sui Octogrammi proponi possunt. Quærit scilicet 1. Num major habenda sit ratio decimæ quartæ diei Lunæ ac Plenilunii, quam Novilunii, in disponendis Epactis Cycli? ubi affirmativam amplectitur, tanquam Canonibus Bullæ *Gregorianæ* additis conformem. 2. Quale sit criterium rectæ connexionis dierum cycli cum plenilunio & quarta decima? ubi respondet, quartam decimam Cyclarem, comparatam cum plenilunio medio, recte positam, si immediate præcedat diem civilem, in quam incidit Oppositio media, vel si cum eadem die civili Oppositionis mediæ aliquando concurrat, dummodo dies 14 Cycli totam non excludat quartam decimam mediam. 3. Num recte posita decima quarta cyclari, ætas Lunæ vere proposita videatur ex Epacta illi quartæ decimæ respondente, adeo ut legi ita possit in *Martyrologio*, juxta antiquum Ecclesiæ morem; & num omnia, quæ *Gregorius* sancivit, exacte custodiantur? ubi iterum affirmativam probat per Cycli sui Octogrammi cum præceptis *Gregarii* convenientiam. 4. Num dies Novilunii ex Epacta Cycli Octogrammi constanter inveniantur, ut vera dici possit ex veteri more, vel a jugatione media, vel a prima phasi? ubi respondet, quamdiu in Epactis Cycli nec præcessio motuum mediorum ad Meridianum Romanum relata major occurrat, quam horarum 12, nec postpositio major, quam horarum 24; tamdiu ætatem Lunæ juxta morem antiquum Ecclesiæ & Bullam *Gregorianam* vere proponi. 5. Num Cyclus Octogrammus legem Cycli tantum servet in literis eorumve numeris,

Tabula I Index Aequinoctij Verni et diei Paschalis

Martius				Aprilis			
Dies Mensis Stylo Greg.	Epacta Gregoriana	Litera XIV	Lit Do mi	Dies Mensis	Epacta Gregoriana	Litera XIV	Lit Do mi
7			c	1	XXIX	R 4	g
8	XXIII		d	2	XXVIII	S 4	a
9	XXII		e	3	XXVII	L 4	b
10	XXI		f	4	XXVI	M 4	c
11	XX		g	5	XXV	N 4	d
12	XIX		a	6		O 4	e
13	XVIII		b	7		P 4	f
14	XVII		c	8		Q 5	g
15	XVI		d	9		R 5	a
16	XV		e	10		S 5	b
17	XIV		f	11		L 5	c
18	XIII		g	12		M 5	d
19	XII		a	13		N 5	e
20	XI		b	14		O 5	f
21	X	O 2	c	15		P 5	g
22	IX	P 2	d	16		Q 6	a
23	VIII	Q 3	e	17		R 6	b
24	VII	R 3	f	18		S 6	c
25	VI	S 3	g	19			d
26	V	L 3	a	20			e
27	IV	M 3	b	21			f
28	III	N 3	c	22			g
29	II	O 3	d	23			a
30	I	P 3	e	24			b
31	*	Q 4	f	25			c

Terminus novilunii Paschalis

precessio Aequin. Veri
 21 Aequinoct. et Term. 14. Pasch.
 22 Terminus PASCHAE
 precessio Aequin. Medii

Terminus novilunii Paschalis

Terminus XIV Paschalis

Terminus PASCHAE

Tabula II Singulis annis attribuens Epactam Literam Paschalem, qua designatur dies XI

Saeculorum anni expansi						I	II	III	IV
						Anni Aere Christi 1600	1700	1800	1900
0	19	38	57	76	95	N 3 XVI	L 4 X	Q 5 V	N
1	20	39	58	77	96	XXVI R 6	XXI Q 3	XVI N 3	X S
2	21	40	59	78	97	VII O 4	II L 5	XXVII Q 6	XI Q
3	22	41	60	79	98	XVIII L 3	XIII Q 4	VIII N 4	I S
4	23	42	61	80	99	* N 5	XXIV S 6	XIX S 3	X P
5	24	43	62	81		XI S 4	VI P 4	* N 5	XX S
6	25	44	63	82		XXII P 2	XVI N 3	XI S 4	V Q
7	26	45	64	83		III S 5	XXVII Q 6	XXII P 2	XI N
8	27	46	65	84		XIV P 3	VIII N 4	III S 5	XXV P
9	28	47	66	85		XXIV S 6	XX R 3	XIV P 3	I M
10	29	48	67	86		VI P 4	I M 5	XXIV S 6	XX R
11	30	49	68	87		XVII M 3	XI S 4	VI P 4	I M
12	31	50	69	88		XXIX O 5	XXII P 2	XVII M 3	XI R
13	32	51	70	89		X L 4	IV R 5	XXIX O 5	XI Q
14	33	52	71	90		XX R 3	XIV P 3	X L 4	I R
15	34	53	72	91		I M 5	XXVI R 6	XXI Q 3	X R
16	35	54	73	92		XII R 4	VII O 4	I M 5	XI R
17	36	55	74	93		XXIII O 2	XVIII L 3	XII R 4	XI Q
18	37	56	75	94		V Q 5	XXIX O 5	XXII O 2	XI R

Tabularum

Canon hic Paschalis in triplici Tabula tria illa indicat
 noctij Verni; Lunam 14^{ae} mensis primi; et Dominicam diem
 Vides in prima Tabula Aequinoctialem diem habendam esse
 Verum, aut Medium.
 Diem 14^{ae} Lunae in 2^a Tabula ita reperies. Datum annum, si seculum
 inter expansos. Vbi repereris; lineae transverse ductum, sequi
 Cellula communis lineae et columnae continet Epactam Novilunii Romae
 Tabula ostendunt dies mensis, respondententes novilunio ac decimequarte
 Tabula Dominicalis litera ejusdem anni; quae rursus in 3^a Tabula si queratur
 Ex exemplum. Quero Pascha anni 1722. Per 2^a Tabulam in
 cella utriusque communi video Epactam XIII, et literam 14^{ae} Q 4.
 refertur. Litera Q 4 spectat ad diem 31 Martij: cui luna 14^{ae}
 Hec in prima Tabula, post diem 31 Martij quesita, occurrit proxima
 Anni 2102, et 2698 Equatur; ille per Epactam

Gregorianam aequatam, ad indicandum nouilunium, et
 Lunę ex Cyclis Decemnoventali, et Octagrammo.
 Tabula Periodi Clementinae annorum 1184.

IV	V	VI	VII	VIII	IX	X	XI	XII
1700	2000	2100	2200	2300	2400	2500	2600	2700
S 6 * XXIV	R 3 X X	P 3 XIV	M 4 IX	R 5 IV	O 5 XXIX	O 2 XXIII	L 3 XVIII	
VI P 4	I M 5	XXIV S 6	XIX S 3	XV O 3	X L 4	V Q 5	XXIX O 5	
XVII M 3	XII R 4	VI P 4	I M 5	XXVI R 6	XXI Q 3	XVI N 3	X L 4	
XXVIII P 5	XXII P 2	XVII M 3	XI S 4	VII O 4	II L 5	XXVI R 6	XXI Q 3	
IX M 4	IV R 5	XXVIII P 5	XXIII O 2	XVIII L 3	XIII Q 4	VII O 4	II L 5	
XX R 3	XIV P 3	X L 4	III S 5	* N 5	XXIII O 2	XVIII L 3	XIII Q 4	
I M 5	XXVI R 6	XX R 3	XV O 3	XI S 4	V Q 5	* N 5	XXIV S 6	
XII R 4	VII O 4	I M 5	XXVI R 6	XXII P 2	XVI N 3	XI S 4	V Q 5	
XXIII O 2	XVIII L 3	XII R 4	VII O 4	II L 5	XXVII Q 6	XXII P 2	XVI N 3	
V Q 5	XXIX O 5	XXIII O 2	XVIII L 3	XIII Q 4	VIII N 4	III S 5	XXVII Q 6	
XVI N 3	X L 4	V Q 5	XXIX O 5	XXIV S 6	XIX S 3	XIII Q 4	VIII N 4	
XXVI R 6	XXI Q 3	XVI N 3	X L 4	VI P 4	I M 5	XXIV S 6	XIX S 3	
VII O 4	II L 5	XXVI R 6	XXI Q 3	XVII M 3	XI S 4	VI P 4	I M 5	
XIX S 3	XIII Q 4	VII O 4	II L 5	XXVIII P 5	XXII P 2	XVIII L 3	XI S 4	
* N 5	XXIV S 6	XVIII L 3	XIII Q 4	IX M 4	IV R 5	XXVIII P 5	XXII P 2	
XI S 4	V Q 5	XXIX O 5	XXIV S 6	XX R 3	XV O 3	IX M 4	III S 5	
XXII P 2	XVI N 3	XI S 4	VI P 4	I M 5	XXVI R 6	XX R 3	XV O 3	
III S 5	XXVII Q 6	XXII P 2	XVII M 3	XII R 4	VII O 4	I M 5	XXVI R 6	
XIV P 3	VIII N 4	III S 5	XXVII Q 6	XXIII O 2	XVII M 3	XII R 4	VII O 4	

Tabula III assignans cuilibet anno literam
 Dominicalem ex Cyclo solis XXVIII stylo
 Gregoriano. Saecula Periodi Clementinae

Anni Expansi cuiusque saeculi				I 1600 ^B V 2000 ^B IX 2400 ^B	II 1700 VI 2100 X 2500	III 1800 VII 2200 XI 2600	IV 1900 VIII 2300 XII 2700				
0	28	56	84	b	a	d	c	f	e	a	g
1	29	57	85	g	b	d	f	a	c	e	g
2	30	58	86	f	a	c	e	g	b	d	f
3	31	59	87	e	g	b	d	f	a	c	e
4	32	60	88	d	c	e	g	b	a	c	e
5	33	61	89	b	d	f	a	c	e	g	f
6	34	62	90	a	c	e	g	b	d	f	a
7	35	63	91	g	b	d	f	a	c	e	g
8	36	64	92	f	e	a	g	c	b	e	d
9	37	65	93	d	f	a	c	e	g	b	f
10	38	66	94	c	e	g	b	d	f	a	c
11	39	67	95	b	d	f	a	c	e	g	f
12	40	68	96	a	g	c	b	e	d	g	f
13	41	69	97	f	a	c	e	g	b	d	f
14	42	70	98	e	g	b	d	f	a	c	e
15	43	71	99	d	f	a	c	e	g	b	f
16	44	72		c	b	e	d	g	f	b	a
17	45	73		a	c	e	g	b	d	f	a
18	46	74		g	b	d	f	a	c	e	g
19	47	75		f	a	c	e	g	b	d	f
20	48	76		e	d	g	f	b	a	d	c
21	49	77		c	e	g	b	d	f	a	c
22	50	78		b	d	f	a	c	e	g	f
23	51	79		a	c	e	g	b	d	f	a
24	52	80		g	f	b	a	d	c	f	e
25	53	81		e	g	b	d	f	a	c	e
26	54	82		d	f	a	c	e	g	b	f
27	55	83		c	e	g	b	d	f	a	c

in structura, et usus.
 ad Pascha ritę celebrandum, necessaria, hoc est diem Aequi-
 illi proximam quę Paschalis est
 21 Martij: in quam Gregorius XIII quotannis redegit Aequinoctium -
 is sit, quęre in fronte columnę illi assignatę. Si secolari succedat, quęrito
 araris, donec occurrat columna, anno secolari precedenti attributa.
 nis numeris, et literam Cycli Octagrammi, indicę lunę 14 mensis primi: quę duo in priori
 Cycli. Eadem methodo cellę quęsit communis columnę, ac lineę transversę, prodibit in 3.
 post diem 14. lunę jam repertam, demonstrat diem Paschalem anni dati.
 columna 1700, et in linea transversa annor. expansorum 22 illi occurrente, ex
 Epacta XIII pertinet in prima Tabula ad diem 18 Martij: ad quam nouilunium
 tribuitur. In 3. Tabula litera Dominicalis ejusdem anni colligitur d.
 die 5 Aprilis: quę propterea Paschalis erit anno 1722.
 XI et literam S 4; hic per Epactam XXVII et literam Q 6.

anno saeculari non bissextili
 dextera tantum litera adhibetur.

Table with approximately 10 columns and 20 rows. The text is extremely faint and illegible due to low contrast and image quality. The table structure is visible with vertical and horizontal grid lines.

an etiam in Epactis? ubi respondet, se præcipuam legem servare in numeris literarum, unde & Octogramnum appellavit; in Epactis vero servari Cyclum decennovennalem successionis instauratæ per enneadecaëteridas quocunque seculo.

Appendix altera duas habet partes. Prima ostendit rationem decimæ quartæ Paschalis, & cujuscunque diei Lunæ numerandæ; in qua juxta Patrum monita, & leges Pontificum atque Conciliorum, summopere cavendus sit concursus Lunæ decimæ quartæ cum die Paschali; & hujus excursus ultra tertiam hebdomadam Lunæ, quod utrumque per suum Cyclum constanter præstitum iri profitetur. Pars altera anni Solaris quantitatem ex observationibus definit, & cum *Gregoriana* comparat. Ex observationibus suis, collatis *Waltherianis*, Autor quantitatem anni Tropici colligit 365 d. 5 h. 49. 2. 38; ex iisdem atque observationibus *Hipparchi*, eandem deducit 365 d. 5 h. 49. 0. 24; ut adeo differentia sit 2. 14. Cumque *Cassinus* ex observationibus *Hipparchi* atque suis, eandem derivaverit 365 d. 5 h. 49. 1. 31, tuto quantitatem anni assumi, qualem *Mathematici Gregoriani* assumsere, nempe 365 d. 5 h. 49. 12. Illam enim 12 sec. differentiam ex *Hipparchi* observationibus, consentiente *Cassino*, dirimi non posse: cum organa, quibus ille in observandis æquinoctiis usus, ipso *Ptolomæo* haud diffitente, quartam diei partem non satis exacte definiant.

Colophonem opusculo addit Adhortatio ad eos, qui de Cyclo judicaturi sunt. Indicat in ea ipse Autor Paschata, quæ præfenti seculo in controversiam vocari poterant, nempe annis 1700, 3, 7, 10, 20, 24, 27, 34, 44, 47, 54, 74, 78, 81, 98, quibus in Paschate indicendo communes Tabulæ a Paschate Cycli Octogrammi spatium unius hebdomadæ; & annis 4, 23, 42, 61, 80, 99, in quibus eadem ab eodem spatium unius Lunationis dissentiant: atque monet, in examine Tabularum communium nullam rationem habendam esse illorum annorum, in quibus numeratio Epactæ communis loco quidem movet quartam decimam

Paschalem, in aliam diem transferens ab ea, quæ illi juxta hypothefes congregationis *Gregorianæ* deberetur; sed legitimam tamen Paschatis diem idcirco non turbat. Examinat quoque ipse Pascha anni 1707, atque contendit, illud juxta *Canones Concilii Nicæni*, decreta *Gregorii & Auctorum* præstantiorum sententiam, qui *Calendarii emendationem* promoverunt, d. 17 Aprilis indici debere.

*XENOPHONTIS OPERA OMNIA, QUINQUE
Voluminibus comprehensa, Græce & Latine, curante
EDUARDO WELLS.*

Oxonii, e Theatro, 1691, 1693, 1696, 1700, 1703, in 8. Constant
Alphab. 6 plag. 17, præter figuras aliquot æneas,
& chartas geographicas.

PRæclare utique sibi consultum statuent *Φιλέλληνες*, quod cum a plurimis retro annis Xenophontem in librariorum tabernis anxie desideraverint, neque intra seculi spatium, & quod excurrit, Leunclavianam illam elegantissimam ulla alia, nisi forte Parisina de A. 1654 nova habenda, editio exceperit, Oxoniensium tandem beneficio conjunctim teneant tersissimi Scriptoris opuscula auro quovis cariora. Licet enim studiosæ pubis emolumento prodesse maxime voluerit Clarissimus Editor, quæ ut in Anglia Grajis deliciis maturius ac felicius, quam vix alibi, innutrirî solet, ita illarum promoscondos in nativo splendore, sine peregrino notarum apparatu, familiares sibi reddere docetur, non poterit tamen non adultioribus quoque institutum hoc valde commendari, siquidem variantes lectiones & criticas observationes parcius attextas, judiciofa operum dispositio & diversa alia ornamenta largiter pensant. In quinque autem volumina dum Xenophonteam supellectilem universam distribuit Noster, primum continere jussit libros VIII de Cyri majoris institutione; alterum de Cyri minoris expeditione libros VII; tertium *Hellenicæ Historiæ* libros VII, una cum *Chronologia Xenophonteâ*, quæ Celeberrimum, atque in temporum calculo signando acutissimum *Dodvillum* autorem habet. Proximum ab hoc in duos tomos abit, ita ut alter præter Me-

morabilia Socratica, Socratis etiam Apologiam, alter librum Oeconomicum, quin & Oeconomicorum Ciceronis, in quibus hic Paraphrasten Xenophontis egit, fragmenta Latina exhibeat. Ultimum denique reliquos minores tractatus omnes complectitur, iterum duabus constans sectionibus, quarum prior Orationem de Agesilao Rege, de Rebus publicis Lacedæmoniorum atque Atheniensium libellos, Convivium, Hieronem sive Sermonem de Rege, Rationes item Redituum seu de Proventibus commentatiunculam includit: secunda vero libros de Re Equestri, de Magisterio equitum, quem ad Gryllum filium scriptum putant, de Venatione, tum & fragmenta Epistolarum, ac Veterum, Græcorum imprimis, testimonia de Xenophonte comprehendit; quibus subnectitur series Chronologica Imperatorum Persicorum, ad examen paulo ante laudati Dn. Dodwelli revocata, nec non rerum memorabilium Index copiosissimus. Tantum de structura exteriori, quam Doctissimus Editor hic perquam apposite observavit. Interiorem elaborationem quod attinet, ipsemet in Præfatione ostendit, Græcum textum ad Heinrici Stephani & Leunclavii impressa exemplaria a se proponi, neutri autem semper fidem additam, sed discrepantibus a se invicem lectionibus, illam civitate donatam, quam vel Autoris sensus, vel verborum connexio efflagitare visa sunt. Interpretationi vero Latinæ Leunclavii presso se gradu inhæsisse ait, nec ab illa facile discessisse, nisi ab Autoris mente aperte divortium fecerit. Denique tam textum, quam versionem, in capita & sectiones congruas dispertiendo, legentium commodo se velificatum profitetur; quemadmodum & e quatuor tabulis geographicis huic editioni insertis, tres primum a se delineatas offerri, quartam, quæ Cyri expeditioni inservit, P. du Val deberi meminit. Tandem inter præcipua editionis suæ ornamenta merito numerat Chronologiam Xenophonteam, supra indigitatam, quæ Thucydideæ proxime succedit, resque in Græcia per XLVIII annos gestas, atque a Xenophonte literis consignatas, accuratissimo mensium, imo quoque nonnullibi dierum, quibus singulæ acciderunt, intervallo meretur. Quod ipsum quanti laboris Summo Viro fuerit, quilibet haud difficulter divinaverit, qui Petavii & Petiti in hac palæstra agones limis saltem oculis adspexerit.

LIBER SATYRARUM SEXDECIM FREDERICI
 NOMII, Anglariensis, Presbyteri, Arguti inter Concordes
 Academici Insensati.

Lugd. Bat. apud Jord. Luchtmans, 1703. 8.

Constat plag. 12.

SERius ad nos, quam par fuerat, pervenit hoc Satyrarum opus, quod Juvenalem, quem antea Italice haud infeliciter transtulerat, imitatus Auctor Clarissimus composuit, Illustri Viro Antonio Magliabechio dedicatum. Constat id sedecim omnino Satyris, quarum prima Prospero Mandosio, *cur Satyras scribat?* exponit, & dum aliorum Poetarum vitia recenset, Catellam etiam, haud ignobilem alioquin Poetriam, quæ & hujus seculi, & antiquos Poetas, ipsumque Maronem superasse existimetur, perstringens, sibi propositum esse ait, ut ostendat more sacrorum Concionatorum, quæ putet vitanda, utque in vitia, non in personas invehatur. In secunda Satyra, quam ad Magliabechium ipsum dedit, *hodiernum & antiquum tempus de vitiis colloquentia* inducuntur; ubi inter alia impudentiam nonnullorum scriptorum sugillans, multis verbis execratur Auctorem libelli famosi, adversus eundem Magliabechium, Virum integerrimum, instigatione & invidia cujusdam, quem Curculionem ficto nomine vocat, conscripti. Tertia Satyra, quæ Bernardino Ramazzino inscripta est, *ineptias hominum in testamentis* evolvit, domestico, ut apparet, exemplo irritatus. Quarta ad Petrum Cannelum Abbatem Camaldulensem dirigitur, & *de indignis acquirendi modis* conscripta est, fictioneque haud ineleganti constat. Quinta *de malis Principum ministris, & de ingrato Principum animo erga bonos fidosque ministros* agens, Carolo Antonio Sinibaldo inscribitur, in qua sua quoque fata depingit, & imprimis Mecæneses sibi deesse queritur. Ita enim de suis carminibus p. 67:

Semiseputa jacent perituris condita chartis

Omnia, nec spes ulla manet; contraria Phœbo

Nam Procerum mens est. Pereant. Ego cætera sperno.

Europæ at decore optarem mihi Buda superstes

Viveret, & longos Thuscis legeretur in annos.

Loquitur autem de Poemate Heroico, quod Etrusco sermone scriptum prelo paratum habet. Sexta, quæ Francisco Redi consecratur, quantum in Medicina tum Veterum tum Recentiorum versatus sit, docuit, quippe dum *ab observationibus illustrari Medicinam* probat, inutilia nonnulla Medicorum inventa fugillat, utilia laudat. Septimam Poeta ad Poetam Joannem Franciscum Bonomi dedit, in qua multa sunt jucunda *de Pedissequarum pravitate*, at, quæ de sua pedissequa refert, jucundissima. Octava, qua in *Adulatores* invehitur, summo pariter Poetæ Jo. Francisco Rotæ dicata est, a quo elegans Epigramma recepit Noster. Quod idem præstitit Godefridus Gulielmus Leibnitius, ad quem Satyram nominam dramaticam, qua *Versipelles* colloquio inter Poetam & Musam instituto considerat, transmisit. In decima Auctor diversus a Juvenali, qui castrensem vitam urbanæ anteponit, *damna belli*, ad Poetam maximum Vincentium de la Vitella a Filicaria, luculenter describit. Sed imprimis elegans est sequens, qua Jacobum Gronovium compellat, Satyra, quocum ei, ut ex utriusque præmissis epistolis patet, frequens olim Pisis sermo fuerat. In eadem *de injustitia sub optimo Principe* agit, & se quoque ab aulico quodam afflictum queritur. Duodecima, quæ *non esse deflendas diuturnis lacrymis uxerum mortes* docet, ad Jo. Georgium Grævium, qui nuper extinctus nunquam satis lugeri poterit, dirigitur. Hic & vitia quædam mulierum describit, & quæ commoda mors afferat, ostendit, obscuritatemque in fine excusat, quod ea a satyra vix removeri possit. Cæterum illud nobis observasse sufficit, quod ad verba, *Cucurbita cum sale*, quod vetus dictum est de sapiente, notat, ideo Academiam Inthronatorum Senensium pro corpore erigere cucurbitam, in qua sal servetur, cum lemmate: *intus meliora latent*. Inde Satyra decima tertia prolixius de se ipso agit Auctor, *paucis se minimisque rebus contentum agere extra patriam*, probans; nec ingratum Lectori vel Auctori nostro erit, Benedicti Bachinii, cui dicata est, iudicium ex epistola ejus responsoria, ad finem Satyræ subjuncta, hic adscribi. Est autem hoc: *Quid Satyræ tuæ desit, non video. Sermo non modo Latinus, sed Satyram decens; vivida, & alacris ingenii vis, qua icū eodem, diversa, quotquot offendis, vitia perstringis & jugulas; festiva gravitas, quam senten-*

tiarum frequentiam sale condis; rerum copia, per quam Satyræ vere saturam scribis & efficis; imitatio diligens, qua quisque corruptissimo in seculo vitiosus se sibi objectum sentiat; omnia tandem ad optimam prudentis & philosophi normam rigide castigata. De sequenti Satyra Francisco Berrettario dedicata, *de Justitiæ impiis Satellitibus* inscripta, nihil dicemus, ne prolixiores simus. Neque reliquis duabus immorabimur, quarum altera *de exoticis eduliis, titulus, aliisque rebus nostra ætate quæsitis cum excessu*, Salvatoris Perotti; altera *de nimis cupidis rei familiaris*, Petri Andreae Farzonii de Accoltis præfixa nomina habet.

*DN. NICOL. CHRISTOPHORI S. R. I. L. BAR.
& Equit. de LYNKER &c. Consilia seu Responsa cum
argumentis, summaris & in-
dicibus.*

Jenæ, apud Ern. Claud. Baillar, 1704. fol.
Constant 15 Alph. II Plag.

Qui nuper aliquot Decisionum Centurias in lucem edidit Illustrissimus Lynckerus, nunc satis amplum quoque Confessorum, quæ aut Facultatis Scabinatusve Jenensis, aut suo etiam nomine conscripsit, volumen Orbi Erudito sistit. Continet duas Centurias, quarum cum ipse satis accuratam prolixamque exhibeat diatyposin, integrum nobis erit eo Lectorem remittere, & summa solum brevitate, paucis exemplis propositis ostendere, quantam de reliquis spem possit debeatque concipere. Nullam vero Jurisprudentiæ partem Illustrissimus Autor reliquit intactam, sed selectas Juris Publici & Privati, Canonici ac Feudalis, Matrimonialis etiam & Criminalis, Processusque civilis materias eleganter exposuit ac enodavit. In Jure Publico attigit Quæstiones illustres: utrum Regalia Electoribus per Auream Bullam Caroli IV. concessa ad terras non Electorales pertineant? *Resp. 9.* Utrum præscriptione immemoriali immunitas a contributione provinciali possit acquiri? *Resp. 25.* De præcedentia Comitum Palatinorum, *Resp. 41.* De Superioritate Territoriali in feudum oblata, *Resp. 103.* aliasque quam plurimas. In Jure Canonico illustravit ma-

teriam de Bonis Mensæ, *Resp.* 2. De Potestate Clavium, *Resp.* 10. De Resignatione Canonatus, *Resp.* 34. De Jure Reformandi Religionem in Imperio, *Resp.* 58. De Jure Sacrorum Principis Reformati in Subditos Lutheranos, *Resp.* 81. De repetitione pecuniæ ob Parochiam datæ, *Resp.* 178. &c. Ex Jurisprudencia Feudali *Resp.* 20. docet, sufficere consensum Domini a creditore petitum esse, licet Dominus eum præstare nolit. De Revocatione Feudi a Patre alienati agit *Resp.* 116. De simultanee investito citra possessoris consensum, *Resp.* 156. Ad Processum Criminalem imprimis faciunt, quæ de Processu Banni *Resp.* 7: de crimine læsæ Superioritatis Territorialis, *Resp.* 94: de usu S^ci Sillaniani, *Resp.* 103: de pœna conatus capitali, *Resp.* 127. traduntur. Ad Processum civilem spectant, quæ *Resp.* 128. de Reconventionem: *Resp.* 168. de Appellatione ob Nullitatem deserta: de Purgata Contumacia per probationem legitimorum impedimentorum, *Resp.* 200. Autor disserit. Juris vero Matrimonialis privatique, quibus materiæ Legales inter vivos mortuosve excutiuntur, Consilia ubique occurrunt quam plurima, sed nobis sufficiet ex hisce ostendisse, quantum de integro hoc præstantissimo opere sibi polliceri queat Lector, qui facile ex diligenti ejus lectione cognoscet, Responsa hæc secundum rationem solidæ doctrinæ Lynckerianæ esse elaborata.

JOH. BARTHOLDI NIEMEIERI, SS. THEOL. D.
ejusdemque in Illustri Academia Julia Professoris Publ. & Ordin.
de Conjugiis Prohibitis Dissertationes junctim editæ. Ac-
cesserunt Supplementa cum In-
dice Rerum.

Helmstadii excudit Salomo Schnorrius, 1705. in 4.
 Constat 3. Alphab. 14. plagulis.

Quo magis arduæ, & quo frequentiores in judiciis moveri solitæ sunt quæstiones circa causas matrimoniales, eo plures quoque circa easdem enodandas occupati esse voluerunt. Horum aliquos, eos præcipue, quos in sua Bibliotheca reconditos habet, in Præfatione Operis Celeberrimus Autor noster recenset, quibus

tamen plures addi possunt. Quorum vestigia lecturus Tractatum, *de Conjugiis prohibitis* agentem, inque decem Dissertationes dispersitum, hac vice sistit. In *prima Dissertatione* de Conjugio, ejusque institutione ac fine agitur, moneturque, conjugia non solum esse divinæ providentiæ objectum, sed & eadem legibus dirigi posse; sicuti & Jura circa personas, ex quibus conjugalitatis societas constare debet, præsertim quæ vel sanguinis, vel affinitatis vinculum respiciunt, non pauca constituerint. Qua occasione de Linea & Gradibus agitur, & quæ dicuntur, exemplo Genealogiæ Christi & Abrahami declarantur. *Altera Dissertatio* divinas prohibitiones ad consanguineos pertinentes exhibet, ac post generalem prohibitionem *Levit. XII. 6*, in specie producit prohibitionem conjunctionis (1) *patris cum filia*, & vice versa filiæ cum patre; (2) *filiis cum matre*, & vice versa matris cum filio, *Levit. XII. 7*; (3) *avi cum nepte ex filio aut filia*, *Levit. XII. 10*: atque eorum, qui huic naturæ instituto vim intulerunt, facit mentionem, specialiter de Chami, secundi Noæ filii, nec non de filiarum Lothi turpitudinis facto, deque Anare, quem vivo patre Sibbone, cum matre incestum commisisse, nonnulli existimant, sermonem injiciens; (4) *fratrum ac sororum*, *Levit. XII. 9. XIII. 17*. Qua occasione de filiorum & filiarum Adami, de Abrahami & Isaaci, de Amnonis & Thamaris conjugiiis agitur. Mentio quoque fit conjugii comprivignorum, nec non eorum, qui contra naturæ institutum sororibus suis se miscuerunt. Agitur (5) de prohibitione *amitæ*, ex *Levit. XII. 12. XIII. 19*. quæ occasionem præbet de conjugio Amrami cum Jochebeda ex *Exod. VI. 20*. differendi; (6) de prohibitione *matrteræ* ex *Levit. XII. 15. XIII. 15*. ubi etiam disquiritur: an vitrici soror *amitæ*, & novercæ soror *matrteræ* nomine veniant, ac per consequens, an & illæ jure divino sint prohibitæ? Pariter an *avunculus* & *patruus* divinis hisce legibus sint comprehensi? Id quod ibi negatur. *Tertia Dissertatio* affinitatis rationem habet, conjugia hoc nomine divinitus prohibita expendere incipiens. Talia sunt (1) conjugium *privigni cum noverca*, juxta *Levit. XII. 8. XIII. 11. Deuter. XXII. 30*. Ansam hæc lex præbet de facto Rubenis, illudque subsequente pœna, *Genes. XXX. 3. 4*; de facto Absolonis,

nis, patris sui concubinas comprimentis; Adoniæ Abisagam ambientis; patris cujusdam & filii unam puellam communem habentium, Amos II, 7; nec non Corinthii incestuosi, hujusque excommunicatione, 1. Cor. V, 1 sqq. differendi. Disquiritur etiam, an lex ista divina ad *vitrici* quoque *viduam*, aut ad *privigni viduam* sit extendenda? (2) Conjugium *vitrici cum privigna* five filiastra. (3) Conjugium *vitrici cum privigni*, vel *privignæ filia*, Levit. XIIII. 17. *Quarta Dissertatio* itidem affinitatem respicit, prohibitionem *socrus* ex Levit. XIIII, 14 expendens, ut & *nurus*, Levit. XIIII, 15. Ratione illius disquiritur: an lex de non contingenda *socrus* defunctæ uxoris *novercam* quoque complectatur? item, an *sponsæ*, five defunctæ, five adhuc viventis, a sponsalibus autem resiliens, matrem ducere liceat? ratione hujus vero, de conjunctione *Jehudæ Patriarchæ*, cum *Thamare* agitur. Quæstio etiam movetur: an quis per hanc legem divinam *privigni viduam* ducere possit? item, an patri filii sui defuncti *sponsam* ducere sit integrum? *Quinta Dissertatio* legem de non ducenda *patrui uxore* five *vidua*, Levit. XIIII, 14. & poenam legi huic Levit. XX, 20. additam expendit; id simul considerans: an hæc lex sit naturalis five moralis, an divina positiva, eaque forensis? item, an per hanc legem *patrui* quoque *magni vidua*, nec non *avunculi vidua* sit prohibita. Quo in negotio dispensationum nunc negatarum, nunc factarum exempla afferuntur. Attingitur quoque quæstio de *avunculi magni vidua*, de *patruo* & *avunculo*; quam in rem diversa tum vetustiora, tum recentiora, factarumque in hoc negotio dispensationum exempla adducuntur. Agitur quoque de conjugio cum *patruo magno* & *avunculo magno*, nec minus de conjugio cum *fratris* vel *sororis privigna*. *Sexta Dissertatio* ex Levit. XIIII. 16. prohibitionem conjugii *cum fratria*, exceptionemque ab illa lege, quæ Deuter. XXV, 5. habetur, investigat, deque *leviri* citatione, ejusque jure ac ritibus agit. Peculiariter de facto *Herodis Antipæ*, *Philippi*, fratris sui, uxorem *sociantis*, nonnulla affert, partemque *Genealogiæ Herodis* in abula sistit. De eo quoque disquiritur: an in lege de non ducenda *fratria* dispensatio locum inveniat? ejusque generis conjugiorum aliquot exempla in medium proferuntur. Quæstionem

denique de eo movet: an quis fratris sponsam, aut etiam viduam quam uxoris frater sibi sociatam habuit, ducere possit? *Septima Dissertatio* legem de non ducenda uxoris sorore ex *Levit. XII. 18.* considerationi subjicit, inter alia docens, certam quandam polygamix simultaneæ speciem eadem esse prohibitam: an vero eadem lege uxoris defunctæ soror pari ratione interdicator, in quaestionem vocat, diversas sententias, ac varia exempla sive præjudicia in medium afferens. Immiscet quæstiones: an prohibitio illa ad sponsæ defunctæ sororem sit extendenda? item, an uxoris defunctæ fratris vel sororis neptis, aut uxoris defunctæ fratris vidua vel ejus consobrina duci possint? *Octava dissertatio* de conjugii jure Ecclesiastico prohibitis agit, commonstrans, leges divinas connubiales ab Ecclesia & Rebuspublicis, in legum naturæ & divinarum *περὶ Φυλακῆν*, longius esse extensas, quæ tamen extensiones in nascente Ecclesia fuerint parvæ, nec tertium lineæ collateralis æqualis gradum egressæ; cum tempore vero accessisset prohibitionem gradus quarti, mox quinti, sexti ac denique septimi; jure tandem Canonico prohibitiones ad quartum gradum fuisse revocatas. Jus Civile insuper cognationis legalis, ac spiritalis rationem habuisse, docet. Commemoratur triplex affinitatis genus, affinitatem in perfectam & imperfectam distinguit, ac tandem de religionis disparitate, an & quousque hæc nuptiis impedimento sit, nonnulla attingit. *Nona dissertatio* est de Dispensatione circa Conjugia prohibita. In qua, ut ratio Dispensationis cognosci possit; differentia inter æquitatem, sive interpretationem legum *κατ' ἰσότητητα*, & dispensationem indicatur. Postea disquiritur: cujus generis sint leges divinæ connubiales? ac leges quidem ad lineam rectam pertinentes naturæ leges esse Clar. Autor agnoscit, inter leges vero lineam collateralem respicientes, sententiis hinc inde expensis, aliquas esse forenses existimat. Quæ in re fundamentum potestatis latet. Supponit hæc Autor noster in *Dissertatione decima*, quæ itidem est de Dispensatione in Conjugiis prohibitis; in qua porro quæstio: an prohibitiones matrimoniorum divinæ personas tantum expressas, an vero gradu quoque æquidistantes respiciant? expenditur; ac quamvis Maxime Reverendus Autor in priorem istius quæstionis partem

inclinat, non tamen diffitetur, per Canonum etiam decreta & legum civilium sanctiones gradus quoque æquidistantes esse prohibitos. Quod ipsum sicuti in Republica ad potestatem legislativam pertinet, ita etiam in his edictis prohibitoriis dispensandi potestas Majestati civili, vel quæ ejus æmula est, Superioritati territoriali est relinquenda. Subjunguntur tredecim observationes prudentiam, quæ in dispensando requiritur, adjuvantes, quas interdecima, discrimen inter illa conjugia, quibus Deus capitalem poenam determinavit, atque ea, quibus poenam capitali supplicio minorem proposuit, inculcans, non postremo loco est habenda. Accedunt tandem *Supplementa*, quibus nonnulla, quæ in ipsis Dissertationibus tradita sunt, declarantur atque illustrantur. Horum non postremam partem faciunt, quæ circa conjugium Judæi cujusdam Hildesie anno 1595. sunt acta, cujus rei D. Henricus Heshufius & D. Johannes Olearius in Præfationibus libello, de Baptismo a Judæo circa illud tempus suscepto, vernacula lingua exarato & sequenti anno typis exscripto præmissis, nec non B. Gerhardus in Locis de Conjugio mentionem fecerunt. Sub finem subjunctus est *Rerum Index*. De cetero, quæ in hoc Opere attinguntur, quæstiones ab utraque parte secundum suas rationes expenduntur, ex jure non solum Divino, sed & Civili, nec non Canonico & Ecclesiastico deducuntur, non pauca ad Genealogias spectantia commemorantur, ac, quod operam hanc præcipue commendat selectis Facultatum Responsis confirmantur. Ut adeo Maxime Reverendus Autor Collegæ sui, *B. D. Friederici Ulrici Calixti* judicio, in Epistola primæ Dissertationi subjuncta de se lato, quo ipsum *Judaicarum, Ecclesiasticarumque, simul ac Civilium rerum peritissimum* esse perhibuit, abunde satisfecerit; nec dubium sit, quin opus hoc plurimis, etiam iis, qui in judiciis circa causas matrimoniales versantur, plurimum sit profuturum.

*DOMINICI QUARTAIRONII RESPONSIONES
ad nonnullas Assertiones pro Reformatione Kalendarii
Gregoriani de Paschate anni 1700.*

Romæ, ex Typographia Rev. Cam. Apost. 1703, 4. Constant plag. 5.

Au-

Altor Assertionum, ad quas respondet Clarissimus Quartaironius, non nominatur, reverentiæ causa: unde neque nos nominare eum sustinemus; est enim ex Astronomorum nostræ ætatis principibus. Ipsæ tamen assertiones integræ in hoc opusculo exhibentur, numero 16. Contenditur in iisdem, Pascha anni 1700 per Epactas Gregorianas non legitime fuisse definitum: nam Epactam IX Plenilunium medium retulisse ad d. 4 April. h. 11, Lunam decimam quartam ad d. 4 Aprilis, Pascha ad d. 11 Aprilis; cum tamen ex Tabulis Astronomicis Epactarum cum Tabulis præstantissimorum Astronomorum ad meridianum Romæ supputatis, intra horæ quadrantem consentientibus & *Libro Expositionis Kalendarii* insertis, idem Plenilunium medium d. 3 April. h. 11 post meridiem, quo die etiam Ephemerides id exhibent, supputetur; adeoque evidens sit, pro Luna decima quarta diem 3 Aprilis, cumque hæc in Sabbathum inciderit, pro die Paschali diem 4 April. assumendam fuisse. Asserit ulterius, decretis *Gregorii XIII* convenire Pascha anni 1700 ad diem 4 April. relatum, quia per Tabellam Epactarum, Compendio a *Gregorio* ad Principes Christianos & Academias misso insertam, Epacta anni 1700 revera educatur X, quæ Lunam decimam quartam ad d. 3 Apr. consequenter Pascha ad d. 4 April. refert. Errorem vero in disponendis Epactis commissum esse ab iis, qui *Aloysio Lilio* auctori Kalendarii denato suffecti sunt, ob erroneum Plenilunii mediæ computum. Probat deinde, Sanctos Patres, qui Canones Paschales in usum Ecclesiæ condiderunt, in decimam quartam Paschalem assumpsisse diem, cujus meridies Plenilunium medium pluribus horis, & quandoque die uno & amplius præcederet. Quem in finem exempla producit ex Canone omnium, qui supersunt, antiquissimo *Hippolyti Portuensis Episcopi*, statuæ ejus marmoreæ, in Bibliotheca Vaticana nunc expositæ, Græce inscripto; ex methodo, qua Episcopi Alexandrini, quibus Concilium Nicænum Paschatis curam commiserat, Lunam decimam quartam determinarunt; ex epistola 82 *Ambrosii* ad Episcopos per *Æmiliam* constitutos; ex Canone Paschali *Theophili*; ex Cyclo *Cyrilli*, qui ex Theophilano desumptus, a *Leone* Papa approbato; & Tabella *Compendii Gregoriani* superius citati.

Singulis assertionibus singulas subjungit responsiones *Quar-*
taironius : quarum summa in compendio huc redit. Pascha
 anni 1700 per Epactas Gregorianas legitime fuisse definitum, cum
 Plenilunium medium supputatum sit a Clavio secundum hypo-
 thesin Ecclesiasticam, a qua recedendum non sit, propter decreta
 Gregorii XIII & Clementis VIII. Plenilunia media a Censore,
 contra mentem horum Pontificum, ex Tabulis Astronomicis vul-
 garibus computari, in annis centesimis non bissextilibus, qualis est
 annus 1700. Quæ ut clariora evadant, Clavii supputationem Eccle-
 siasticam Novilunii Januarii pro anno 1700 producit, ac inde Ple-
 nilunium medium Paschale determinat ad d. 4 April. h. ii. 10. 25.
 Lilio mortuo suspectos, nullos commisisse errores, quod a *Clavio*,
Petavio, aliisque Kalendarii Gregoriani defensoribus, contra
Scaligerum, *Vietam*, *Mestlinum*, *Calvisium* aliosque, jam dudum
 fuisse sit ostensum. Errare Censorem, dum arbitretur, causam om-
 nium Epactarum mutationis dependere ex calculo motus Ple-
 nilunii medii centesimorum non bissextilium, & præcipue ex an-
 no 1700, cum causa mutationis omnium Epactarum fuerit æqua-
 tionis Lunæ Epochæ, a Reformatoribus seculo Dionysii posita, uti
 a *Gregorio XIII* in Bulla indicatum. Ex omnium Reformato-
 rum doctrina, & Epactarum Cycli constructione Liliiana, eviden-
 ter colligi, decimas quartas centesimorum non bissextilium non
 debere esse necessario ante Plenilunia media, & consequenter, etiamsi
 Plenilunia media Ecclesiastica centesimorum non bissextilium essent
 vulgari calculo supputata, adhuc decimas quartas Lunæ & dies Pa-
 schales in Tabula temporaria festorum mobilium nullo modo muta-
 ri debere. *Hippolyti*, *Eusebii*, *Theophili*, *Cyrilli*, *Victorii* & aliorum cy-
 clorum Paschalium, ante *Dionysii Exigui* seculum, epocham pro ex-
 emplo nobis inservire non debere, cum fuerint constructi, antequam
 Ecclesia Græca & Latina in Paschatis celebratione convenirent.
 Dies Paschales post Concilium Nicænum, quod Pascha eodem die,
 quo Romæ, ab omnibus Christianis celebrari voluit, ab Alexan-
 drinis determinatos, non tamen ab Ecclesia Occidentali observa-
 tos, non esse secundum mentem dicti Concilii. Ambrosium
 cum reliquis Patribus existimare, in computo Ecclesiastico aureos
 numeros in perpetuum esse debere regulam infallibilem ad inve-

niendam decimam quartam Paschalem : decimas igitur quartas Paschales Theophili, cum illæ non sint ex aliquo cyclo deductæ, non posse quoque inservire pro regula Cycli Epactarum. Nec Reformatores Gregorianos in constructione cycli Epactarum, cyclum doctrinamque *Cyrilli* imitari potuisse, cum deterior sit illo Theophili, uti a *Petavio* demonstratum, nec Patres Latini, imo nec omnes ex Græcis eodem usi sint, teste *Paulo de Middelburgo*. Leonem assignare hanc causam, cur Theophilanum secutus fuerit, quod studio unitatis & pacis maluerit Orientalium definitioni acquiescere, quam in tantæ festivitatis observantia diffidere. Astronomos Gregorianos ideo non usos esse Tabellis in Compendio Gregoriano positas, quod juxta illas Pascha sæpius ante Plenilunium medium in decima quarta Luna, cum Hebræis & hæreticis Quartadecimanis, contra expressam *Gregorii XIII* mentem, celebratum fuisset.

Subjungit Autor sub finem opusculi sui 3 Tabulas, quarum prima ostenditur, 28 decimas quartas Paschales biduo præcedere diem Plenilunii medii, in spatio unius seculi a Concilio Nicæno, quo tempore posita fuerit radix æquationis Epactarum a *Lilio*; secunda docetur, *Dionysii Exigui* seculo decimas quartas Paschales Plenilunia media biduo nunquam præcedere, nec posticipare, nisi una hora in anno 512, & sex horis in anno 588; tertia monstratur, 475 decimas quintas Paschales ex Epactis Calendarii (cujus radix æquationis Cycli decemnovennalis ponitur tempore Concilii Nicæni) deductas, præcedere Plenilunia media uno die, & multoties biduo intra 17 secula. Addit tandem Bullam *Clementis VIII*, pro confirmanda Claviana Calendarii defensione d. 17 Mart. 1703 editam, & Opusculum a Mathematicis *Gregorii XIII* eidem Pontifici oblatum, & hætenus MSC. in Bibliotheca Vaticana asservatum, (sub titulo : *Ratio corrigendi Fastos confirmata, & nomine omnium, qui ad Calendarii correctionem, delecti sunt, oblata Sanctiss. D. N. Gregorio XIII.*) in quo continentur Canones, quos sibi in reformatione Calendarii servandos proposuerant: quia ad utrumque in suis responsionibus sæpissime provocat.

70. ALBERTI FABRICII SS. THEOLOGIÆ D.
 & Prof. Publ. Bibliotheca Græca. Accessit Empedoclis Sphæra,
 & Marcelli Sidetæ Carmen de Medicamentis Piscium
 Græce & Latine, cum brevibus
 notis.

Hamburgi, sumtu Christiani Liebezeit, 1705, in 4.
 Constat Alphab. 5.

Quod multi voluerunt, pauci confectum dederunt, id nunc accuratius expedire celeberrimus Fabricius allaboravit. Cum enim Leonis Allatii, Jo. Conradi Dieterici, Philippi Labbei, Emerici Bigotii, Erasmi Vindingii, Henrici Christiani Henninii destinata vel perierint, vel premantur; Meursii vero, Vossii, Jonsii, Boecleri, Gaddii, Gesneri, Gyraldi scripta ita comparata sint, ut partim accessionibus, partim emendatione indigeant: tum vel maxime id sibi datum intellexit, ut exquisitiorem instituti rationem iniret, ac plenius de hoc argumento differeret. Equidem, quæ est modestia Vir clarissimus, non diffitetur, quam latissime hoc opus patere, & ita fere constitutum esse, ut unusquisque harum rerum intelligens non possit non ultro intelligere, illud & difficultatis ac laboris plenissimum esse. Hinc tantum abest, ut magnifice de se sentiat, aut aliorum censuras aspernetur, ut potius æquorum idoneorumque hujus rei existimatorum examini sua sponte se submittat. Id quod eo valet, ut copiosiori laude ipsum adficiendum putemus, utpote qui ad exquisitissimam eruditionem summam modestiam adjunxit. Uti vero legentibus & diligentius exquirentibus plenissime constabit, ingenti solertia, & accuratatione maxima institutum hoc confectum esse, ita nos officii nostri memores summa capita persequemur. Complectitur præsens volumen duos priores suscepti operis libros, quibus tum scriptores, qui Homerum ætate præcessisse dicuntur, tum qui ab eo usque ad Platonem claruerunt, enarrat. In universum id dedit operam maxime, ut, quæ de auctoribus explorata sunt, vel referret ipse, vel a quibus prolixius pertractata fuerint, indicaret. Hinc non edita solum eorum scripta, sed ea quoque, quæ in Bibliothecis delitescunt, diligenter adnotavit, & in deper-

ditis recensendis non minori cura versatus est, quo pertinet notitia Tragicorum deperditorum Lib. II, c. IX, & Comicorum Lib. II, cap. XXII, ut reliqua taceamus. Omnium vero plurimum laboris in editionibus rite enarrandis posuit, eoque connisus est, ut accuratissima earum historia, eaque non ex catalogis oscitanter corrasa, sed ipsis, quoad fieri potuit, inspectis libris concinnata exhiberetur. Sæpe quippe evenire solet, ut non evolutis libris, sed aliorum fide ac verbis suffulti, turpiter erremus; cujus erroris materiam facile suppeditare potest editio Amstelodamensis notarum Ulrici Obrechtii in Dictyem, ubi pag. 24, ceu Noster pag. 34 monet, male excusum, primam ἐκδοσιν Mediolanensem A. C. 1627 prodiisse. Nam Obrechtus, uti ex Argentoratensi ejus notarum editione patet, scripserat A. C. MCDLXXVII, hoc est 1477, pro quo typographus legit 1627. Subinde etiam cognomines scriptores studuit distinguere, quemadmodum fecit p. 91, postquam de Horo Apolline duorum de Ægyptiorum Hieroglyphicis libellorum auctore egit, per quem pag. 88 Isidis filium, aut vero Apollonidem cognomento Horapium intelligit, ex cujus libro *Semenuthi* quædam proferat Theophilus Antiochenus lib. II ad Autolyicum f. 85. Quem non diversum putat ab Apollonio Ægyptio, qui memoretur Lib. III fol. 127. Reinesio autem, cui liber *Semenuthi*, Chemici argumenti Lib. III Var. Lect. pag. 380 visus est, non assentitur, cum historica sint, quæ utroque loco proferat Theophilus. Quæ dum commentatur, notat §. VI. Hieroglyphica Hori Græce A. 1505 ab Aldo vulgata, primum A. 1515 Augustæ Vindellicorum a Bernardino Trebatio Vicentino Latine conversa esse, adeoque falli Garassium Doctrin. Curios. p. 1024, qui affirmet, Hori Hieroglyphicorum primum interpretem Jo. Mercerum Parisiis A. 1548 fuisse. Non minori solertia pag. 784 varios Socrates distinguit, quorum cum septendecim commemorasset, se nescire profiteretur, quem Socratem respiciat Scholiastes Apollonii ad lib. I, ubi laudat Σωκράτην ἐν τῷ πρὸς Ἐιδόθεον. At vero, quando apud eundem laudetur Socrates in libris Κρητικῶν, legendum esse Sofocrates, quemadmodum & in Laertii codicibus Socratis nomen pro eodem Soficrate irrepsit, etsi uterque locus imposuerit Vossio p. 414 de Historicis Græcis. Idem præstat pag. 574

de Æschylo Tragico agens, a quo distinguit Æschylum Mathematicum. Tribuit huic Meursius in Biblioth. ποικίλα χρώματα a Suida in καλαῖς laudata, sed quæ potius Æschylo Alexandrino, judice Fabricio, vindicanda videntur. Tacemus quamplurima loca alia, in quibus caute & cum cura ejusdem nominis scriptores distinxit ac separavit. Quod quam præclare a Fabricio factum fuerit, illi facile intelligunt, qui norunt, quanti ex cognatione nominum orti sint errores. Idem evenit Suidæ, qui Pherecydi Syrio Theogoniam tribuit, cum alteri, non multo juniori, Atheniensi asserere debuisset, uti animadvertit Noster pag. 780. Neque vero non laudandum, Indices etiam auctorum in variis scriptoribus, antiquis præcipue Scholiastis allegatorum, suis locis insertos esse, quorum sequentes in hoc opere comparent: I Scriptorum in scholiis minoribus ad Homerum allegatorum, pag. 302: II Scriptorum laudatorum in scholiis ad Iliados IX a Conrado Hornejo in lucem editis, p. 305: III Scriptorum ab Eustathio in commentariis ad Homerum allegatorum, accommodatus ad paginas editionis Romanæ, p. 306, ad quem conficiendum usus est industria egregiorum Juvenum, Petri Zornii Hamburgensis, & Joannis Christophori Wolfii Wernigerodensis: IV Scriptorum ab interpretibus Græcis Hesiodi laudatorum, pag. 386: V Scriptorum in scholiis Græcis ad Pindarum, allegatorum p. 539 ex editione Oxoniensi: VI Scriptorum in scholiis Græcis ad Æschylum allegatorum, p. 590 ex editione Londinensi: VII Scriptorum in scholiis Græcis ad Sophoclem allegatorum, pag. 606, ad quem concinnandum opera eruditi Juvenis, Stephani Bergleri, Transylvani, usus est: VIII Scriptorum in scholiis Græcis ad Euripidem laudatorum, pag. 627, cujus ipse Fabricius auctor est: IX Scriptorum in scholiis Græcis antiquis ad Aristophanem allegatorum, opera laudati Bergleri concinnatus, pag. 685. Hæc generatim a nobis dicta sunt; nunc accuratiorem præstantissimi operis imaginem exprimamus. Libro I, qui capitibus sex & triginta absolvitur, de Scriptoribus, qui Homerum ætate antecessisse dicuntur, agit, collatisque idoneis scriptorum testimoniis, reliquisque argumentis diligenter comparatis conficit, plerosque Homero juniores esse. Exhibentur id genus Scriptorum septuaginta,

in quibus recensendis potius literarum ordinem sequutus est, quam temporis, qui nullus est in tam incertis & commentitiis. De Chirone agens, inserit Marcelli Sidetæ de medicina ex piscibus carmen, quod in codice Mediceo, cujus apographum vidit in bibliotheca Illustris Viri, Marquardi Gudii, inscribitur: Μαρκελ-
 λος Σιδήτης ἑόλια Χείρωνος περὶ ἰχθύων. Separatim hoc poem-
 ma, seu potius fragmentum, Parisiis a Morello Græce, sub titulo
Marcelli Sidetæ ἰατρικῶν περὶ ἰχθύων editum est, cumque vix
 separatim Græce editum reperiatur, operæ pretium duxit clarissimus
 Fabricius, integrum, & versione sua ac notis locupletatum, hoc lo-
 co repræsentare. Quam copiosissime autem de libris, qui sub Her-
 metis Trismegisti nomine, vel jam feruntur, vel olim jactati sunt,
 ejusque inventis refert cap. VII, IIX, IX, X, XI, XII, ac pag.
 46 memorat, nonnullos cum Henochus eum confundere. Tol-
 lit hoc loco Hotttingero aliisque dubitationem, qui mirantur,
 qui evenerit, cur Henochus recentioribus Arabibus *Edris* dica-
 tur. Suspiciatur quippe, hoc, ut alia multa, a Græcis petita esse,
 quibus ἰδρις *doctum ac peritum* significat. Non minus copiose
 cap. XIIIX, XIX, XX, de Orpheo, cap. XXIX, XXX, XXXI,
 XXXII, XXXIII, de Sibyllis, atque Sibyllinis oraculis tradit, ac
 pag. 176 ita pronunciat: *Si de Sibyllinis, & quæ passim apud scri-
 ptores memorantur, oraculis sententiam dicere jubeam, sæpenu-
 mero sane fraudes & casum, sed ista quoque tria interdum (nem-
 pe Deum, quo non indignum sit casus magnos, & mutationes
 rerum publicarum variis modis mortalibus prædicere, malorum
 Dæmonum ludibria, ac denique furorem naturalem fortiolemque
 imaginationem) in aliis quidem aliud, principii loco fatebor me
 agnoscere.* Quod vero ad quartam Virgilii eclogam attinet, non
 Sibyllæ oraculum, sed Hesiodi fabulam de quatuor mundi ætati-
 bus respici, late pag. 182 seq. ostendit. Speciatim cap. XXXIII
 de Sibyllinis, quæ hodie extant, judicium suum exponit, quod
 eo redit: non hac collectione libros Sibyllinos Tarquinio obla-
 tos, nec carmina Sibyllina altera, neque aliam ethnicam in-
 tegram Sibyllinorum συναγωγὴν contineri, operamque ac ole-
 um perdere, qui certæ Sibyllæ, Erythrææ alia, alia Samiæ, alia
 nescio cui alii, quæ habemus oracula adscribunt. Imo nullum

versum in hac collectione pro Sibyllino & antiquo oraculo, ante
 nativitatem Christi exaudito, haberi oportere, nisi peculiariter de eo
 ex aliis antiquioribus & indubitatis monumentis constet. Et
 quamvis partem magnam (confusam licet, & librariorum culpa
 passim depravatam) Sibyllinorum, quibus Patres usi sint, hæc
 complectatur collectio, non tamen omnia & integra Sibyllina, qui-
 bus veteres Ecclesiæ Doctores usi fuerint, ea contineri: imo vero
 & illa, quæ a Justino, & reliquis secundi & sequentium seculo-
 rum, adducantur Sibyllina, minime omnia auctores habuisse Si-
 byllas, sive mulieres fatidicas Ethnicas. Quando, & a quo, quo ve-
 ro loco conficta fuerint, non plane ipsi exploratum est; id ve-
 ro adfirmat, nec ab Ethnicis aut Judæis, sed a Christianis conficta,
 & ad confundendos Ethnicos Sibyllæ nomini falso subjecta fuisse.
 Tandem & hoc addit, neque ullo edicto Romæ pœnam capitis pro-
 positam fuisse illis, qui ea, quæ nos habemus, vel illa, quæ Patres alle-
 garunt, Sibyllina legerent, neque ab Augustino singularem quan-
 dam Sibyllinorum *συναγωγήν* concinnatam esse. Inde libro II.
 cap. I, sequ. de Homero quam accuratissime agit, & tum scripta
 ejus, diversasque eorum editiones, tum interpretes, scholiastas,
 metaphrastas, versiones, laudatores, obtrectatores & censores, &
 reliqua persequitur. Id memoratu dignum est, quod pag. 296
 tradit, Homeri, Poetarum principis, Iliadem & Odyssæam una cum
 Batrachomyomachia & Hymnis (cum nullus ante liber Græce ty-
 pis exscriptus esset) annitente Demetrio Chalcondyla Atheniensi,
 alteroque Demetrio Cretensi, Florentiæ A. 1488 in fol. Græce primum
 evulgatam fuisse, qua editione, non ubivis certe obvia, Reveren-
 di & celeberrimi senis, Esdræ Edzardi, beneficio se usum testatur.
 Neque hoc prætereundum, fuisse, qui Homerum Persice, Indice, An-
 glisce, Hispanice, Belgice, Gallice, Germanice converterint, de quibus
 pag. 300 agit. Idem evenit Æsopi fabulis, quæ in Hebraicam,
 Italicam, Gallicam, Anglicam, Hispanicam, Hungaricam, Dæ-
 nicam Germanicamque linguam, imo & dialectum Græco-bar-
 baram translatae sunt, uti infra p. 401 seq. docet. Capite VII de
 Hesiodo tractat, iisque accedit, qui eum Homero supparem, an-
 nis tamen aliquanto juniorem statuunt. Inde Cap. IX de Æsopo
 aliisque fabularum scriptoribus, & cap. X de epistolis, quæ ad

Phalaridem referuntur, ac de reliquis epistolarum Græcarum Scriptoribus, variisque earum collectionibus commentatur. Hinc cap. XI ad Theognidem, Phocylidem, aliosque Sententiarum Græcarum Auctores & Collectores progreditur, & cap. XII de Pythagora & Empedocle, scriptisque ad hos relatis verba facit, tandemque p. 469 Empedoclis Sphæram, notulis ac versione Q. Septimii Florentis Christiani illustratam subjungit. Imo vero ne Pythagoricorum apud veteres memoratorum notitia deesset, & eorum & mulierum Pythagoricarum indicem, secundum litterarum ordinem concinnatum, pag. 508 sistit. Caput XIV Legumlatores persequitur, ea potissimum ratione, ut primo de Zaleuco, Charonda, Zamolxi, Lycurgo, Dracone & Solone paulo fufius differatur, deinde celebriorum Legislatorum veterum index ad litterarum seriem digestus exhibeatur. Eodem instituto utitur capite XV, ubi de Pindaro aliisque Lyricis refert. Cujus ad scholia quod attinet, collecta ea a Thoma Magistro, & Demetrio Triclinio, ex commentariis deperditis variorum, Ammonii, Aristarchi, & ejus discipuli Aristodemi Alexandrini dicit. Equidem Gorgonem Pindari Scholiasten laudari a Michaele Neandro in præfatione ad Catechismum Lutheri Græce a se redditum, pag. 67; sed id ex male intellecto initio scholiorum ad 7 Olympionic. ortum esse. Neque approbatur ipsi judicium auctoris Bibliographiæ Curiosæ, Jo. Henr. Bœclero a plerisque tribui solitæ, cui Scholiastes Pindari est vilissimus omnium, & in quo pauca majoris momenti reperiantur. His confectis, cap. XVI de Thespide & Æschylo, cap. XVII de Sophocle, & cap. XVIII de Euripide commemorat, in quorum recensendis scriptis singularem diligentiam adhibuit. His cap. XIX subjungitur Tragicorum, quorum perierunt fabulæ, notitia ordine alphabeti digesta. Caput XX Herodotus, Historiarum Scriptor, & XXI Aristophanes Comicus occupant, quos cap. XXII Comicoꝝ deperditorum notitia, eodem quo Tragicorum modo disposita excipit. Capite XXIII de Philosophis plerisque ante Socratem, tum de Socrate, Cebete, (cujus Tabula ab Ambrosio de Morales, Petro Simone Abril, & Gundisalvo Correa Hispanice, ab Augustino Mascardo Italice, a Jo. Davies Anglice, a Bellegardeo Gallice, a Jacobo Georgio Schulzio Ger-

Germanice, a M. Antonio Gillis Belgice conversa est) & aliis quibusdam Socraticis agit. Inter scriptores ante Socratem numerat quoque Heraclitum Ephesium, cognomento σκοτεινόν, miraturque in Morerii Lexico, etiam nonæ editionis, Heraclitum Hesiodi, Pythagoræ, Xenophanis, & Hecatæi, quibus omnibus fuerit junior, præceptorem venditari. Scripsisse ipsum unicum opus, sed cujus varios titulos, sive potius elogia, ex Laertii IX, 12, in Δηλίσ κολυμβήϊς referat Suidas, idque non numeris adstricta, sed soluta oratione. Falli proinde monet Nicolaum Le Nourry in Apparatu ad Bibliothecam maximam Patrum, utpote qui existimaverit, versus Heracliti Jambicos a Clemente lib. IV Strom. p. 494 adduci. Ibi enim non Heracliti versus commemorari, sed dictis Heracliti soluto sermone conceptis a Clemente subjici versus Tragici alterius: neque locum Plutarchi lib. de Oraculorum defectu pag. 415, ὡς περὶ τὰ Ἡρακλείτη καὶ τὰ Ὀρφείως Ἰπνευομένην ἔπη, eruditum alias interpretem accurate reddidisse: *quæ ut Heracliti & Orphei versus invasit*; vertendum enim fuisse: *Quæ ut Heracliti scripta & Orphei versus invasit*. Toto etiam cœlo aberrare elegantissimum Menagium, in notis ad Laertium p. 395 editionis Wetstenianæ, nostrò Heraclito tribuentem libros, quos commemorat Plutarchus in commentario contra Colotem, pag. III5, τὸν Ζωργάσην, τὸ περὶ τῶν ἐν αἶδρα, τὸ περὶ τῶν Φυσικῶς ἀπορρυμάτων: manifestum quippe esse, eo loco Plutarchum de Heraclito quodam juniore Peripatetico agere. Sed & in eo Menagium rationem fugere addit, quod subjungat, Heraclitum Ephesium etiam scripsisse libros περὶ πολιτείας, & Diodotum Grammaticum negasse, quod volumen περὶ Φύσεως esset Heracliti. Nam in illo ipso opere Physico Heraclitum ait περὶ πολιτείας egisse, atque ita quidem, ut Diodotus sibi persuaserit, quæcunque de Natura præmiserat, consideranda esse tanquam partem minus principalem. Cap. XXIV de Hippocrate ejusque discipulo Polybo dicit. Exhibet hoc loco epistolam Theophrasti Renaudoti ad Andream Dacerium *de exiguo operæ pretio, quod ex versionibus Syriacis & Arabicis ferri potest, ad emendandum & illustrandum Hippocratem aliosque scriptores Græcos, præsertim Medicos, ex Gallico in Latinum sermonem a se translata.* Caput XXV Thucydidi &

Ctesia; caput XXVI decem celebrioribus Oratoribus Atticis, Antiphonti, Antocidi, Lysia, Isocrati, Isæo, Lycurgo, Demostheni, Æschini, Hyperidi ac Dinarcho, nonnullisque aliis, qui obiter commemorantur, consecratum est. Tandem *emendanda & addenda quædam* subjiciuntur. Nos vero libenti prolixoque adfectu exoptamus, ut celeberrimus Auctor secundis rebus tantaque valetudinis prosperitate utatur, quanta ad reliquas exquisitissimi instituti partes perficiendas, ac cætera ingenii monimenta perpolienda requiratur.

DE ECCLESIASTICÆ HIERARCHIÆ ORIGINIBUS
Dissertatio, Auctore D. BENEDICTO BACCHINIO
Monacho Benedictino-Casinenfi.

Mutinæ, typis Antonii Capponi, 1703. 4.

Constat 2 Alph. 4 Plag.

UT argumentum nobilissimum, a tot hæcenus viris doctis pertractatum, nec exhaustum tamen, aut undequaque vere explicatum, in se quoque perscrutandum susciperet Doctissimus sapiusque nobis ex merito laudatus *Benedictus Bacchinus*, singulari se occasione inductum ipsemet in Præfatione profiteretur. Nimirum cum in Bibliotheca Serenissimi Ducis Mutinensis, in *Agnetti*, qui circa dimidium seculi noni de Ravennatis Ecclesiæ Pontificibus scripsit, codicem manuscriptum incidisset, dignum reputavit opus, quod suis observationibus ac dissertationibus illustratum, publici juris faceret. Jamque ad Vitam Joannis Episcopi cognomento Angeloptis pervenerat, legeratque, quæ de præstito per Valentinianum Augustum Joanni isti privilegio narrantur, cum in eam se necessitatem conjectum intelligeret, ut celebrem de antiquitate Juris Metropolitanæ Ravennatis controversiam ipse quoque discuteret, cumque Ravennatis Metropolis origo definiri certo vix posset, nisi totius Hierarchiæ Ecclesiasticæ initia essent explorata, factum ita est, ut paulatim a singularibus ad universalia progrediretur, atque sic rem omnem summo studio perquirenti nasceretur tandem eruditissimus hic tractatus, in tres divisus partes, quarum I universæ Hierarchiæ Ecclesiasticæ, II Metropoleum

Italiæ, III speciatim Juris Metropolitanæ Ecclesiæ Ravennatis originem exponit.

Quod nimirum ad primam ipsius Hierarchiæ originem attinet, agi de ea solet a quamplurimis, sed varie, & si verum dicendum cum Bacchinio nostro est, valde ambigue, ut ubi consistas, difficulter invenias. Equidem communis fere ea sententia est, Hierarchiam primum ad normam Romani Imperii constitutam, imo Apostolos ipsos ad civilium provinciarum formam Ecclesias fundasse: ast ubi ad specialia devenitur, rem involvi satis & impeditè tractari, etiam ab eruditissimis videas, & in diversa abiri. Alii non tam ad ipsum Romanæ politiæ statum, in constituendis Metropolibus Ecclesiasticis, respexisse Apostolos fatentur, quam ad urbium celebritatem & frequentiam. Alii ubivis Ecclesiasticas Metropoles ab initio fuisse autumant, ubi provinciarum veterum Metropoles apud profanos auctores laudentur. Alii nec ubique tamen, nec semper id factum, sed ab ea regula subinde, ob quas-cunque causas, Apostolos exorbitasse agnoscunt. Mirum vero, etiam ex iis, qui Apostolos ipsos Ecclesiarum fundatarum statum ad Romanum civile Imperium attemperasse censent, esse qui, ubi Imperii statum designare volunt, talem proferant, qualis nonnisi circa quarti seculi initia obtinuit; cum tamen ab Apostolorum & Tiberii ævo, usque ad Constantini M. ætatem, plures Romanum Imperium vices passum fuerit. Itaque rem omnem, quam penitius inquireret, dignam Bacchinus judicavit, ea tamen cautione adhibita, ut cum sibi cum viris magni nominis rem fore nosset, invidiæ declinandæ causa, & ex modestia, dissentientium nomina plane suppressenda censuerit, allegasse tantum eorundem scripta contentus. Aggressus ita rem ipsam, dum Parte I, quæ maximam totius operis constituit, Hierarchiæ ipsius originem evolvit, id agit magna industria, ut opinionem vulgatam, qua provinciarum Romanarum statum præ oculis habuisse, in fundandis Ecclesiis Metropolitanis, Apostolos credunt, ex animis hominum evellat, eumque in finem Capite I Imperii Romani formam, qualis Apostolorum ævo viguit, accurate describit, ineptamque plane ostendit, ad quam Petrus Apostolice alii accommodare se, in constituendo Ecclesiarum jure atque ordine, potuissent. Ubi, ut

Pars I.

C. I.

ex multis unicum attingamus, speciatim docet, Metropoles Romanis dictas, non quod provinciæ Proprætor aut Proconsul apud eas resideret, sed vel quod olim Regum sedes fuissent, vel ex Augustorum solum liberalitate. Ex quo factum etiam, ut ea prærogativa, jam in una provincia pluribus urbibus, jam uni civitati in pluribus provinciis fuerit concessa. Capite II eadem fini Judaicæ

C. II.

Gentis statum ac civilem politiam, ejusque varias vices, justo commentario exhibet, alte exorsus, nec solum, qualis Apostolorum ævo, sed etiam ab ipsis initiis, Reipublicæ conditio fuerit, quantaque populi illius frequentia per Orientem universum paulatim diffusa, utque extra Palæstinam etiam Judæi, ubi incolebant frequentius, suis legibus fuerint usi, suisque Synedriis gavisi, ita tamen, ut Hierosolymam pro Metropoli habuerint, ejusque Synedrii magni majestatem, etiam tributis oblatis, agnoverint, late edifferens. Ubi curiosæ quamplurimæ observationes & notatu dignissimæ se offerunt, sed a nobis silentio prætereundæ, quia habenda brevitatis ratio.

C. III.

His ergo præsuppositis, Capite III suam tandem sententiam proponit, vulgarique explosa, tres ante omnia periodos propagatæ religionis Christianæ constituendas censet, primam, cum solis Judæis Evangelium annunciaretur; alteram, cum Gentiles etiam iis in locis, ubi frequentes habitabant Judæi, admissi fuere; tertiam, cum Gentilibus promiscue, etiam ubi rari aut nulli Judæi inveniebantur, Evangelii doctrina patefieret. In prima ergo periodo, quin Ecclesia Hierosolymitana eminuerit, quam etiam aliæ in Judæa, ubi Synedria erant, velut metropolitanam agnoverint, Judæorum politiæ accommodata, dubitandi locus non est. Qua occasione, inter alia, Reverendus Auctor antiquissimi Scriptoris Apollonii, teste Eusebio Hist. l. 5 c. 18, traditionem, quod Servator Apostolis suis præceperit, ne intra duodecim annos Hierosolymis excederent, a qua recentes rerum Ecclesiasticarum Scriptores magno consensu recesserunt, recte explicatam tuetur. In altera, ubi Gentiles Judæis mixti Evangelii luce collustrati sunt, cum Judæorum tamen habita ratio præcipua fuerit, moribus Judæorum plurimum quoque dandum fuisse, Auctori vero est persimile. Ita in Oriente primum quidem Antiochiæ, deinde Alexandriæ, in quibus urbibus & frequentiores Judæi habitabant, & illustrius suis
le-

legibus utebantur, primæ sedes fundatæ sunt, quibus Ecclesiæ Christianæ aliæ, tanquam metropolitanis, essent obnoxia: in Occidente vero Romæ, & quidem tanquam in centro unitatis, princeps omnium sedes constituta, ubi & Judæorum magna frequentia, & Gentilium omnis superstitione convenerat; ad quam fundandam ac ordinandam, Apostolorum primi summique, Petrus ac Paulus, Coepiscoporum instar, ita tamen ut utriusque verticis jura solum a Petro in Successores, Romanos Pontifices, fuerint transmittenda, symbolam suam contulerunt. In tertia periodo, cum ad Gentiles, etiam ubi Judæi aut nulli, aut perpauca commorabantur, Evangelii gratia emanasset, fundatæ certe & ab ipsismet Apostolis, & ab eorum Successoribus Ecclesiæ fuerunt, nec paucæ, sed quæ Romanam unicam pro Metropolitana venerarentur: quemadmodum nec alii ad veritatis lumen Gentiles convertebant, quam qui a Petro & Successoribus Episcopali characterè insigniti, eumque in finem missi fuissent. Ut adeo diversa satis in fundandis per Orientem & Occidentem Ecclesiis methodus notari mereatur, cum per Orientem Episcopi non constituerentur, nisi postquam ex pluribus, partim Judæis, partim Gentilibus, Ecclesia jam coaluisset, per Occidentem a Romana Sede Episcopi crearentur, qui in Italiæ, Hispaniarum, Britannia, Africa, Gallia, Germaniæ regiones missi, Gentiles converterent, & Ecclesias regendas sibi fundarent demum: unde perpetua illa novarum Ecclesiarum erga Sedem Romanam, cujus auspiciis velut coloniæ fuerant conditæ, tanquam matrem ac metropolin reverentia. Atque hæc, pro instituti nostri ratione, brevis summa est Bacchinianæ de Originibus Hierarchiæ Ecclesiasticæ sententiæ. Nam quin successu temporis insecutæ sint mutationes, & paulatim, in primis postquam Imperatores ipsi religioni Christianæ nomen dedissent, multum ex forma civili trahere sacrarum dignitatum momenta cœperint, vel istæ Archiepiscoporum Constantinopolitanorum molitiones, ex sede Imperii Orientalis Primatum vindicantium, atque tot de honoris prærogativa & parœciarum finibus contentiones ac jurgia abunde comprobant. Sub finem meminit quoque recentiorum quorundam Auctor, qui conficto quodam Gentilium sacrorum systemate, ad ejus exemplar primas

Ecclesiarum sedes Petrum composuisse arbitrantur : sed eam sententiam indicasse, censet idem quod confutasse.

Pars II.

Ad Partem ergo Secundam progressus, cum nullæ ab initio Ecclesiæ Metropolitanae jure in Orbe Occidentali, præter Romanam, fuerint gavisæ, amplificata autem sensim re Christiana, plures emerferint, etiam in ipsa Italia, de harum speciatim originibus certiora prodere annititur. Itaque Italiæ primum civilis facta, variasque divisiones, quas per tria priora a nato Christo secula passa est, prosequitur, ut doceat, recentiora omnino esse Metropolitanum Italicarum jura, quam censent illi, qui eas ex provinciarum civilium numero atque forma, qualis tamen quarto demum seculo fuit, metiuntur. Cumque Mediolanensis in primis Ecclesiæ, a D. Barnaba quippe, ut putant, fundatæ, Metropolitanæ auctoritatis antiquitas celebrari valde soleat, quam incertis omnium fundamentis nitantur, ostendit, ut Mediolanensium etiam Episcoporum Catalogum inconstantia ac hiatus arguat. Res omnis denique eo redit, ut evincatur, in universa Italia, præter Romanam, Metropolitanam nullam ante Synodum Nicænam fuisse, nec Mediolanensem ante D. Ambrosium. Subjicit Clarissimus Auctor, quod ad præsens argumentum spectet, vexatissimi sexti Canonis Nicæni, ex typo Hierarchiæ Ecclesiasticæ, qualis Nicæni Concilii tempore fuit, expositionem suæ hypothese convenientem, indignatus haud obscure Ruffino interpretibusque aliis, qui dum ad suorum temporum rationem & opinionum præjudicia respererunt, Canonem per se non obscuro, pro luce caliginem offuderunt.

Pars III.

Tertia Pars paucis absolvitur, etsi ejus causa totus apparatus fuerat instructus. Nempe ex dictis jam colligere est, juris etiam Ravennatis Metropolitanæ initia serius esse constituenda, quam ab Hieronymo Rubeo Historiarum Ravennatum scriptore non solum sed Salmasio quoque, Marca aliisque factum. Non dissimulavit Reverendus Auctor, præeuntem in sua sententia se habuisse aliquo modo Cardinalem Norisium, qui in Dissertatione de Synodo V Oecumenica cap. 10, ex D. Petri Chrisologi Sermone 175 in Marcellini Vicohabentini Episcopi ordinatione habito, tunc primum

num docet Ravennatem Ecclesiam jure Metropolitano fuisse ornata. Attamen rem omnem ab Agnello suo demum clarissime expediri tradit, qui in memorato supra de Ravennatis Ecclesiae Pontificibus opere ubi Johannis illius, cognomento Angeloptis, qui immediate Petrum Chrisologum praecessit, & Bacchinio conjectante, anno 432 sedere coepit, anno 439 defunctus, vitam persequitur, expresse narret, illo ipso Johanne Episcopo sedente, Ecclesiae Ravennatensi a Valentiniano Augusto XIV civitates cum Episcopis subditas, primoque illi Pallium in signum Metropolitanis juris concessum. Ut adeo primus Ravennas Metropolitae Joannes Angeloptes fuerit, ejusque successor Petrus Chrisologus primus, quem axiomate ipso facto usum, ex Marcellini Vicohabentini ordinatione novimus.

CATALOGI AUCTORUM, QUI LIBRORUM Catalogos, Indices, Bibliothecas, Virorum Literatorum Elogia, Vitas aut Orationes funebres, scriptis consignarunt, Auctarium, ab ANTONIO TEISSERIO, Uno e viginti sex Academiae Nemausensis, adornatum, sive ejusdem Catalogi Pars altera, continens ferme bis mille quingentos Auctores.

Genevæ, sumptibus Chouet, G. de Tournes &c. 1705. 4.
Alph. 2.

Cum primum Nobilissimi Teisserii Catalogum in Actis nostris, Suppl. T. II Sect. 1, ex merito commendaremus, utile futurum credidimus, si librariae rei studiosi, quæ in eo notata non inveniant, aut quæ nova prodire cernant, ad istam pertinentia, diligenter isti allinant. At eo labore levavit quodammodo curiosos industrius Auctor ipse, edito nuper admodum lecupletissimo ejus operis supplemento, totidem ferme iterum, quot ipsum continere tum diximus, auctores, nempe circiter bis mille quingentos, complexo. In hoc, quod & alteram operis partem vocari cupit, eundem, quem in prima parte, ordinem servat, & indices itidem undecim accuratissimos adjicit. Quos vero titulos asteriscis no-

notavit, eos sibi a Vincentio Placcio, τῶν ὄντων ἐν ἀγίοις, fuisse communicatos, gratus profitetur p. 265. Cæterum non eos tantum libros hic recenset, qui sub prelo jam sudarunt, sed & hos, qui in manuscriptis adhuc latent, aut propediem expectantur. Sic *Casenovii*, Galli, librum de lingua Provinciali ejusque Poetis, p. 37; *Charlæti*, Canonici Divionensis, Historiam Diœceseos Lingonensis, cui adjungetur Catalogus virorum doctorum, plus quam sexcentorum, ut & aliorum virorum, qui tam in toga, quam sago clari fuerunt, p. 40; *Christophori Hendrichs* Pandectas Brandenburgicas, p. 45; *Cornelii a Beughem* tum alia, tum & Bibliothecam Bibliothecatam, qualem hic exhibemus, p. 53; *Georgii Calixti*, Professoris quondam Helmstadiensis, librum de Historiarum scriptoribus, propediem edendum, p. 89; *Joannis Baptiste Capponi*, Medici Bononiensis, Bibliothecam Medicam, cum Notitia Manuscriptorum totius orbis, aliaque, p. 130; *Joannis Groningii*, J. U. D. Wismariensis, Antiquam & Novam Wismariam, in qua stentur nomina Literatorum, qui jam ab aliquot sæculis in illa urbe floruerunt, eorum effigies, vita, bibliothecæ & scripta, p. 148; *Martelli*, Secretarii Academiae Tolosanae, Vitas illustrium virorum, qui Tolosæ floruerunt, p. 196; *Richardi*, Presbyteri, Regis Galliae Historiographi, Historiam Academiæ Gallicarum & Academicorum, qui in illis floruerunt, p. 235; *Valerii Zani*, Bononiensis Academici Gelati, Bibliothecam Bononiensem auctiorem, p. 260; & *Ottonis Sperlingii*, junioris, Catalogum Scriptorum Historiæ Danicæ & Suevicæ, qui brevi expectetur, p. 270, aliquando editum iri testatur. Qui typographici quandoque errores, ob absentiam Auctoris celeberrimi, Berolini nunc commorantis, irrepsere, facile emendari poterunt. Ita enim e. g. pro Rechenbero & Rechembero p. 3 Rechenbergium; pro Burcardo Golth. Struvio p. 32 Burcard Gotthelf Struvium; pro Georgio Schluberto p. 86 Georgium Schubartum; pro Meimbonio p. 109 Meibonium; pro Mart. Zeidlero p. 200 Zeillerum; pro Th.

Creeck p. 254 Creech substituendum esse, unusquisque videt.

A C T A ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Augusti, Anno M D C C V.

ARCHIVORUM VETERIS TESTAMENTI LIBRI
Tres. Autore P. SCIPIONE SGAMBATO,
Neapolitano, Societatis Jesu.

Neapoli, apud Michaelera Aloysium Mutium, 1703. fol.
Alphab. 6.

Diligentiam, quam in Veteris Testamenti Apocrypha impendere Maxime Reverendum Jo. Albertum Fabricium, in Actis A. 1703 p. 382 memoravimus, quodammodo antevertisse, licet alia paulo methodo alioque instituto, videtur Eruditissimus præsentis libri Auctor, qui omni studio id egit, ut, quæ passim allegantur, scripta ad Vetus Testamentum ab aliquibus relata, sed Pontificiis ipsismet haud diffitentibus, Divina auctoritate haud gaudentia, Ecclesiæque testimonio destituta recenseret. Qui ipsius labor variam quidem expertus fortunam est, antequam ad Eruditorum manus perveniret. Editionem namque cum moliretur ipse Auctor, miro fato mente deturbatus, plurimos per annos obscurum pulvereque obsitum opus jacere permisit. Sed Thomas Strozza, Socius Jesu, Societatis suæ gloriæ & publicæ Eruditorum utilitati consulturus, e tenebris id protrahere, post istius mortem, aggressus est, quanquam successu itidem parum secundo, cum post factum impressionis initium & ipse expiraverit. Hinc tandem obstetricantes illi manus præbuit felicioribus auspiciis Dominicus de Georgio, Utriusque Juris Doctor Neapolitanus, cujus liberalitati ac industriæ editionem deberi, in directa ad ipsum dedicatione palam profitetur Jo. Hieronymus de Onuphrio.

Primarium vero negotium cum Veteris Testamenti Viros sapientia illustres eorumque monumenta ac libros respiciat, haud inconsultum duxit Noster, de lingua his familiari prolixam satis tractationem præmittere. Hanc itaque Hebræam fuisse uti constat, sic de eadem capitibus in non unis docte disseruit. Vindicata nimirum ejus antiquitate linguarum quarumcunque aliarum originem multum superante, plura in medium affert de germana ac propria illius scriptura, quam Assyriacam vocat, ipsamque illam fuisse statuit, qua nunc in Hebraicis scribendis communiter utamur, cui Transfluvianam opponit, seu Samaritanam, quæ vilior sit ac vulgaris. Veterem interea scripturam dici Assyriacam ea propter inquit, quod eandem in Assyria a parentibus Abrahamus hauserit, ac inde secum in alias oras attulerit, ut ut ipse forsan, posteaquam Euphratem transierit, recentiore excogitasse credendus sit.

His prælibatis, ad ipsos Veteris Testamenti Sapientes sese confert, & post pauca, quæ de singulorum libris genuinis monet, apocrypha potissimum eorum scripta enarrat. Liber *primus*, antequam ad homines descendat, Deum & Angelos scriptores introducit. Ac Deo certe præter libros allegoricos, & in his præcipue Librum Vitæ, apocryphos etiam attribui observat, quales illi tres, quos pro tribunali sedens quolibet anni initio aperire vulgo Judæis perhibeatur. Angelorum apocrypha facit Scientias Divinas atque utiles, Scientias exotericas & malas, Phylacteria, Dispositiones Angelorum, Librum Jaldabaoth, Raziel, & plures alios. Hinc ab Adami exorsus apocryphis, qualia Liber Generationum Adam, Liber Adami Primi, Psalmus Cantici in diem Sabbathi, Apocalypsis, Scientiæ, Cognitio, Testamentum Lucis; ad Sethum pergit, & ejus post alia Libros XIV, quos ipsi tribuunt Sethiani, & Libros L, quos ei liberaliter concedunt Mahometani, allegat. Succedunt cum suis apocryphis Egregori, Oannes, Thoyt ante cataclysmum sapientiæ laudem consecutus, Enos, Cainan, Henoch, Mathusale, Lamech, Noë ejusdemque uxor Bath-Enos, Cham, Japhet uxorque illius Sambetha, quæ in Sibyllinis cum marito se in arca fuisse gloriatur, Sem qui & Melchisedech, Phœnices, Heber, quorum postremus tanquam Indorum & Sinarum pater introducit, horumque adeo disciplina simul tangitur.

Liber *secundus* Viros Prophetiæ nomine claros sistit, & quæ cuius horum adscribantur apocrypha, testatum facit. Agmen inter hos ducunt Abraham, Isaac, Jacob, Joseph, duodecim Patriarchæ cum suo Testamento, Job, Moyses atque Aaron. Moysis occasione Jannem quoque & Mambrem, quem vocat, illius antagonistas, nominat, nec septem Prophetarum Gentium dememinit, quorum coryphæus uti Jobus constituatur, sic ei associari refert Eliphazum, Themanitem, Baldadum Suhitem, Sopharum Naamathiten, Elihu Filium Barachielis Buzitem, Balaamum, & hujus patrem, qui Beor nuncupetur. De Sibyllis, quæ Gentium credantur Prophetides, pauca interspergit. Hinc porro comparent longo ordine Jethro, Josue, filius Nun, & septem Prophetides Israelis, Mirjam, Debora, Hanna, Abigail, Holda, Esther; Eleazar inde Magnus Sacerdos, Phinees, Samuel, David Rex, Nathan, Gad, Achias Silonites, Iddo, Semajas, Salomo, Agur, Lamuel, Elias, Jonas, Oseas, Amos, Jehu filius Hanani, Jesaias, Sobna scriba, Ezechias, Michæas, Joel, Nahum, Habacuc, Obedias, Sophonias, Manasses Rex, Chozai Scriptor historiæ Manassis, Helkias Summus Sacerdos, Urias sub rege Joachim clarus, Jeremias, & alii usque ad Baruchum, post quem adduntur Mardocheus, Esther Regina, Assuerus Rex, Esdras, Nehemias, Tobias denique & Judith.

Posteaquam desierit apud Hebræos Prophetarum nomen, vigere coepisse ait honorificum Sapientum titulum, qui disciplinas publicis in conventibus tradiderint. Unde natæ sint Hebræorum Academiae, quas in duas veluti sectas dividit, alteram, Orientis, Babylonios & Indos, Occidentis alteram Syros, Alexandrinos, Hispanos, Italosque comprehendentem. Circa has Liber occupatur *tertius*, qui ab Academiis Babylonicis sive Orientis orditur, & Neardeana Ezechielis, Mata-Machasia, Sura, Pombo-dita quæ dictæ fuerint, declarat. Occidentales constituit Hierosolymitanam, Tiberensem, Japhneam, Biterensem, Nisibenam, Alexandrinam, & Tolitolanam. De singulis ubi nonnihil differuit, quinam in Bibliotheca Hierosolymitana reperti libri fuerint? disquirat. Porro Viros magnæ Synagogæ eorumque monumenta literaria recenset. Quid Philosophi Græco um ex fontibus Hebraicis hauserint? indagat; & seorsim Hecataeum Abderitam in-

hunc censum vocat. Post renovatam Berosi memoriam Siracidem in scenam producit, & Eleazaro, qui Ptolomæo septuaginta duos Senes ad legem Græce reddendam submiserit, laudato, de ipsismet LXX Interpretibus controversias præcipuas, quæ vulgo moveri solent, pertractat. Aristææ, utut Græcus genere fuerit, locum tamen inter scriptores Hebraicos ideo assignat, quod ejus de LXX Interpretum evocatione liber Hebraice a R. Azaria Edomæo versus proffert. Cleodemum Malchum, Agathobulum, Aristobulum, Ezechielem Alexandrinum, Phocylidem, Lysimachum, Jasonem Cyrenæum, Judamque Essenum breviter descriptos reliquis etiam associatos dat. Machabæorum liber, qui Hebræis Antiochi libellus appellatur, in Latinam linguam translatus inseritur. Denique R. Jochanan filius Mathathiæ, R. Elias cognomento Propheta, Demetrius, Eupolemus, Jonathan Filius Uzielis, Auctor Libri Sapientiæ, R. Nechonias ben Hakkana, Samuel Parvus, Ananias filius Ezechiaë, ac ultimus omnium Cœcilius Rhetor Augusti ætate celebratus, suo quisque ordine in conspectum prodeunt. Quamvis autem larga satis nominum clarissimorum seges hunc in librum constipata sit, minor tamen longe, ac in duobus antecedentibus, scriptorum apocryphorum numerus comparet, cum personas modo plerorumque nominare ac breviter delineare Autori allibuerit.

CASPARIS HENRICI HORNII, Jcti, JURISPRUDENTIA Feudalis Longobardo-Teutonica, aucta variis accessionibus, mandatis, privilegiis, consiliis, responsis feudalibus, aliisque argumentum illustrantibus.

Wittebergæ, apud J. W. Meyerum & G. Zimmermann, 1705, 4.

Constat 5. alph. 4. plag.

Opus hoc, jam ante decennium, publici juris factum est, dum illud Consultissimus Autor, Dissertationibus Academicis, in cathedram produxit. Cum vero Exercitationum illarum exempla deficerent, subinde ab illis, qui ejus Scholas frequentare soliti sunt, interdum & ab aliis admonitus, de repetenda illarum editione cogitare cœpit, quod propositum, tardius quidem, sed ita tamen executus est, ut quamplurima posthæc lecta & observata ad-

diderit, multa etiam emendaverit immutaveritque, adeo ut plane alia facie & habitu liber jam in lucem prodeat. Secutus est, in hoc opere Examen Juris Feudalis Strykianum, ut illud etiam commentarii in hoc vicem subire queat. Primo itaque de origine & auctoritate Juris Feudalis ac Jurisprudencia Feudali differit, postea naturam, definitionem & divisionem Feudi, ac in specie, Feuda propria & impropria explicat, tum ad personas Feudum concedentes, & acquirentes, nec non nuptias & tutelam Feudalem progreditur. Quibus expositis, res in Feudum dandas, Regalia, ac in specie Regale metalli fodinarum jus expendit, explicatis etiam servitutibus, Feudo impositis. Inde ad modos constituendi & acquirendi Feudum, ac speciatim, ad præscriptionem feudalem, & investituram, juramentumque fidelitatis, investituræ annexum, descendit. Quo labore peracto, dispositionem testamentariam circa feuda, successionem descendentium, ascendentium, collateralium, legalem & pactitiam explanat, eique tractationi renovationem investituræ, Laudemium, obligationem & contractus, qui inter Dominum & Vasallum occurrere solent, revocationem feudi alienati, & obligationem feudalem, ex quasi contractu, denique modos, quibus obligatio feudalis solvatur, ac delicta feudalia conjungit, totique operi, actionum feudalium judicii & processus feudalis explicatione, finem imponit. Ubique autem istum scopum habuit Consultissimus Autor, ut cupidæ legum juventuti rationem monstraret, qua, inter tam varia jura, partim in patrio solo nata, partim peregre, ex Italia, allata, quibus Germania etiam, circa beneficia, utitur, iter ingrediendum, ut ad habitum illum, quem Jurisprudenciam Feudalem dicimus, perduci illa possit. Quamobrem non tantum quid Longobardis placuerit, verum etiam, quæ Saxonum, aliorumque Germaniæ populorum, instituta antiqua fuerint, ac sub nomine Alemannici vel Suevici juris feudalis, innotuerint, explicare, simul vero etiam, quid Imperatorum & Regum Romano-Germanicorum constitutiones, atque Imperii nostri leges, tum antiquæ, tum recentiores, tum denique provincialia jura, Electoralium præsertim Saxonicarum terrarum, & vicinarum his regionum, in recessu habeant, quidve tam circa feuda Imperii, quam alia, usus fori & praxis servet, tradere annisus est, prout ipse in præ-

fatione, Lectores hæc edocet. Nonnulla saltem exempla, ex quibus alia dijudicare liceat, adjiciemus. In Capite octavo §. 51 de jure Palatinorum differit, ac inter alia de Palatinatu Saxonico refert, quod idem, ab Imperatore Sigismundo, in Fridericum Bellicosum, Misniæ Marchionem, cum Ducatu & Electoratu, nec non Arce & Oppido Altstedeo, ubi frequentissime olim Palatini jus dixerint, fuerit translatus, adeo ut, vi Aureæ Bullæ & investituræ Sigismundi, cum dignitate Electorali ita coaluerit, ut ab ea nunquam separari queat, unique soli Potentissimo Electori Saxonix proprius sit factus. Atque ob hanc causam factum esse, porro arbitratur Noster, ut a Friderici Bellicosi tempore, Serenissimi Electores Saxonix, Palatinorum Comitum titulo uti, supervacuum crediderint. Electorali dignitate, a linea Ernestina, in Albertinam translata, Palatinatum Saxonicum, eadem quoque fata oportuisse experiri, amplius censet Consultissimus Autor, cui etiam non obsit, quod oppidum Altstedum, lineæ Ernestinæ fuerit restitutum, cum ab oppido illo, Palatinatus nunquam dependerit. In Capite nono, regale metallifodinarum jus prolixius nonnihil persecuturus, præsupponit, totum terrarum orbem a Deo Adamo & Evæ fuisse concessum, adeo ut, sine Dei & Protoplastorum consensu, nemo quicquam sibi asserere potuerit; dominium porro universale ad posteros esse devolutum, ut talis communio inter eos extiterit, qualis inter plures cohæredes esse solet, exceptis saltem iis, quæ, vivo Adamo, alicui jam propria facta essent. Quia vero ista communio, aucto genere humano, diu durare non potuit, ea familiæ herciscundæ ratio inita est, ut quilibet illa, quibus ad sustentandam familiam, opus haberet, retineret, reliqua vero in medio relinquerentur, atque haberentur pro derelictis, & cujuslibet paterent occupationi: hinc, ex sententia Nostri, pacto minimum tacito, ex rebus communibus, fuere factæ nullius. Ejusdem ergo, cujus ceteræ res, conditionis fuerunt quoque metalla: hinc qui fundum vacuum occupat, etiam metallorum, sub illo latitantium, dominus existimandus est, & quidem non tantum extra civitatem, sed & regulariter in civitate. His præsuppositis, Excellentissimus Autor docet, quod jure Romano quædam metallifodinæ publicæ, aliæ vero privatæ fuerint; sed in Germania Regalibus indistincte sint an-

annumeratæ: id quod cum aliis, tum metallifodinarum Saxoniarum, & in specie Freibergensium, exemplis amplius declarat. Postea inquit in veritatem sententiæ illius, qua multi Doctores Saxonici, in terris Electorum & Ducum Saxoniarum, usu receptum esse existimant, ut is, qui de feudo, cum jurisdictione superiore & inferiore investitus est, metalla viliora, ut cuprum, stannum, plumbum aut ferrum, in feudo suo quærere, ac reperta sibi servare queat. Absoluta hac disquisitione, partes juris metallifodinarum adducit, ac, ostensa Statuum Imperii, fodinas auri argentique in suis territoriis possidentium, præ cæteris, qui illis carent, quoad rem monetariam, prærogativa, ostendit, qua lege, in fundis alienis, metalla hodie scrutari liceat, adjiciens, in terris Potentissimi Electoris Saxoniarum, Magistros montium, auri quoque fodinas probabiliter concedere posse, id est, potestatem ipsis esse datam, *auff alle metalle berckwerck zu verleihen*. Cum igitur ab Imperante & Republica, metalli fodinæ, certis conditionibus, in privatos deveniant, ideo varia negotia eo nomine intercedere solent, quorum indolem deinceps Noster explicat. Inter illum igitur, qui metallifodinas concedit, & fodinarum cultores, *denen gewercken*, contractum velut emphyteuticum celebrari, & metallifodinas minime pro feudis haberi posse, censet. Inter ipsos autem fodinarum exercitores, societatis contractum, cui tamen singularia, quædam insint, esse arbitratur. Quoad dominum denique fundi, qui agrum ad fodiendum, sub conditione accipiendæ portionis hæreditariæ, *eines Erbkukus*, concedere debet, & fodinarum exercitores, negotium extraordinarium subesse, ex eoque actionem in factum oriri, existimat, ac de libro metallico publico, *dem Gegenbuch*, ut & de salinis ac thesauris, coronidis loco, nonnulla adjicit. Circa accessiones, quibus Consultissimus Autor, tractatum hunc feudalem augere & exornare voluit, nihil aliud nobis agendum videtur, quam ut syllabum earum exhibeamus. Præter dissertationem itaque, de Feudo Franco, quæ tractatui ipsi inserta est, in Appendice prima habetur (1) Mandatum feudale Joh. Georgii IV, cum mandato Joh. Georgii I, quorum illud de renovatione investituræ, hoc de alienatione feudorum agit. (2) Mandatum feudale Serenissimi ac Potentissimi Regis Poloniae & Electoris Sa-

xoniæ Friderici Augusti de dato Thorun. 4 Jan. 1703. (3) Forma investiturarum, in Curia Electorali feudali Saxonica. (4) Formula dilationis pupillaris in Aula Electorali Saxonica. (5) Formulæ novæ decisionis de signis feudi hæreditarii & fœminini. (6) Marchionatus Lusatia Inferioris Privilegia, a Ferdinando I & Maximiliano II eidem concessa. (7) Rescriptum Serenissimi Principis Christiani, Saxoniae Ducis, de clausula liberæ dispositionis, literis novis investiturarum inserenda. (8) Tabulæ investituræ Cæsareæ, super quibusdam bonis, officio hæreditarii Janitoris Imperii annexis, quas illustris stirps Wertherorum accepit A. 1698. (9) Formula pactionis feudalis, *lehn reverses*, qua simultanee investiti concedunt illi, qui eos admittit, liberrimam de feudo dispositionem. (10) Programma Academicum, quo quæstio excutitur: utrum Comes Palatinus veniam ætatis, in territoriis Ordinum Imperii, impertiri queat. (11) Aliud, quo discutitur quæstio: utrum jus primogenituræ in testamento prohiberi possit, & si a majoribus prohibitum, num novus jussus parentis, de eo introducendo, liberos obliget? In Appendice secunda exhibentur (1) Consultatio de Principatu Olsnæ in Silesia: utrum feudum proprium sit, an improprium, & quidem tale, quod fœminas admittat? conscripta a Georgio Franzkio A. 1647. (2) Consultatio pro Serenissimo Principe Dn. Adolpho Friderico, Duce Megapolitano, qua quæstio, utrum jus primogenituræ & linealis successio, an vero ordo succedendi, secundum propinquitatem, in hac Familia Serenissima, locum inveniat? excutitur, ac posterius affirmatur. (3) Viginti alia Responfa Juridica, nomine Facultatis Juridicæ Witembergensis, maximam partem emissâ.

D. LUDERI MENCKENII P. P. DISSERTATIONES JURIDICÆ. ACCEDUNT V DECADÉS CONTROVERSIARUM & XII PROGRAMMATA CUM INDICIBUS NECESSARIIS.

Lipsiæ, apud Emmerichium, 1705, in 4to.

Constant 5 Alph. 8 plag.

Quas per quatuor, & quod excurrit, lustra in Academia Lipsiensi publicæ ventilationi subjecit Dissertationes Juridicas, eas nunc, in unum collectas volumen, in publicam lucem edidit Con-
sul-

sultissimus Autor. Præmisit iis præfationem, qua Auditores suos alloquitur, qui aut olim ipsius lectiones frequentarunt, aut nunc iis interfunt, aut accedent in posterum, ac his imprimis linguæ Latinæ culturam, ordinisque in studio Juris servandi sedulam commendat curam. Singularum Dissertationum materias, & titulus operis, & index exhibet, ex quibus satis patet, esse eas ex omni Jure, Civili, Feudali, Canonico & Saxonico selectas, nec inanes quæstiunculas, sed themata, quorum constans in foro & quotidianus usus est, continere. Sic, ut ex iis, quæ ad Jus Saxonicum pertinent, saltim aliquas exempli causa adducamus, *Dissertatio XX* ostendit, ascendentes ad successionem feudalem adspirare non posse, nisi simultaneam obtinuerint investituram, Feudi autem, ex pacto cum simultanee investitis alienabilis, naturam prolixè exponit *Dissertatio XXVI*. Plura haud addimus, instituti nostri habituri rationem. Sed ad Decades Controversiarum progredimur. Sunt & eæ olim in Academia Lipsiensi peculiaribus Dissertationibus propositæ, ac continent quinquaginta controversias Juris varii, ita ut supplementi instar esse possint iis, qui Gymnasio Polemico Consultissimi Autoris hæcenus fuerunt usi. Singulis Thesisibus non modo consentientes dissentientesque Doctores, sed & Legum ac rationum obstantium resolutiones subjiciuntur. Tandem Dodecas Programmatum coronidis loco accedit, quibus ad Exercitia Disputatoria publica, quæ repetitis vicibus Autor noster instituit, Juventutem legum studio deditam invitavit. In quibus cum singulis fere quæstiones Forenses discutiantur, non minus, quam ipsas Dissertationes, Lectoris Benevoli desiderio ac expectationi confidimus ea satisfacere posse.

*ECLAIRCISSEMENT SUR LE LIVRE DE LA GÉ-
neration des Vers dans le Corps de l'Homme.*

i. c.

*DILUCIDATIO LIBRI DE GENERATIONE
Vermium in Corpore humano.*

Amstelodami, apud Thomam Lombrail, 1705, in 12.

Constat 3. plag.

Lustrum jam præterfluxit, postquam *Nicolaus Andry*, Doctor Medicinæ Facultatis Parisiensis, Tractatum suum *de Generatione Vermium in Corpore humano*, a nobis Anno 1700. Mense Novembri pag. 519. recensitum, publici juris fecit. Quanquam vero remedia anthelmintica inibi commendata a quibusdam Medicis, in talismodi casibus, non sine successu in usum fuerint vocata, prout testatur Epistola præsentis libello addita; non destitit tamen *Ludovicus Lemerii*, cujus *de Alimentis* Tractatum in *Actis nostris* Anno 1703. Mense Septembri pag. 396. excerptum dedimus, in Epistola ad Dn. Boudin data, nostrique itidem libelli calci adjecta, eundem false perstringere. Extitit vero alius, qui suum nomen quidem non professus, attamen Nicolai Andry in præsentis Dilucidatione causam agere, atque ad objectiones a Lemerio factas respondere sustinuit. Cum autem ad tria potissimum capita omnia ea, quæ fuerunt opposita, a Defensore redigantur, ita ut quædam in tractatu dicto quidem reperiantur, redargutione tamen neutiquam digna, quædam Authoris menti affingantur, quædam denique ceu sphalmata inter Errata jam dum fuerint notata; nos missis omnibus, ne contra morem nobis hætenus propositum agere videamur, ea solummodo, quæ pag. 15. & seqq. *de nutritione ossium & sensu medulle* Noster differit, brevibus commemorabimus. Putat enim, quanquam ossa mediantibus vasis sanguineis suum nutrimentum hauriant, absurdum tamen non esse, statuere, medullam pariter nutrire ossa. Quod si enim ossa sint solida, nec insigni cavitate prædita, qualia sunt ossicula aurium, cornua cervorum, & damarum, infundi materiam nutritiam in ipsum ossis corpus; si vero sint concava, non solum ad corpus ossis, sed & ad cavitatem eandem deponi. Foraminula enim adesse exilia in interiori ossis superficie, per quæ ex medulla ad ossis substantiam vasa ablegentur. Et quemadmodum in animalium adultorum substantia, vasa sanguinea non conspiciuntur, etiamsi revera adsint; ita existimat Noster, singula ossa medulla omnino gaudere, etiamsi hæc, propter cavitatem vel exiguam vel nullam, in conspectum minus veniat. Cum enim, qua nutritur os, sit materia oleosa, eaque maxime subtilis & depurata sanguinis, sequi exinde, hanc sive ad cavitatem sive ad substantiam ossis deponatur, dici debere medullam.

lam. Imo idem officium præstare cavitatem ossium, ad quod pennarum avium cavitas formata est, credit; siquidem hæc non solum agilitatem, vim & levitatem volucris conciliat, sed & penus vicem gerit, ex quo toti pennæ corpori nutrimentum sit pendendum. *Sensum medullæ* quod attinet, quanquam, quibus crus vel brachium abscissum est, sub ossis mutilati ligatura novi doloris sensum edant, quamprimum medullæ lintea admoventur; vel animalia ejulatus renouent, si mediante stylo ossis detruncati medulla attingatur; sensum tamen ullum medullæ competere, negat Noster. Cum enim hæc sit materia oleosa, fluida & liquida, intra vesiculas membranaceas subtilissimas inclusa, æque absurdum esse, huic sensum tribuere, ac sanguinem sentire, statuere, putat. Quando autem quidam Anatomicorum medullam per fasciculum plurimarum vesicularum membranacearum, oleosa quadam fluida & liquida materia refertarum definiunt, eundem applausum mereri eosdem putat, quem illi, qui succum citri fasciculum vesicularum membranacearum, acido & transparente liquore refertarum, esse dicunt; imprimis cum iidem asserant, medullam transpirare, per ossis texturam vehi, hocque in mortuo animali livore contaminare; quæ certe proprietates non membranaceæ texturæ, sed fluido corpori competant. Ita ut sensus non medullæ, sed ejus involucris membranaceis verius tribuatur.

JOH. BERNOULLI MOTUS REPTORIUS EJUSQUE insignis usus pro Lineis Curvis in unam omnibus æqualem colligendis, vel a se mutuo subtrahendis; atque hinc deducta Problematis de Transformatione Curvarum in Diario Gallico Paris. 12 Febr. 1703 propositi genuina Solutio.

Quartus agitur annus, ex quo solutum habui problema de *transformanda Curva Algebraica in alias innumeras Algebraicas longitudine æquales*, non diu ante mihi propositum ab egregio quodam Belgii Mathematico. Idem postea, quod viderem posse præstare insignem usum pro dimensione & comparatione curvarum, publice proposui in Diario Gallico m. Febr. 1703,

concesso totius modo tum incipientis anni decursu, spe fretus fore ut per ejus solutionem unam vel alteram, Geometria recondita incrementum esset captura non spernendum. Sed ultra præstitutum limitem (intra quem nihil solutionis comparuit) jam fere sesquiannus est elapsus, necdum tamen dedi meam solutionem; quod fateor oscitantia an oblivioni meæ imputandum, forsitan diutius duraturæ, nisi excussisset eam visa mihi nupera Clarissimi Joh. Craigii Solutio, publicata primum in Transact. Philos. Londin. anno 1704 num. 289, & postea transcripta in Acta Erudit. novissimi Aprilis.

Quid de hac solutione sentiam, mearum est partium patris prius aperire, quam meam proposuero, neque id facere verebor, cum mihi constet, Clarissimi Auctoris popularem Celeberrimum Newtonum sententiæ meæ ab Amico quodam (cui eam privatim perscripseram) intellectæ per totum suffragari. Quare non ægre laturum spero acutissimum Craigium, si, quod in ipsius solutione desidero, amice & candide proponam. Illam, utpote brevem, huc „transcribo totam: Sint, inquit, w, s , coordinatæ Curvæ datæ; & „Curvæ quæsitæ sint coordinatæ x, y : tum ex conditione proble- „matis erit $dw^2 + ds^2 = dx^2 + dy^2$. Ponatur $dx = dw -$ „ $m dz$, unde erit $dy = \sqrt{ds^2 + 2m dw dz - m^2 dz^2}$; in hac „pro ds substituatur ejus valor per w, dw & determinatas ex- „pressus: & pro dz assumatur talis valor ex w, dw & determi- „natis compositus, ut valores quantitatum dx, dy sint summabi- „les: Et sic habentur x ac y coordinatæ curvæ quæsitæ. Q. E. I.

Nihil unquam expediri potuisset brevius, non nego; sed & ipsa nimia brevitatis est suspecta; re vera enim quis quæso, vel leviter attendens, non viderit statim postulari gratis, & pro dz assumatur talis valor ex w, dw & determinatis compositus, ut valores quantitatum dx, dy sint summabiles? Postulatum hoc non minus difficile videtur quam ipsum problema, imo si illud dixero difficilius, non adeo a veritate alienum dixero; superaddit enim tacite problemati conditionem aliquam præter necessitatem, quæ hæc est, quod non tantum curvam curvæ, scilicet totam toti, sed etiam partes partibus æquales fieri jubeantur, quæ tamen posterior

conditio non exigitur in problemate; sufficit namque exhibere curvam datæ æqualem, licet partes æquales in illis determinari non possint. Exempla interim, quæ Vir Clarissimus adducit, & quæ an recte soluta, examinare nondum vacavit, non magis probant generalem problematis solutionem, quam si quis per nonnulla exempla æquationum quadratarum & cubicarum a se resolutarum contendere vellet, se monstrasse viam generalem resolvendi æquationem cujuscunque sit dimensionis.

Videtur Doctissimus Craigius ipse quodammodo agnoscere imperfectionem suæ solutionis. Sub finem enim, ubi innuit Problema Diophantæum, quo petitur *Dividere summam duorum quadratorum in duo alia quadrata, quorum latera sint rationalia*, affinitatem habere cum nostro, quod putavit necessario idem esse quam *Dividere summam duorum quadratorum in alia duo quadrata, quorum latera sint summabilia*, rectissime subdit, solutionem mei problematis communes tantum fluxionum methodos inversas requirere, & artificium in debita laterum quæditorum assumptione consistere, scilicet ut sint summabilia; quo satis nobis indicare vult, quod, quemadmodum illa fluxionum methodus inversa nondum ad perfectionem est perducta, sed immane quantum adhuc circa illam a Geometris desideratur, ita etiam solutio sua, quæ illam methodum requirit, perfecta dici non possit: artificium autem (quod ipse ita vocat) assumendi latera debito modo, ut sint summabilia, haud dubie arcanum est difficillimum. Non ergo illud in solutione generali fuisset supponendum, sed demonstrandum, quod dum fiet, meam nunc solutionem cum alio, quod me eo deduxit, novo invento communicare nequaquam gravabor.

Verum hoc loco non est dissimulandum, quod acceptum, ferimus Illustri nostro Leibnitio, felicioribus auspiciis rem aggresso. Is quippe mihi sub initium anni superioris perscripsit aliquod tentamen solutionis neutiquam paralogisticae, imo cui nihil deerat, nisi ut laborem calculi (qui ad perplexitatem haud facile superabilem deducere videbatur) tollendi modum ostenderet. Via autem, quam ineundam censuit Vir perspicacissimus, consistit in coevolutione duarum curvarum ope styli commune circumplicatum filum

tendentis & describentis tertiam aliquam curvam, quæ si algebraica sit ut & una ex evolutis, altera etiam necessario erit algebraica non minus quam ipsa etiam coevolutarum differentia semper per rectas lineas algebraice determinabilis existit. Ex quo prævidit Illustrius Leibnitiis, coevolutas posse fieri longitudine æquales, evanescente scilicet illa differentia; adeoque ut curvæ datæ algebraicæ inveniatur alia algebraica æqualis, nihil aliud faciendum esse, quam ut assumatur pro arbitrio aliqua curva algebraica (specificè tamen determinata & debite collocata) quæ præstet speculi vicem, id est, quæ tangentes curvæ datæ tanquam radios incidentes sub angulo æquali reflectat, & per eorum intersectiones causticarum more formet novam curvam algebraicam: hæc enim cum data curva faciet duas coevolutas pro assumpta illa arbitraria per filum describenda. Et quia de casu tantum speciali in calculo agitur, ut nimirum coevolutarum differentia sit nulla, debito modo assumere jubet sive speciem, sive parametrum, sive situm, sive aliud quid curvæ arbitrariæ, quo in proposito casu illa differentia evanescat, atque adeo datæ evolutæ inveniatur altera æqualis.

Amplio rem ejus rei explicationem non dabo: a nemine enim pro dignitate sua melius tractabitur, quam ab ipso Inclyto Viro, proinde humaniter rogando, ut communium studiorum bono & incremento methodum suam, hætenus non nisi levi penicillo adumbratam, perficere, & imprimis, quomodo arbitraria illa speculi vices subitura sine operoso & molesto calculo specificè determinanda vel collocanda sit, ut coevolutarum differentia evadat datæ æqualis vel nulla, compendiosam aliquam viam aperire nobis dignetur.

Mea nunc inventa daturus, præmitto Geometrarum more nonnullas definitiones & postulata.

Defin. I. Per *normales extremas* intelligo lineas rectas ac utramque curvæ alicujus extremitatem perpendiculariter ductas







TAB. VIII. Sic BN & AN (Fig. I.) sunt normales extremæ curvæ ACB.


Fig. I.

Defin. II. *Amplitudo* curvæ ad eandem partem concava est angulus, quem constituunt normales extremæ. Sic angulus BNA est amplitudo curvæ ACB.

Defin. III. *Secare* curvam in partes æque amplas vel am

pl





plitudinis equalis, est eam ita dividere, ut partium singularum normales extremæ constituent angulos æquales.

Defin. IV. Curva curvam obrepere dicitur, si mobilis super immobili moveatur motu parallelo, & interim altera alteram continuo tangat, partibus convexis sibi mutuo obversis. Mobilis autem curva vocetur *Perreptans*, & immobilis *Perreptanda*.

Defin. V. Curva Curvam subrepere vocatur, si similis fiat motus hoc tantum discrimine, quod nunc curva perreptans convexitate sua inter *rependum* tangat continuo partem concavam curvæ perreptandæ.

Ut clarius hi duo motus intelligantur, possunt quodammodo comparari cum deviatione navis, qua scilicet fit, ut dum ex gr. a Borea in Austrum vi venti fertur, interim simul ab occulto quodam aquarum motu in aliam rapiatur plagam; quo pacto duas licet concipere curvas, quarum unam uno, alteram altero latere navis perpetuo tangit, quarum proinde una a navi *obrepitur*, altera *subrepitur*.

Fingamus igitur (Fig. I & II.) curvam ACB immobilem seu perreptandam, aliamque mobilem seu perreptantem ECF, quæ posito primo vertice E in verticem A, axique EG in axem AD vel cum eo in directum, moveatur postea ECF motu parallelo per ACB, hoc est ut axis EG & sibi & AD maneat semper parallelus; habebitur fig. I. motus *obreptionis*, & fig. II. motus *subreptionis*.

TAB. VIII.

Fig. I. II.

Defin. VI. Curvam *Reptoriam* voco, quæ describitur hoc motu per punctum quodvis in plano perreptantis curvæ ECF fixum, ut ex. gr. AEH per verticem E, vel LGM per punctum G in axe.

Defin. VII. Curvarum perreptandæ & perreptantis ACB & ECF, partes illas duas AC & EC, quæ jam suum officium fecerunt, illa rependo, hæc reptionem patiendo, vocabo *partes eadem reptione defunctas*.

Postul. I. Curvæ datæ algebraicæ postulantur dari quoque algebraice tangentes & normales.

Postul. II. Postulatur Curvam datam algebraicam secari posse algebraice in partes quotcunque æque amplas.

Lem-

Lemma I. Curvis perreptanda & perreptante existentibus algebraicis, erit quoque, quæ hinc generatur, reptoria algebraica. Liquet ex postul. I & II. nam constat partes eadem reptione defunctas AC & EC esse æqualis amplitudinis, adeoque assumpto arcu AC ad lubitum posse algebraice determinari arcum æque altum EC, hinc & punctum E in curva reptoria AE.

Lemma II. Omnes curvæ reptoriæ vel quæcunque earum partes eadem reptione descriptæ inter se sunt æquales & similes. Patet hoc ex parallelismo motus; sumantur enim in plano perreptantis ECF duo quæcunque puncta describentia E & G, quibus connexis per rectam EG, manifestum est hanc rectam per motum reptionis singulis momentis translata per intervallum minimum in situm priori parallelum, descripsisse utraque sua extremitate lineolas parallelas & æquales, quæ cum sint elementa curvarum AEH, LGM, constat propositum.

Coroll. I. Tangentes ductæ ad extremitates omnium reptoriarum vel quarumcunque earum partium eadem reptione descriptarum, parallele sunt omnes tam inter se quam communi tangenti ductæ per punctum contactus curvarum vel partium eadem reptione defunctarum.

Coroll. II. Reptoria cum partibus perreptanda & perreptantis eadem reptione defunctis semper est ejusdem amplitudinis. Hinc jam fluit utilissimum, quamvis facile

Theorema I.

Omnis Reptoria vel quæcunque ejus pars est longitudine æqualis vel summæ vel differentiæ partium perreptanda & perreptantis eadem reptione defunctarum; nempe summæ, si motus fiat per obreptionem; & differentiæ, si per subreptionem.

Demonstr. Concipiatur (Fig. I & II.) Perreptans ECF progredi in situm proximum, ita ut vertice ejus E perveniente in e , punctum simul perreptantis m cadat in punctum perreptandæ n ; clarum nunc est, lineolam Ee , quæ per Coroll. I. parallela est lineolis Cn & Cm , fore illam in fig. I. æqualem summæ $Cn + Cm$, & fig. II. differentiæ earundem, $Cn - Cm$; nam per parallelismum motus fit, ut progressus puncti E nempe Ee sit æqualis distantia
pun-

punctorum n & m , quæ vero distantia, cum particulæ Cn & Cm in directum jacere censeantur, non differt ab earundem summa in fig. I, & a differentia in fig. II. Sunt vero Ee , Cn & Cm elementa suarum respective curvarum AE , AC & EC ; ergo etiam collectim sumtis elementis, erit Curva Reptoria AE æqualis in fig. I summæ perreptandæ & perreptantis $AC + EC$, & in fig. II differentia earundem $AC - EC$. q. e. d.

Scholium.

In memoriam hic sibi revocabit B. Lector, quod Illustre Virorum par, summus Leibnitijs, & acutissimus, dum viveret, Hugenius præstiterunt, introductis scilicet ab hoc *Evolutionis*, ab illo *Tractionis* motibus, non sine insigni pro notitia curvarum emolumento; sed nunc judicet pro æquitate sua, annon noster motus *Reptionis* illis duobus saltem adjungi mereatur. Sive enim ejus facilitatem & simplicitatem, sive utilitatem spectare velit, deprehendet eum in omni parte mirifice excellere. Quis enim motus facilius & simplicior, quis vero etiam ad praxin accommodatior, quam qui sibi semper parallelus est? Quantæ autem sit utilitatis, præter ardui problematis solutionem mox dandam, vel hoc arguit, quod nobis introitum referet ad abstrusiora & tantum non hæcenus desperata circa curvas cognoscenda & efficienda. Quorum unum alterumve tantum notabo: Et primo quidem, cuivis statim obvium est, quomodo datis duabus aut pluribus curvis algebraicis, facile alia nova algebraica inveniatur, cujus area æqualis sit summæ vel differentiæ arearum datarum, erecta scilicet tantum ad communem abscissam nova applicata summæ vel differentiæ datarum applicatarum æquali. At vero si non areæ, sed longitudines ipsæ datarum algebraicarum, in aliam novam algebraicam conflari, id est, inveniri si debeat curva algebraica, cujus longitudo æquetur aliarum datarum vel summæ vel differentiæ; hoc jam quod hæcenus a nemine effectum reperias, nostræ videtur reservatum methodo, rem mirabili brevitate absolventi. Etenim si primo duas ex datis curvis sumas, earumque unam obrepere facias, alteram habebis reptoriam duabus datis æqualem, ad quam si eodem modo addas tertiam datam curvam ope obreptionis denuo instituendæ,

prohibet alia nova reptonia tribus istis datis curvis longitudine æqualis, cui simili modo quartam, postea quintam, & plures porro addendo, habebis tandem unam omnibus simul curvis datis æqualem, & quidem per Lemma I algebraicam, si tales quoque fuerint datæ; sicubi vero differentia vel subtractio curvarum facienda occurrit, loco tunc obreptionis subreptionem instituendam esse, non necesse duco ut moneam.

Quæ cum ita se habeant, nulla posthac erit res ardua, curvas non tantum dissimiles, sed & diversorum omnino generum in unam (subintellige *algebraicam*, si illæ tales fuerint) colligere, vel a se mutuo subtrahere, vel partim subtrahere & partim addere; atque vel differentia, vel partim differentia, partim aggregato unam æqualem construere curvam. Sic ex. gr. non solum ellipses quotcunque dissimiles (quod tamen antea sat magnæ difficultatis fuisset) sed ellipses cum hyperbolis & parabolis per nostram methodum facile coalescent in unam, hoc est, sine magno labore exhibebo jam curvam algebraicam, quæ sola trium sectionum conicarum datarum longitudinem exæquet. Ex hisce vero deducitur sequens in abstracto propositum

Theorema II.

TAB. VIII.

Fig. III.

Sint (Fig. III.) curvæ quot \mathcal{E} qualescunque ADL , ACM , ABN , sitque alia curva APR cujus abscissa AO æqualis abscissarum summæ $AE \mp AF \mp AG$ respondentium partibus AB , AC , AD æque amplis; & applicata OP æqualis applicatarum summæ $EB \mp FC \mp GD$: Dico curvam AP equari longitudine omnibus curvis $AB \mp AC \mp AD$. Quod si vero AO esset summa abscissarum tantum aliquarum multiplicata reliquis abscissis, & similiter OP summa respondentium applicatarum multiplicata reliquis applicatis: Dico fore etiam curvam AP æqualem summæ curvarum unarum multiplicatae reliquis curvis. Ex. gr. Si AO sit $\equiv AG \mp AF - AE$, & $OP \equiv GD \mp FC - EB$, erit curvæ $AP \equiv AD \mp AC - AB$. Dico tandem etiam, in utroque casu fore curvam AP æqualis amplitudinis, cujus sunt AB , AC vel AD .

Demonstratio hujus ex præcedenti theoremate haud difficul-

te

ter colligitur: immo & immediate ex calculo differentialium directo peti potest, quare illa relicta revertor ad motum nostrum reptonum; qui hoc alterum notatu dignum nobis suppeditat, quod est inventum de dimensione linearum curvarum per circulares a me jam olim publico exhibitum in Actis hisce anni 1695 m. Aug. & Nobilissimis Duumviris Leibnitio & Tschirnhausio tantopere laudatum eod. an. m. Novemb. Quo ostendi, duas curvas eadem evolutione condescriptas per duo quaelibet foci evolventis puncta habere summam vel differentiam æqualem arcui circulari. Labet ergo nunc ostendere, quomodo hoc theorema, quod tunc singulari demonstratione muniveram, non sit nisi specialissimus duntaxat casus præsentis hujus de Reptonis.

Sit enim (Fig. IV.) curva perreptanda quæcunque ACB , sed TAB. VIII. perreptans ECG sit jam circulus; sumaturque punctum describens reptoniam LOM , in ipso centro O ; patet statim reptoniam LOM , esse hoc casu eam, quæ describeretur per evolutionem eandem, per quam describeretur ipsa ACB ; puncta enim O & C intervallo semper æquali & perpendiculari ad curvas LOM & ACB existentia, hasque proinde æquidistantes facientia, facile concipiuntur necessario esse in filo communi evolvente. Habemus igitur curvam LO per obreptionem, æqualem summæ; & per subreptionem, æqualem differentiaæ curvæ AC & arcus circularis EC , adeoque & hunc arcum utroque modo æqualem differentiaæ curvarum LO & AC . Quando vero circulus subrepens ECG minoris est convexitatis, quam curva perreptanda ACB , id est, quando curvatura circuli ECG includit curvaturam ACB , illius nempe radio majore existente quam radius circuli osculantis in C ; erit tunc differentia inter AC & EC penes arcum EC tanquam majorem, unde summa curvarum AC & LO partes concavas sibi jam obvertentium habebitur æqualis arcui circulari EC . Verum enim, vero cum parum sit naturalis & incommode peragatur motus subreptionis, ubi subrepens includit subrependam, possunt hæ vices suas permutare ita, ut nunc circulus subrependæ, illa vero subreptentis functionem obeat; sciendum quippe in genere, per conversionem perreptantis in perreptandam & vicissim, nihil in reptonia, quæ describitur, immutari præter situm.

Fig. VI.

Atque ita veritatem theorematis ex actis citatis tanquam corollarium ex novo hoc motus reptorii invento deduximus, ubi præterea notare convenit fundamentum, cur curvæ ex evolutione condescriptæ nihil aliud sint quam species reptoriarum, id quod in hoc consistit, quoniam circulus ECG ob partes suas similes, sive motu rotationis, sive motu reptionis feratur super AC, centro suo A eandem utroque modo describit curvam LOM: atqui rotando, uti notum est, fit condescripta ex evolutione: Ergo constat, quod indicare volui.

Ne vero diutius Lectorem detineam, propero tandem ad solutionem genuinam problematis in Diario Gallico propositi de Transformatione Curvarum, quod, si unum excipias Amplissimum Leibnitium, qui non infeliciter adeo rem est adorsus, in hunc usque tamen diem, quantum constat, nondum perfectam a quoquam accepit enodationem, & ne ab illis quidem, quod miremur, qui nihil non pervium sibi & multa sibi solis perspecta putantes, alios provocando nec modum, nec mensuram tenuerunt: qualis vero causa sit veteri corripientis eorum sagacitatem hac in parte, hujus loci non est inquirere.

Problema.

Datam curvam algebraicam transformare in alias innumeras etiam algebraicas ejusdem cum ipsa longitudinis, sed quæ sint dissimiles datæ, tam quoad totum quam quoad partes.

Solutio I. per Motum obreptionis. Esto curva data algebraica ACB, (Fig. V.) quæ per postul. II. secetur in partes aliquot æqualis amplitudinis, ex. gr. in duas AP & PB. Convertatur una ex iis ut AP circa rectam tangentem in P tanquam circa axem, ut convexitas in contrariam mutetur sumatque situm aP; in hoc situ obrepat pars aP partem PCB ita scilicet, ut inter rependum semper fervet situm aC π parallelum primo aP. Curva reptoria, quæ hinc describitur P π Q per punctum aliquod ad libitum assumtum in plano curvæ aC π ut π , erit una ex quæsitis. Est enim per Theorema I. P π Q = aC π + PCB = (quia aC π = aP = AP) AP + PB = APB. Est autem P π Q curva algebraica per Lemma I. Adeoque datæ curvæ algebraicæ inventa est alia

algebraica æqualis : cui postea eadem methodo inveniri potest æqualis secunda, & deinde secundæ tertiæ, tertiæ quarta & ita in infinitum. Sunt vero etiam omnes dissimiles, quoniam semper pars rectoriæ extrema $P\pi$ æqualis est partibus $PC + \pi C$, hoc est parti alicui intermediæ inter extremitates curvæ datæ APB ; quod necessario dissimilitudinem curvarum, partiumque ejus arguit, excepto unico casu, quo nempe curva data æquabilis convexitatis, omnesque adeo partes similes, id est, si curva data esset circulus, quem igitur hic exceptum volo, daturus infra pro eo solutionem peculiarem. Ergo transformata est omnis curva data excepto circulo in alias innumeras sibi æquales, & quidem omnes algebraicas si proposita sit algebraica. q. e. f.

Coroll. I. Curvâ inventa prima $P\pi Q$ dimidiæ est amplitudinis, cujus est data APB ; secunda amplitudinis est partis quartæ, tertiæ octavæ, quarta decimæ sextæ, & sic porro, decrefcentibus scilicet amplitudinibus curvarum in progressionem geometricam subdupla; unde ultro hic se nobis offert nova ratio rectificandi curvas per approximationem. Cum enim recta linea nihil sit aliud quam curva amplitudinis infinite parvæ, curvæ utique nostræ ipsi APB æquales per successivas operationes inventæ quanto minoris fiunt amplitudinis, tanto magis ad rectas lineas accedunt.

Coroll. II. Si curva proposita secetur in tres partes amplitudinis æqualis, eæque per methodum supra traditam conflentur in unam curvam, habebimus iterum novam propositæ æqualem, quæ postea similiter in aliam & hæc iterum in aliam (& ita quoties libuerit) transformabitur. Pari ratione, si ab initio secetur curva data in quatuor partes æqualis amplitudinis, prodibit nova progressio infinita curvarum inventarum datæ æqualium; per quinquisectionem curvæ datæ rursus nova obtinetur curvarum series; nec non nova & nova semper habetur per sectionem in sex, in septem, in octo &c. partes æque amplas. Et ita satisfactum est problemati non uno modo tantum, sed modis infinitis, quorum singuli innumeras exhibent curvas datæ æquales. Hi modi si combinentur, prodibit numerus modorum infinitorum infinitus, quibus ulterius combinatis sine fine, exoriuntur novi semper infinitatis gradus, quibus præcedentes quasi absorbentur.

TAB. VIII. Fig. V. *Coroll. III.* Alia præterea ratione obreptio initialis peragi potest, mutato nimirum (fig. V.) situ partis AP vel aP , ut extremitates partium non contiguæ ab initio se tangant, hoc est, ut extremitas a partis aP tangat extremitatem P partis PB, hacque dispositione instituat obreptio. Fiet enim reptoria $P\pi Q$ omnesque reliquæ postea ut prius describendæ a prioribus diversæ, & tamen ipsi propositæ APB æquales. Hic autem modus imprimis locum obtinet, quando curvæ partes PA & PB sunt æquales & similes, uti fit, cum APB esset ex. gr. aliqua ex sectionibus conicis, in qua punctum P foret vertex summus; quo casu curva reptoria $P\pi Q$ per priorem modum descripta esset nova tantum sectio conica sed parti PA vel PB omnino similis, id quod non satisfaceret problemati, quippe quod requirit curvam propositæ dissimilem. Atque hic in universum est notandum, quotiescunque curvæ perreptans & perreptanda sunt eadem vel tantum similes, seque tangunt ab initio reptionis in punctis similibus, curvam reptoriam hinc generatam illis semper etiam fore similem; cujus ratio attendenti haud difficulter patescit. Quando igitur dixi in solutione curvam $P\pi Q$ dissimilem esse ipsi APB vel parti AP, excepto solo casu, quo data curva APB esset arcus circuli, ista verba sub hac restrictione dicta velim, ut nimirum si proposita constet duabus partibus PA & PB æqualibus & similibus, situs tunc partis aP prius permutetur, admoto scilicet a partis aP ad punctum P partis PB: alioquin certe reptoria descripta $P\pi Q$ foret parti AB vel PB omnino similis.

Solutio II. per Motum subreptionis. Esto Curva data algebraica ACB (Fig. V.) ad quam construatur prius alia similis LMNR illiusque dupla, quod quomodo fiat dudum est cognitum, ducendo tantum ex assumpto quodam puncto O per singula curvæ data puncta rectas OL, OM, ON, OR duplas suarum partium OA, OP, OC, OB: Deinde sumta LMNR pro perreptanda & APCB pro subrepente, atque admoto B ad L, vel A ad R, fiat subreptio; dico reptoriam hinc genitam fore æqualem propositæ APB; est enim æqualis differentiæ inter LMNR & APB per theorema nostrum I. differentia vero æquatur ex constructione ipsi APB Ergo &c. q. e. f.

Nota, quod pro subreptione inchoanda dixerim admo-
 dum esse A ad R, vel B ad L, secus enim si A ad L, vel B ad R ad-
 moveretur, reptoria prodiret eadem cum APB. Fateor equidem,
 hoc incommodum certis casibus, etiamsi adhibita illa cautela, posse
 occurrere, tunc nempe, quando curva data APB duas habet partes
 PA & PB inter se æquales & similes. Hoc vero inconueniens mul-
 tis modis tolli potest; construendo ex. gr. dimidiæ tantum AP,
 curvam similem in ratione tripla, id est, ut ubique OL ad OA,
 OM ad OP, se habeant ut 3 ad 1. Sic enim admoto A ad M vel
 P ad L, si AP subreperit ML, habebit reptoriam dis similem & du-
 plam ipsius AP, adeoque toti APB æqualem. Cæterum præro-
 gativa aliqua gaudet hæc construendi methodus super præceden-
 tem, dum non indiget postulato II. Sectio enim curvarum in
 partes æque amplas molestiam quandoque in praxi creare posset,
 quæ autem hic commode evitatur. Sciendum interim hoc arti-
 ficium, quod nititur prævia constructione curvæ similis ad haben-
 dam curvam dis similem & æqualem propositæ, posse etiam in
 motu obreptionis locum habere. Etenim si construatur curva
 LMNR datæ APB similis sed sèmissis tantum longitudinis, quod
 fit, bisecando rectas ex polo O eductas OA, OP, OC, OB; obrepat
 postea LMNR se ipsam inverso ordine, hoc est curva LMNR bis
 describatur, atque una obrepat alteram, factò scilicet reptionis ini-
 tio ab unius extremitate L applicata ad extremitatem R alterius;
 manifestum est, reptoriam hinc exurgentem (quippe æqualem per
 theorema I. duplici LMN) æqualem esse propositæ APB, ut &
 eidem dis similem, nisi forte partes PA & PB essent æquales & si-
 miles, quo casu adhibenda foret medela modo supra allata. Cæ-
 teroquin tamen hoc notandum in favorem prioris solutionis,
 quod per hanc posteriorem non quemadmodum per priorem am-
 plitudines reptoriarum decrescant, ipsæque adeo ad rectitudinem
 magis magisque accedant, sed ex adverso omnes prodeant amplitu-
 dinis, cujus est curva proposita.

Solutio singularis pro circulo. Pervenio tandem ad casum
 unicum (si curva data circularis est) qui solus solutiones nostras
 generales non agnoscit, iisque non comprehenditur, quem pro-
 pterea jam supra excepi. Nam quomodocunque circulus circulum
 per-

perreptet, sive obrepando, sive subrepando; rectoria quoque orietur semper circularis, cujus causa est (ut supra jam monui) æquabilis convexitas circuli, seu partium ejus non interrupta similitudo. Ne igitur hoc uno in casu, inter infinitos, immo omnes alios a nobis solutos, aqua nobis hæreret, excogitanda fuit pro Circulo peculiaris solvendi ratio petita ex methodo, jam olim mihi pro aliis curvis non infeliciter adhibita, ut videre est in Actis hisce A. 1694 pag. 396 & 397, ut & A. 1695 pag. 64, ubi ea usus fui ad construendam curvam paracentricam per longitudinem curvæ algebraicæ, atque jam tum monui eam consistere in divisione quadrati differentialis propositæ in duo alia quadrata, quorum latera sint integrabilia, adeo ut videre possit Clarissimus Craigijs, suæ solutionis fundamentum jam pridem mihi innotuisse; quanquam tamen pro universali venditare nollem. Interim ecce solutionem pro circulo:

TAB. VIII. Estoque Circulus, cujus peripheria transformanda sit in curvam aliam algebraicam, describatur primo circulus alius ABE (Fig. VI.)

Fig. VI. cujus radius CA = 8 radius circuli propositi, ut scilicet quadrans AB totam circumferentiam datam contineat bis: Sit radius CA

vel CB = a , abscissa CD = x , adeoque applicata DP = $\sqrt{aa - xx}$; construatur nunc alia curva HGR hac conditione ut sit abscissa

CF = $\frac{3aax - x^3}{3aa}$, & applicata FG = $\frac{aa - xx}{3aa} \sqrt{aa - xx}$; quo fa-

cto erit semper, uti calculanti facile patebit, portio curvæ HG ducta in radium æqualis segmento circulari APDC, adeo ut sumpta CD = ipsi radio (quo casu segmentum APDC degenerat in quadrantem circuli (AB) hinc fiat CF = CR = $\frac{2}{3}a$, & FG = 0; ipsa autem curva HGR ducta in radium = quadrantem circuli CAB = quadrantem circumferentiæ APB ducto in semiradium: unde curva HGR = $\frac{1}{2}$ APB = (per constr.) totæ circumferentiæ datæ; quam igitur mutavimus in æqualem aliam curvam algebraicam, hæc vero porro per præcedentes solutiones in alias infinitas transformabitur, quare nunc dedimus problema ex omni parte solutum.

Erratum. A. 1704. pag. 380. l. 9. pro differentiatio lege tertia differentiatio. VAL.

ORIGINUM GRÆCIÆ RESTAURATARUM

Libri II.

Lipsiæ, apud Heredes Grossianos, 1705, 8.

plag. 7.

A Nimus Auctori Maxime Reverendo, nostroque in colligendis Eruditorum Actis jam a pluribus annis Socio solertissimo, S. Theol. Doctori & Delitiano in vicinia hoc tempore Præsuli fuit, hac lucubratione ostendere, falso hæctenus creditum, quod Græci Asiatici, Iones, Dores, aliique ex Europa in Asiam migraverint, cum omnes potius Græci ex Asia in Europam pervenerint. Quo consilio inductus rem istam tentaverit, in calce opusculi p. 102 enarravit, meditari se nimirum Origines Religiosas, opus errorum fontes & Historiæ sacre adyta referans, quodque multos in re sacra scrupulos eximere possit: in quo dum versatur, animadvertit, vulgarem de Græcorum natalibus hypothesin bonæ causæ & Mosai- cæ Historiæ multum adversari, imo cum se ipsa pugnare. In hac illi sententia confirmarunt Strabonis quædam testimonia, qui Græcorum unus hac de re sincere, etsi tectè, loqui videtur.

Methodi causa duos operis hujus libros fecit, quorum pri- mus Analyticus dicitur, & Græcorum de suis originibus tradita re- solvit, ut veritas inde appareat. Nam cap. I Auctor conquestus de fabuloso antiquissimæ Græcorum Historiæ statu, Marshamum & Clericum ait eandem corrigere cœpisse, Græcos fabularum a- mantissimos fuisse, omnium vero turpissime se dare, quando se autochthones profiteantur; ubi collatis veterum testimoniis, Pe- lasgum, Arantem, Orum aliosque, quos Græci e terra enatos fabulantur, explodit. Capite II de interitu antiquissimorum Græ- cæ Historiæ monumentorum disserit, eumque haud ægre ferenti- bus Europæis Græcis accidisse existimat, quia eorundem affectatæ antiquitati non favebant. Herodotum vero patrem Historiæ dictum, quia, cum Asianus esset, Europæis tamen natalium primatum ad- scripsit. Affertur præterea hujus rei peculiaris ratio: Asiaticos nempe Græcos libertate amissa, patriæ pertæsos, ac popularium suorum in

Europa gloria captos, nationis causa omne studium in Græciam Europæam ornandâ contulisse, hacque occasione, quæ jactantiæ causa initio ferebantur, inter historicas veritates paulatim recepta esse. Hinc Græcos propriis argumentis confutaturus ex Herodoto, Strabone, Pausania aliisque ostendit, migrationem Ionicam, Phorbantis aliasque, quibus Græci in Asiam venisse feruntur, tanti non esse, ut tanta res ex ipsis deduci possit, & priusquam eæ contingerent, Græcos in Asia vixisse; Titanes quoque, unde familiæ Græcorum summæ deriventur, Asiaticos fuisse, nec non Cabiros. Ex adverso Auctor probat, Deucalionem, Lelegem, Cadmum, Pelopem aliosque cum integris gentibus ex Asia in Helladem ante istas migrationes advenisse; Herculem Asiaticum Idæum esse omnium ejus nominis vetustissimum, ad quem multæ Græcorum Archæologiæ ultimo redeant; insulares denique Græcos antiquiores esse iis, qui in Europæa continenti degebant. Quo loco notanda est Auctoris observatio, consueville Græcos, quoties diffiteri nequeunt, se magnum quid ab exteris accepisse, (ne Orienti id acceptum ferre cogantur) ex Ægypto talia derivare, eamque ob causam Deucalionem, Danaum &c. Ægyptios appellare. Ad specialia se confert cap. III, utque res omnis eo dilucidius pateat, antiquissimos Græciæ populos omnes excutit; principio Pelasgos & Leleges, ad quos omnes fere Helladis populi suos natales referunt, posthæc Pæones, Dryopes, Caucones, Aones, Mygdones, Hyantes ex Asia advenisse probans. Hinc sigillatim de Argivis agit, quorum nomen, consentiente Scholiasta Dionysii, ab אֶרֶץ derivat, ut Argos idem sit, ac terra littoralis; Argivos vero & Sicyonios Reges priscos rejicit: Arcades, Thessalos, Cretenses, Atticos, Spartanos, Bœotios ab antiquitatis possessione deturbat; Iones, Dores & Æoles antiquissimi generis Pelasgici & Lelegici fuisse; denique Cares aliosque Asiæ minoris populos olim ad Græcos late dictos pertinuisse, demonstrat. Tandem cap. IV reliqua, quibus sententiam suam confirmari credit, argumenta convasat: Deos scilicet Græcorum, Philosophiam, Poesin, leges, ludos Olympicos, Græcorum ipsorummet confessione, ex Asia in Helladem transisse, Asianos quoque Græcos antiquissimas habuisse colonias, mercatura & navigatione, quæ gentes propagant, præ cæteris excelluisse. Quo loco Auctor, duas

observat esse Poetarum perantiquas familias, alteram agrestem, Dorica dialecto gaudentem, historiae male curiosam, Orphæo patre atque adeo ex Thracia oriundam; alteram comptam magis, Ionica suavitate se commendantem, historia & hymnis excellentem, quæ ex Græcis Asiæ littoribus descenderit.

Liber II, quem Syntheticum Celeberrimus Auctor nominat, ejus hypothesin de Græciæ originibus rectius constituendis exponit, quam ex veterum Historicorum reconditis quibusdam testimoniis, advocatis in subsidium sacris Bibliis, quæ priori libro certis de causis non tetigerat, animo concepit. Græcos omnes ait a Japeti filio Javane ortos, diuque ab illo *Ιαῦνας* & *Ιάονας* appellatos, simulque quis Ion fuerit, cujus multa penes scriptores recordatio est, atque a quo opusculo huic nomen est, expendit. Ionum nomen principio Græcis omnibus commune, postea a multis repudiatum, Herodoto auctore, narrat. Primos in Asia Græcos, Iones semper dictos, Jovem & succedente temporum corruptione, Jovionem sive Junonem (fœminam quæ ex vetustissima traditione salutem orbi universo allatura esset,) coluisse, leges & linguam Ebræis propiorem habuisse tradit. Eisdem sub Pelasgorum nomine ad Hellepontum in Europam transiisse, Argivis Arcadibusque conditis; horum esse Pæones, Dryopes, Aones aliosque oblitos Helladis populos, nec non Phoroneum, Ogygem κ. τ. λ. Hos principio non fuisse barbaros, aut cœlum stellasque coluisse, (quam vulgatam originibusque religiosis maxime inimicam hypothesin vocat) sed paulatim, interruptis cum Oriente commerciis, in barbariem pervenisse contendit. Porro quosdam in Asia remanentes Græcos ait Lelegum nomen accepisse, qui insulas Ægæi maris, & insulari posthæc itinere Peloponnesum incolis repleverint; Scythas vero paulo post dominatum Græcæ etiam Asiæ nactos, sua quoque numina, Apollinem & Dianam, ac Scythicas quasdam voces in Græcismum intulisse. Successu temporis credit Iones quosdam, eosque Elisa prognatos, qui Elysi dicebantur, per Hellepontum in Europam descendisse, ac Pelasgis fuisse intermixtos, quorum memoriam Hellas, Elienses, Elotæ, Elissus, Eleus, & Eleusin servaverint. His Cecropem & Deucalionem annumerat, atque interea Leleges in Asia Dorum, Carum, Ly-

eiorum &c. nomina accepisse, Elysios vero, qui in patria remanferant, Æoles appellatos fuisse opinatur. Græcos Europæos censet temporis lapsu in barbariem magis magisque delapsos, Jovem cum Cretensi quodam principe, Apollinem cum artifice Delio, & Dianam cum Delia quadam virgine confudisse, adventu vero Beli, Cadmi & aliorum, qui literas Phœniciosque Deos, Adonidem præsertim & Venerem attulerint, sensim e barbarie sublevatos fuisse, præsertim Pelopis opera, qui ex Asia cum suis venerat. Interea Phrygum gentem in Asia dominatum adeptam, Deam suam salutarem, Cybelem & Phrygica quædam vocabula Græcis dedisse existimat; Thraces vero, qui in Europa tum inclarescebant, Helladem putat sub jugum misisse, illatis in eandem numinibus quoque suis, Baccho, Marte & Cerere, tum Orgiis, Poesi Orphica & Philosophia; atque tum Lelegum, Dryopum & ejus generis vetustarum gentium nomina periisse. Hæc vero omnia gesta esse credit ante Trojanum bellum, in quo Asiaticorum Græcorum gloria conciderit; nihilominus tamen posthæc Heraclidas, h. e. Herculis Idæi, non Thebani, posteros venisse in Helladem, & principatum plerisque in urbibus occupasse. Tandem fugitivos quosdam Græcos Europæos, ut par pari referrent, Ionica, quæ dicitur, migratione in Asiam abiisse, ejusque principatum passim obtinuisse; Lydorum vero potestate invalescente, omne priscorum in Asia Græcorum decus periisse contendit. Atque hoc pacto origines Græcas eousque se perduxisse credit, quo Historicis tuto fides haberi possit. Ea vero omnia p. 98 in Canone quodam Chronico exhibet, quem deficiente juxta Chronologia, p. 20, 21, juxta ætates Clarissimorum in Græcia antiquiorum Virorum, ab Olympiadum origine retro ad Ægialeum eundo, descripsit.

*DE SYNODI CARENTONENSIS A REFORMA-
tis in Gallia Ecclesiis A. 1631 celebrata Indulgentia erga Lutheranos, Dissertatio Theologico-Historica, Autore D. THOMA ITTIGIO. Accedunt ejusdem quatuor programmata festalia
publico nomine conscripta.*

Lipsiæ, apud hæredes Joh. Grossii, 1705. in 4. plag. II.

Dum

Dum aliqui Theologi ex iis, qui nominari amant Reformati, inter suam nostramque Ecclesiam unionem, sæpius frustra tentatam, perficere hoc tempore multo labore conantur, Summe Reverendus D. Ittigius noster, pro ratione munerum, quæ in Academia & Ecclesia nostra ornat, quid de ea conciliatione sentiendum sit, quidve sperandum, in Dissertatione dicta accurate expendit. In præfationis initio, D. Johannis Braunii, Theologi Groeningensis, in dedicatione Commentarii in Epistolam ad Hebræos hoc anno editi, quem proximo mense recensebimus, spem de successu exoptato pacis ecclesiasticæ vanam esse indicat, conceptam tum ex sapientiorum primariorumque per totam Saxoniam Ecclesiarum Antistitum magna humanitate Reformatis demonstrata, tum maxime ex ordinatione Celsissimi Electoris gloriosissimæ memoriæ, qui non ante multos annos jussit, ex Cocceji operibus aliquot centena coemi exemplaria, ut quælibet Ecclesia suam haberet. Nam fratres, quos vocat, Lutheranos, a quibus se audivisse Braunius refert, falsa narrasse ei de Cocceji operibus, inter ipsos Reformatos male audientis, & Saxonis Theologis ob hypotheses ejus novas displicentis. Quod si vero etiam Ecclesiæ Saxonicæ singulæ exemplum eorum operum possiderent, non magis hoc ad unionem religionis Reformatæ facere, quam si Lutheri & Theologi alicujus Lutherani opera inventario alicujus Ecclesiæ Reformatæ addantur. Unionem autem Ecclesiæ Lutheranae cum Reformatâ Theologus noster optandam potius quam sperandam arbitratur, immo talem, qualem Braunius optet, ne optandam quidem, cum discors ejusmodi concordia Deum offensura, & præsentissimum Lutheranis periculum allatura sit. Si enim, ex Braunii consilio, Lutherani cum Reformatis contra Papistas arma conjungere velint, metuendum esse Lutheranis, si communicatam carni Christi majestatem Divinam contra Pontificios tueri velint, ne Reformati relictis suis fratribus, arma cum Pontificiis jungant, aut pugnantis Lutheranis contra Papistas Jansenianos, ad castra horum abeant, & tela contra Lutheranos vertant. Etenim, quæ Reformati nonnulli de universali gratia Dei, & Christi merito dicunt, ludificationes esse, Johannem Clericum etiam novissime observasse, quippe qui Holzhusii tractatum de prædestinatione, electione & reprobatione hominum re-

censens, tales Universalistas a Supralapsariis & Sublapsariis re ipsa nihil differre, & Holzhusium, dum Synodum Dordracenam gratiæ universali non adversari obtendit, non modo Arminianis, sed ipsis etiam Reformatis in Belgio & Helvetia ludibrium debere, Tom. VI Biblioth. Selectæ p. 419 scripserit. Notato insuper Braunii more Lutheranos, quos fratres iteratis vicibus salutaverat, quotquot pacem dolosam respuunt, fratribus ignorantia & rixarum annumerantis, ejusdemque falsa persuasione, momenta controversiarum inter Lutheranos & Calvinianos nullius ponderis æstimantis; ad alteram partem præfationis progreditur, in qua occasionem & argumentum tractationis suæ memorat sibi suppeditasse Patres Synodi Carentonensis, A. C. 1631 congregatos, qui Lutheranis, ut sacra Cœna cum Reformatis uti, conjugia cum Reformatis contrahere, & infantes ad baptismum Reformatorum offerre ipsis liceret, permiserunt. De hac Synodi sententia quid judicari debeat, in Dissertatione ista discutitur, cujus summam dare operæ pretium est.

Carenton Galliæ vicus ad fluvium Matronam, duabus minoris spatii leucis Lutetia Parisiorum distans, celebris est templo, Henrici IV permissu a Reformatis structo, ad quod ex Lutetia aliquot millia hominum ad cultum suum publice exercendum confluere solebant, donec viginti ab hoc annis, & hoc & reliqua templa Reformatorum in Gallia, vel destruerentur, vel ad alios usus converterentur. Ejusdem celebritatem auxerunt Synodi Nationales tres, a Reformatis Galliæ Ecclesiis ibi habitæ; prima A. C. 1623, altera A. 1631, tertia in fine A. 1644 & initio 1645. Primam illam decretis Synodi Dordracenæ non admodum favisse, vane gloriari Remonstrantes, ex Actis ostenditur. Tertia Synodus Mosen Amyraldum & alios nonnullos Reformatos in Gallia, universalem gratiam asserentes, exemplo Alençonensis Synodi non approbavit, sed tantum toleravit, prohibens sub pœna depositionis omnibus Pastoribus & Professoribus suis scribere, concionari aut disputare, contra se invicem, super articulis declaratis in Synodo Alençonensi, ullosque libros super illis publicare. Eadem Romanæ Ecclesiæ amasios, Jacobum Codurcum, Pastorem & Professore Nemausensem, statione muneris sui ecclesiastici & academici dimovit, & Theophilum Brachetum Milleterium pro membro Ecclesiæ Re-

formatae non agnoscendum declaravit. Præterea decrevit, a muneribus suis removendos Pastores & Professores, qui in controversiam traherent peccati Adamici imputationem, neminemque deinceps ad sacrum ministerium admittendum, qui erroris illius foret particeps. Quæ in ista Synodo gesta dum narrantur, alia notatu digna insperguntur. Nos accedimus ad Synodum Carentonensem medio tempore habitam, cujus illa fuit erga Lutheranos indulgentia.

Verba decreti sic habent: *Quando Augustanae Confessionis Ecclesie cum cæteris Reformatis in omnibus vere religionis principiis & articulis fundamentalibus conveniunt, cultumque exercent purum ab omni idololatriæ & superstitionis labe, si qui sint istius professionis homines, qui cum caritatis & lenitatis spiritu sacros ecclesiarum nostrarum cœtus frequentent, earumque communionem expetant, iis sine omni abjuratone prævia liberum esto, ad sanctam Christi mensam nobiscum accedere, matrimonia cum nostræ confessionis hominibus contrahere, & infantes baptismo tingendos de more offerre & suscipere, dum nostris Ecclesiis in hoc ultimo casu sancte spondeant, se infantes, quos de sacro lavacro susceperint, neque directe unquam, neque indirecte, adversus eam, quam nostræ ecclesie credunt ac profitentur, doctrinam sollicituros, sed ea duntaxat fidei capita edocturos, de quibus inter nostras ipsorumque ecclesias convenit.* Hoc decretum, quod Reformati Doctores Irenici Spiritus Sancti ductu, summa sapientia, summaque caritate conditum, ad pacem inter Reformatos & Lutheranos ineundam laudabant, hodieque commendant, Pontificiorum indignationem excitavit: quippe qui tentatam per Cardinalem Richelium concordiam inter Pontificios & Reformatos repudiarî, & contra Lutheranos offerri, ægre ferebant, ideoque eorundem ea de re judicia sinistra prodierunt, quæ Auctor noster Summe Reverendus addidit. Occasionem decreto dedit mercator quidam Germanus, Augustanæ Confessionis addictus, Lugduni in Gallia vivens. Is civis alicujus Lugdunensis Reformati filiam ambiens, non solum Reformatorum cœtibus frequens aderat, sed etiam profitebatur, se cætera doctrinæ & disciplinæ Reformatorum capita ita probare, ut etiam cum ipsis com-

municare, & cum quodam e Reformatis affinitate conjungi paratus esset, modo ne, quam in Lutherana Ecclesia hauserat, de Dominica in Eucharistiæ Sacramento præsentia, sententiam mutare cogeretur. Ministri Reformati dubii, quid sibi faciendum esset, ad Synodum Nationalem propediem habendam referre constituerunt. Hæc igitur consulta, eam quam diximus indulgentiam fecit. Fundamentum ejus ponit, tum in fundamentali utriusque Religionis consensu, tum in cultu Lutheranorum puro ab omni idololatriæ & superstitionis labe. Sed fundamentalem illum consensum dici quidem, sed nequaquam esse, qui dudum demonstrarunt, nominantur Nicolaus Hunnius, Theologi Wittebergenses & Darmstadienses, Hutterus, Hulsemannus : confessio autem ingenua Synodi laudatur, opponenda calumniæ Reformatorum aliorum, qui nostris Ecclesiis ob doctrinam de adoratione Christi hominis, de usu imaginum in templis, de virtute baptismi, de præsentia corporis Christi in Eucharistia, & aliis quibusdam articulis, idololatriæ & superstitionis labem aspergunt.

Ipsa indulgentia tribus capitibus continetur. *Primum* est, licere Augustanæ professionis hominibus, cum caritate & lenitatis spiritu sacros Reformatorum coetus frequentantibus, eorumque communionem expetentibus, sine abjuratione prævia, ad sanctam Christi mensam cum Reformatis accedere. Enim vero ingenuum Lutheranum salva conscientia hanc communionem desiderare, aut ad sacram cum Reformatis cœnam accedere non posse, probatur. (1) quod dubium sit, an apud Reformatos, symbola terrena sine re cœlesti exhibentes, integrum Eucharistiæ Sacramentum administretur. Negasse Lutherum, Balduinum, Waltherum, Jacobum Martini, alios; & si cum Theologis quibusdam nostris concedamus, verum Cœnæ Sacramentum a Calvinianis accipi, tamen (2) Lutheranos avocari admonitione Divina sæpissime repetita, de commercio cum heterodoxis, quoad cultum & fidem, fugiendo; insuper (3) cum Sacramenta sint notæ discretionis, & species confessionis illius fidei & doctrinæ, quam Ecclesia, in qua Sacramentis utimur, agnoscit, docentibus ipsis Reformatis, non posse Lutheranum sacra Cœna in Ecclesia Reformata uti, nisi publice profitendo, se ejusdem doctrinam amplecti, & contrariam rejicere; ad-

adhæc (4) Lutheranum scandalo aliis, hypocritamque futurum, ac hoc suo facto heterodoxos in pravis suis opinionibus confirmaturum, contra interdictum Divinum, & praxin primitivæ Ecclesiæ. Ideo (5) nostrates quosdam Theologos, Lutherum, Olearium Helmsta-diensem, Menzerum, Balduinum, Finckium, a Calvinianorum Cœna adeo abhorruisse, ut Lutheranis eam ne in necessitatis casu quidem permiserint. Accedit (6) quia alii Reformati, non sine multis cautelis & conditionibus, suæ communionis hominibus concedant ejusdem cum Lutheranis Cœnæ communionem, quæ ex Ber-gio, Zacharia Ursino, Henrico Altingio adducuntur, aliam a Lutheranorum doctrina mentem aperte declarantes. In quibus cautelis tamen frustra sollicitos esse Calvinianos Noster monet, cum Lutherani Theologi in sua doctrina pertinaces ad sacra sua non admittant. Immo (7) Synodi Carentonensis indulgentiam non tam ad pacem cum Lutheranis, quam ad seductionem eorum spectare; quas insidias Dallæus dissimulans, atque rationem concessionis afferens tolerantiam in adiaphoris, & infirmitatem errantium, refutatur. Neque tandem (8) omnium Reformatorum eandem esse, quæ Synodi Carentonensis, sententiam; & si eadem esset, non tamen probari etiam ab iis nostratium, qui a pace cum Reformatis ineunda non alieni fuerunt, inter quos F. U. Calixtus. Hæc de capite primo eoque præcipuo indulgentiæ Carentonensis.

Alterum caput consistit in concessione libertatis matrimoniorum cum Reformatis contrahendorum. In quo magna facilitas Synodi deprehenditur, conjugia a Synodo Middelburgensi A. 1581 & Nicolao Vedio valde improbata concedentis, sine ulla lege & restrictione. Scilicet præsumsisse Synodum Noster judicat, facilius fore, ut uxores Reformatæ blanditiis suis maritos Lutheranos ad Reformatam religionem perducerent, quam ut mariti Lutherani uxores Reformatas a sua religione averterent. A Nostratibus conjugia cum heterodoxis non simpliciter improbari, sed sub certis conditionibus permitti ostendit. Temere autem concedenda non esse, ex Scripturis S. Ordinationibus ecclesiasticis, Patrum Ecclesiæ sententiis, & Canonibus Conciliorum evincit. Tertium decreti Carentonensis caput indulget Lutheranis infantes Reformatorum e baptismo suscipere,

ita tamen, ut apud Presbyterium sancte spondeant, se infantes de sacro lavacro susceptos, neque directe, neque indirecte ad aliquod sollicitaturos, quod cum Reformata doctrina non congruat. Miratur Theologus noster, Synodum, Lutheranos cum Reformatis in principiis religionis & capitibus fundamentalibus consentire, & in cultu nulla idololatria & superstitione laborare asserentem, sollicitè cavere, ne infantibus Reformatis aliquid Lutheranae doctrinae affricetur, eandemque inter medias blanditias tam iniquam conditionem a Lutheranis exigere. Candidius alios Reformatos censet egisse, qui Lutheranos ab hoc officio prorsus excluderunt, docetque ex Theologis nostris, quibus cautelis adhibitis Lutheranus apud Reformatos patrini officio defungi queat: contra autem Reformatum, a parentibus Lutheranis ad id invitatum, recte arceri, nec nisi sanabilem & docilem admitti: instruit quoque Ministrum, uti se gerere debeat, si Reformatum aliquem aut alium heterodoxum admitti, Magistratus sub remotionis poena jubeat.

His de Syncretistico Carentonensis Synodi decreto notatis, concludit Theologus, id non posse magis a nobis probari, quam fucatam illam concordiam, eodem anno 1631, ab aliis quibusdam Reformatis in Colloquio Lipsiensi propositam. Adjecta Programmata Festalia publico nomine conscripta & proposita sunt, primum contra novos Ecclesiae Reformatores in Festo Reformationis Lutheri, d 31 Octobr. A. 1702; secundum de Christo omnibus nato, contra Reformatos in Festo Natalis Christi, anno eodem; tertium, Danhauerum a Chiliafmi suspitione vindicans in Festo Paschali, A. 1703; quartum de novellis Prophetis in Festo Pentecostali eodem anno.

CONSIDERATIONI SOPRA UN FAMOSO LIBRO
Franzese intitolato la Maniere de bien penser &c.

i. e.

OBSERVATIONES IN LIBRUM GALLICUM CELEBREM
de Sententiis Ingeniosis, divisæ in VII Dialogos, in quibus Quaestiones nonnullæ Rhetoricæ atque Poeticæ agitantur, & plurima Scriptorum Italorum, qui tum ligato tum pedestri sermone claruerunt, loca defenduntur.

Bononiæ, apud Constantinum Pisarri, 1703, in 8.

Constant Alphab. 2 plag. 6.

Cum elegantissimus inter Gallicos Scriptores Dominicus Bouhours, Societatis Ignatianæ Religiosus, in notissimo de Sententiis ingeniosis libro, ut alios aliarum gentium, ita Italorum celebriores passim Oratores & Poetas perstrinxisset, illustris Marchio Joannes Josephus Ursius Bononiensis id negotii suscepit, ut tum cives suos a Bouhoursii criminationibus vindicaret, tum integrum, quem prædiximus, librum censoria quadam virgula, absque omni tamen verborum acerbitate, summaque cum modestia notaret. Id quod tanto cum successu perfecit, ut præclare de sua simul & Italiæ fama meritis, summo non Italorum modo, sed Gallorum etiam plausu exceptus fuerit. Cujus rei vel solum hoc fidem facit, quod bonæ causæ fiducia Apologiam suam eruditissimæ apud Gallos sceminæ Annæ Daceriæ dedicarit. Equidem si omnia, quæ notatu digna in hoc opere videntur, hic repræsentare conaremur, vastum mare ingrederemur, eosque, quos nobis alioqui præfiximus, limites longe excederemus. Breviter itaque tantum indicabimus, quid singulis Dialogis contineatur, & deinde quid pro Italis suis afferat Ursius, curatius paulo dispiciemus. Enimvero Dialogus primus introductione in librum integrum constat, ubi Crameri Vindiciarum nominis Germanici contra obtrectatores Gallos, & inprimis hunc ipsum Bouhoursium, Noster mentionem injicit. Dialogo secundo librum Adversarii summatim considerat, & de sententia ingeniosa, tum generaliter, tum sigillatim agit. Tribus sequentibus de sententiarum talium veritate, novitate, sublimitate disputat, singulaque diligenter expendit. Duos vero ultimos defensionem civium suorum impendit. Quos ipsos nunc diligentius perlustrare, & ex iis selecta aliqua, quæque eximiam Auctoris nostri eruditionem testentur, exerpere in animo est. Si tamen antea monuerimus, quicquid de sententia a Criticis tam Græcis, quam Latinis atque Italis, iisque antiquis & recentioribus dictum fuit, summo cum judicio hic in compendio, & ita quidem exhiberi, ut de suo multa addiderit doctissimus Marchio. Cæterum ut propositum nobis munus exequamur, Dialogo VI Tassum de-

p. 38.

p. 469.

- P. 474. defensum pro merito prædicat. Censet autem, Gallorum nonnullos ea de causa Tasso infensos esse, quod neminem adhuc inter suos habeant, qui Epico carmine exquisito, & tantæ, quantum id postulat, majestati respondente cultu enituerit: cum Itali contra Cornelio & Racino, Tragici inter Gallos cothurni principibus, libentissime & sine omnilivore herbam porrigant. Rapinum interim & Bajuletum, ceu Tasso non satis æquos, præ cæteris refellit, eisque Boilavium, emunctæ alias naris & morosi satis ingenii censorem opponit, cui Tassi Episodia atque Digressiones, quæ prædictis displicent, non parum probentur. Notat etiam Bouhoursium, quod Berniam cum Ariosto confuderit. Hinc rem ipsam aggressus, primo Tassi ex Hierosolyma liberata de Argante versum, quem Gallus culpaverat, tuetur: *Minacciavia morendo, e non languia*. Idque auctoritate Flori, Salustii, Panegyristæ Constantini, Sidonii Apollinaris, Claudiani & Lucani, apud quos frontis minæ & oculi minaces in ipsa morte occurrunt, factum, Bouhoursiumque negligentius in Tasso legendo se gessisse observat. Annotat quoque Verbum *languere* apud Italos, non de corpore tantum, sed animo etiam adhiberi; id quod ex Petrarcha & Dante ostendit. Defenditur deinde Tassus, quod Cælo videndi potestatem tribuat, dum alicubi canit:
- E' l' Lume usato accrebbe, e senza velo
Vol o se mirar l' opere grandi il Cielo.
- P. 529 seqq. Ubi doctissime de illis translationibus sive metaphoris agit, quæ rebus sensu carentibus actum quendam & animam dant; neque tamen Pallavicini censuram rejicit, qui ejusmodi formulas ex Philosophorum foro proscribit. Cum porro Gallus Tassum ceu veterum exscriptorem momorderit, Noster ei hoc potius laudi vertendum ducit, & Scipionis Gentilis, Julii Guastavini, Joannis Petri de Alexandro, Beniique & Biragi studium commendat, qui loca veterum a Tasso expressa sedulo annotarunt. Aggreditur inde singulos a Bouhoursio eo nomine perstrictos versus, & primo quidem hunc:
- P. 555. Guerreggio in Asia, e non vi cambio, o merco
quem Curtio, si Gallo fidem habemus, sublegisse debuit, apud Ennium, imo Homerum & Virgilium inveniri docet. Mox alterum

E Sdegna negl' inermi esser feroce
quem iterum Curtio subduxisse arguitur, cum Virgiliano notis-
simo:

p. 559.

Parcere subjectis, & debellare superbos
congruere ostendit. Male quoque Tassum ideo carpi demon-
strat, quod Servii Sulpicii ad Ciceronem de *cadaveribus urbium*
verba sua fecerit, cum tamen ante eum idem egerint Aufonius, &
Sannazarius de Partu Virginis. Fatetur denique, Tassum in illo
versu

p. 560.

Di fine arme e di se stesso armato
Salustium respexisse, qui de Mithridate: Corpore ingenti perinde
armatus, sed ita tamen, ut Salustium superarit, cum Heroem su-
um non magnitudine corporis sed animi metiatur. Ad alia mox
progressus, cum Bouhoursius hæc in Episodio Sofroniæ & Olindi
carmina vellicarit:

p. 570.

Amor, ch' or cieco, or Argo, ora ne veli
Di benda gli occhi, ora ce gli apri e giri
copiose de oppositionibus agit, & circa ejusmodi contraria atque
pugnantia amorem versari demonstrat; quæ dum explicat, venu-
stissimum simul amoris characterem format. Cum vero Bou-
hoursius querimoniam Armidæ tanquam nimis artificiosam taxet,
respondet, pleraque a Virgilio Didone mutuata, & eodem modo
Chimenen in Roderico sive Cido Cornelii, imo subtiliter magis &
artificiose dolere. Ostendit deinde, sententiæ illius, qua anima a-
mantis in ipso quidem extinguere, in amica vero vivere dicatur, pri-
mum auctorem esse Platonem, & apud Horatium amicos *dimi-
dium & partem animæ* vocari. Quid quod Augustinus in Con-
fessionibus diserte se, post Amici obitum, *dimidium vivere noluisse*
dicat. Hinc cum Gallus in hæc verba incurrit:

p. 572 seqq.

p. 578.
p. 582-598.

Sarò, qual più vorrai, Scudiero o Scudo
Iusumque verborum ceu puerilem reprehendit, monet Noster, fi-
guras ejusmodi apud plerosque Poetas & Oratores, imo Histori-
cos & Philosophos frequentissime deprehendi, simulque Bellegar-
dium Abbatem, Italos hoc nomine taxantem, eadem culpa teneri
demonstrat. Cum deinde Bouhoursium male habeat, quod Tassus
de imaginibus in Regia Armidæ insculptis dixerit:

p. 599-608.

p. 610-617.

Manca il parlar : di vivo altro non chiedi :

Ne manca questo ancor , s' a gli occhi credi

Noster postquam Epigramma parallelum ex Josepho Baptista celebri Italorum Lyrico , qui anno 1669 obiit , attulisset , & sanum de eo iudicium interposuisset , Tassum huic longe præfert , & eodem schemate plerosque Græcorum , ex Latinis vero Virgilium , atque ex recentioribus Gallorum celebriores Poetas usos fuisse , observat.

p. 618-621.

Querela deinceps Tancredi solerter expenditur , cumque Gallorum glorioso nimix artis crimine eam postulet , Noster erudite docet : esse utique Poetæ officium , ut naturam curate imitetur exprimatque , sed ita tamen , ut non omnem idcirco ornatum negligat. Cum præsertim amantes præ cæteris ingeniose doleant , &

p. 638 seqq.

p. 654 seqq.

Cornelius apud Gallos , tales nobis in plerisque Tragœdiis suis querimonias suppeditet ; nec Moynius & alii Gallorum Poetæ ab hac culpa immunes sint. Apostrophe postea Tancredi ad dexteram suam exemplo veterum , Virgilii præsertim , defenditur. Et dum in certamine singulari Tancredi & Clorindæ anima per vulnera exiisse dicitur , geminæ Tibulli , Ovidii , Siliii & Virgilii locutiones afferuntur : quodque ira id quod supererat vitæ , ne effugiat , retinere & morari asseritur , ea de re verba Medici Galli celeberrimi Chambræi proferuntur , & ex Petronio additur : *Dolorem vi-*

p. 659. 660.

res restituere. Incogitantia porro arguit Gallum , quod ex Suevone Danorum Regis filio , Heroe Christiano , nescio quem nobis Saracenum effingat , formulamque , qua totum corpus unum vulnus esse dicitur , veterum auctoritate niti docet. Verba exinde

p. 667. seqq.

Rinaldi ad Armidam Cant. XVI. Stroph. 22 : *Non puo specchio ritrar si dolce immago* , quæ Censor notaverat , defendit , & jampridem Platonem in Alcibiade primo , ut & Petrarcham ita locutos

p. 670.

fuisse tradit. Denique dum Armida negat , se mortem , donum alioqui optatum , a Tancredo , in quem crudele odium habeat , accipere velle , ita quoque Sophoclem , Ciceronem , Plutarchum , & ex Hispanis Cervantem Saavedram & Calderonem , inlytos Scriptores , locutos fuisse demonstrat. Quibus , si de nostro aliquo

adjicere fas est , tritissimum illud Virgilii : *Timeo Danaos & dona ferentes* , addi poterat : ut & alterum illud Ciceronis ad Atticum Epist. 2. Libri IX : *Cæsar solet , cum se purgat , in me confer*

re omnem illorum temporum culpam : Ita me sibi fuisse inimicum, ut ne honorem quidem a se accipere vellem. Hac Tassi defensione integer Dialogus sextus absolvitur, quam postquam Marchio noster adornasset, Dialogo sequenti septimo ad Baptistam Guarinum, Guidobaldum Bonarellum, & alios progreditur, & ex solutæ orationis auctoribus Palavicinum inprimis Sfortiam contra Censorem Gallum tuetur. Miratur autem ante omnia Bouhoursium, cum ex præstantissimis Italorum scriptoribus flores se collecturum professus sit, Petrar- cham tamen, Bembum, Casam, Carum, Molzam, Transil- lum & alios magni nominis scriptores omisisse. Quod vero ad Guarinum attinet, Bajuletum carpit, cui ex tot Guarini adversariis atque patronis, solus tantum Jason de Noris cognitus fuerit. Cum- que is lasciviæ Guarinum postularit, strenue Noster ejus causam agit, Gallumque interpretem culpat, quod versus Itali Poetæ libe- riores interpretatione licentiosa deteriores reddiderit. Commen- dat vero illustrem Poetiam Susæ Comitem, quæ dum Guarini Pa- storem Gallicæ consuetudini traderet, intra modestiæ ac pudoris li- mites se continuerit. Bonarelli duplicem, quem in Phyllide Scyria exhibuit amorem, ab ipsis alioqui Italis non semel reprehensum, itidem contra Bajuletum tuetur, dumque id agit, modestiam Gallo- rum in tractandis amoribus laudat. Schediasmata vero quædam ab Anonymis profecta, Historiam nempe Palatii Regii, Amo- res Fœminarum illustrium, & alia ejusmodi librorum venena re- pudiat. Inprimis autem displicet nostro Præfatio, quam interpres Gallicus Petronio in vernaculum sermonem converso præfixit. Cæterum ad Guarinum revertens, Epigramma seu Madrigale, in- quo cum Ludovico Gradenico Musas omnes extinctas & sepultas esse vult, exemplo non Sannazarii modo, & Petrarchæ, sed vete- rum quoque niti docet, imo ex ipsis Gallis Menagio & Saraceno subsidia comparat. Hinc ejusdem in Prologo Pastoris fidi versum, ubi de Encelado, sub Ætna jacente canit:

Non sò se fulminato, o fulminante
 Vibra il fiero Gigante
 Contro il nemico Ciel fiamme di sdegno

p. 680.

p. 683.

p. 689.

p. 690.

p. 694.

p. 695.

p. 696-705.

p. 707. seqq.

ita defendit, ut falsam quidem esse concedat sententiam, verisimilera tamen affirmet, quod apud Poetas non tantum permittatur, sed laudem quoque mereatur. Nec deesse, quibus se Guarinus munit, auctoritates Lucretii & Nasonis, qui Ætnam tonare, & fulmina jactare fingant. Quod si denique verborum tumorem incuses, Alpheo fluvio, Dei apud Paganos personam sustinenti, tale quid permitti posse arbitratur. Cum porro Bonarellus eo nomine a Censore taxetur, quod de Celia fugitiva dixerit:

Conoscerollo a i Fiori

Ove faran piu folti

inconstantia & levitatis non immerito ille ipse arguitur, qui Racano Mariam Medicam laudanti eandem figuram indulserat: ostenditurque auctoritate Calpurnii, imo ipsius Maronis, non de Reginis tantum atque Heroinis, quod Bouhoursius vult, sed de puelis quoque amatores ita loqui solere. Inde Gallo non probanti, quod Bonarellus ex oculis amicæ lucem fundi dixerat, cujus splendore illa e vestigio proderetur, respondet, cum apud Terentium in Eunucho simile quid occurrat, isque eo nomine a Gallo commendetur, non intelligere se, quare cum Bonarello tam severe agat. Eademque opera Testa, cui inter Italorum Lyricos, Chiabrera forte excepto, principatum dat, & Gratianus in Granata debellata, eidem noxæ affines excusantur. Marinum postea, ceu Hetruscæ Poeseos corruptorem, vehementer accusat, Bajuletumque, qui hunc ipsum verbis selectis usum fuisse scripserat, explodit, tandemque, Quintiliani verbis usus, dulcibus Marinum vitiis placuisse profitetur, & Poetis, qui ex ejus disciplina prodire, non admodum favet. Caroli deinde Mariæ Maggii Hymni in Ludovicum XIV conditoris partes contra Bouhoursium tutatur, ejusque Apologiam, quam Clarissimus Ludovicus Antonius Muratorius in Vita Viri adornavit, magnifice laudibus celebrat; Lemeniumque & illustrem Arcadum Academiam, ut & Furfuraceam Florentinorum, ceu instauratores Hetrusci carminis prædicat. Ægre vero fert, Gallum multos Poetarum ex Italis proletariorum versus, ceu specimen insignis cujusdam artis, in medium attulisse. Cæterum a Poetis ad pedestris sermonis scriptores progressus, trium præ cæteris, Sfortiæ nempe Pallavicini, Stradæ, & Thesauri patrocinium suscipit. Pallavicinu.

p. 716-721.

p. 722-726.

p. 732-738.

p. 739. 740.

p. 740. 741.

p. 747.

p. 747.

p. 758 seqq.

cinus nimirum, in venusto doctoque de Stylo & Dialogo libello, Joannis Baptistæ Rinuccini, Antistitis Firmani, de Episcopi officio librum hortis, qui in locis incultis atque squalidis, arte Magica momento excitantur, comparaverat. Quod Bouhoursius improbavit, indecorum Episcopo ratus cum Mago conferri. Cui Noster ex Servio reponit, comparationem non inter personas, sed inter studia institui, idque Virgilii exemplo, qui Trojanos cum formicis comparaverit. Observaverat porro Bouhoursius, librum Rinuccini non satis bene portentis Magorum assimilari, quæ solidi nihil præ se ferant; ad quæ Noster: non repræsentari hac Allegoria durationem, sed potius admirabilitatem. Sic Homerum Græcorum & Dardanorum, saxis invicem se petentium, conflictum cum nivibus a Jove emissis conferre: neque enim hic æqualitatem, sed simplicem similitudinis rationem requiri. Quod testimoniis Rhetorum tam veterum, quam recentiorum copiose docetur. Dum vero hoc agit, quasi in transcurso, comparationem a Ludovico Borbonio, Principe Condæo, inter Ignatium Lojoram & Cæsarem, interque Xaverium & Alexandrum M. argute institutam, ita commendat, ut tamen, si ad Bouhoursii obrussam exploretur, vix tolerabilem fore contendat. Ostendit deinceps, quænam inter Metaphoram, Imaginem & Comparationem differentia intercedat, idque ex ipsius Pallavicini libro prædicto. Quem quoque, quod Lucretii dictionem paulo obscuriorem larvæ faciem tegenti, non ornanti, comparaverat, contra censoriam Galli notam tuetur, illum ipsum simul incusans, Metaphoram cum larva conferentem, quod rectius ænigmati conveniebat. Promovet inde gradum ad Stradam, qui Libro III, Decad. II de Bello Belgico scripserat: *Adeo non ex vano observatum, cura esse Deo Principum vitam. Quasi non magis cordi in homine, quam Imperatori in exercitu novissimum mori datum sit.* Quæ verba Noster a Bouhoursii vellicationibus vindicans, qui Turennii & Gustavi Adolphi exemplo adductus, contrarium nonnunquam accidisse statuerat, non ad id, quod raro, sed quod plerumque fit, respiciendum esse contendit, Galloque simul exprobrat, quod perperam & contra mentem Stradæ verba prædicta verterit, & similes ejus in Auctorum interpretatione errores recenset, ridiculum ex Novi Fœderis a Bouhoursio

p. 762.

p. 766.

p. 776. seqq.

p. 789-793.

P. 794-797. Gallice facta explanatione, hujus rei specimen proferens. Quod porro Strada L. III, Decad. II *de militibus dimidiato corpore pugnantibus, sibi que superstitibus ac perempta Partis ultoribus* dixerat, id Noster exemplo Lucani factum asserit. Cui merito addas insignem Lucretii locum Libro III v. 612 seqq. de membris curribus falciferis abscissis, ita inter alia canentis:

Falciferos memorant currus abscindere membra,
 Sæpe ita de subito permista cæde calentes,
 Ut tremere in terra videatur ab artibus id, quod
 Decidit abscissum: cum mens tamen, atque hominis vis
 Mobilitate mali non quit sentire dolorem:
 Et simul in pugnae studio quod dedita mens est,
 Corpore cum reliquo pugnam, cædesque petissit.

P. 799 seqq. Ad Thesaurum demum Noster deflectit, qui in Idea argutæ dictionis, non ita pridem Latio in Germania nostra a Viro clarissimo donata, de flammis missilibus, & imprimis de pyrobolis dixerat, quod cœlum incendere, fulmina ipsa fulminare, & sidera terrere, velle videantur, Bouhoursio eam ob causam notatus. Cui Noster respondet: sibimetipsi quasdam in hoc Scriptore formulas improbari, quod nempe eosdem ignes, parvos Averni serpentes, Typhonesque minutos vocarit, sed quod ad verba prædicta attineat, licentiam quandam Poeticam in ejusmodi descriptionibus locum habere, & apud Virgilium, umbonem aureos ignes vomere, ac clamore cœlum incendi. Emolliri insuper *αὐξήσιον* per verbum *videantur*, quo apposito omnis, si qua adsit, durities mitigetur.

P. 804. Addit ipsum Censorem ita peccare, qui odores exquisitissimos ad cœlum ferri alicubi dicat, quod odoribus vix satis competat.

P. 798. Quamvis Plauti in Pseudolo exemplo sese tueri forsitan possit, apud quem odor in cœlum volet. Nec omittendum est, quod Noster monet, secundam Ideæ Thesauri partem, in qua de vitiis dictionis argutæ agendum fuerat, desiderari. Tandem libro elegantissimo finem imponens Illustris Marchio, Gallos elegantiae studia curate tractantes, imprimis autem Artem Poeticam Dacerii & Rhetoricam P. Lamy miris laudibus extollit, suosque cives haud obscure reprehendit, quod elegantioribus hujuscemodi literis tantum non neglectis, inanum modo miratores existant. Nos, ut & ipse & alii

itidem ab Italia Viri docti atque ingeniosi, non suis magis, quam nostris quoque Philologis, calcar ad has studiorum amœnitates excolendas admoveant, merito optamus, doctissimique, quem supra celebravimus, Ludovici Antonii Muratorii, cujus beneficio hæc ipsa Urſi commentatio, licet ferius aliquantulum, ad nos pervenit, quos in litteris ad Actorum Collectores datis promittit, *duos de Consummata Italorum Poesi tomos* anxie expectamus.

QUINTI SEPTIMII FLORENTIS RIVINI, REG. Polon. in Sen. Appell. Consil. & Scabini Lipsiensis, Enunciata Juris ad Ordinationem Processus Saxon. Electoralem, edita ex schedis paternis a D. T. FL. RIVINO.

Lipsiæ, apud Johann. Frider. Gleditsch, 1705, 4.

Constant Alph. 9. plag. 14.

Quæ dudum expectata fuere causarum Patronis, iisque qui ſſo- ro suam operam addicere cupiunt, sæpius antea iterum iterum- que calamo descripta, in publicam nunc lucem prodeunt Excellen- tissimi Autoris Axiomata ad Ordinationem Processus Saxonici Electoralem, opus iis, qui aut causas perorant, aut judiciis & di- casteriis assident, aut rerum forensium notitia instruere cupiunt, animum, utilissimum longe ac fere necessarium. Longam enim rerum judicatarum continet seriem, Decisionumque, quæ in Sca- binatu Lipsiensi, aut summo Provocationum Consilio, causas am- putarunt, uberem exhibet copiam, ut facile, quo libellum dirigere actor, qua ratione sententiam concipere iudex, quidque de dubio litis eventu pars sperare debeat, ex opere hoc præstantissimo queat intelligi. Nobis ex tanta rerum copia, veluti in fertilem delapsis campum, licebit aliquot saltem quasi decerpere flores, ac ex qui- busdam axiomatibus ostendere, quantum commodi, ex diligenti libri hujus lectione quilibet sibi queat promittere. Ita judica- tum fuisse refert, ad demonstrandam paupertatem sufficere atte- statum Domini Jurisdictionis, *Tit. I. Enunc. 14.* Contra pœnam Advocatis dictatam Leutationi aut Appellationi non esse locum, *Tit. 3. Enunc. 34.* Pro confesso & convicto haberi non posse reum, qui nuncium citationem, quam nondum legit, reportare coegit, *E-*

nunc. 65. Tit. 4. In Reconventionione non attendi privilegium fori de non evocando, *Tit. 6. Enunc. 14.* Morte Curatoris extingui Actorium ab eo datum, *Tit. 8. Enunc. 28.* Septiduum Saxonicum consensu partium non posse prorogari, *Tit. 10. Enunc. 53.* Cautio- nem pro reconventionione & expensis, non esse præstandam in cau- sa Matrimoniali, *Tit. 13. Enunc. 3.* Reos, si super actione juramen- tum delatum sit, ob litis contestationem negativam, exceptiones quoad membra libelli negata annexas perdere, *Tit. 16. Enunc. 14.* In Leutatione juramenti delationi esse locum, si Guaranda non- dum sit præstita, & lis tantum eventualiter contestata, *Tit. 18. Enunc. 32.* Reum ad probationem exceptionum haud admitti, si Actor juramentum super actione tota relatum præstiterit, *Eod. Tit. Enunc. 62.* In Processu Summario & Possessorio summarissimo in- terrogatoriis esse locum, *Tit. 20. Enunc. 47.* Uxorem contra ma- riti sororem ad testimonium dicendum non compelli, *Tit. 22. Enunc. 18.* Ad juratam diffessionem mulierem sine Curatore se- posse offerre, *Tit. 25. Enunc. 37.* In examine testium, ad perpe- tuam rei memoriam, Judicem competentem adeundum, offeren- dos articulos, partemque adversam ad danda interrogatoria esse citandam, *Tit. 29. Enunc. 1.* Libros mercatorios, licet sint juramen- to confirmati, non habere vim documenti Guarantigiati, ut execu- tive ex iis agi queat, sed probationem adversus eos & juramenti delationem admitti, *Tit. 20. Enunc. 10.* Sententiam Universitati Syndicum non habenti latam, non transire in rem judicatam, ad- eoque post decennium adhuc, Leutationem vel Appellationem, posse interponi, *Tit. 34. Enunc. 13.* Arbitrarie puniri eum, qui pro- cessum nullitatis arguit, ac nullitatem probare nequit, *Tit. 38. E- nunc. 13.* Jus primæ licitationis maritum sine curatore, & patrem per filium mandato haud instructum, consequi posse, *Tit. 39. E- nunc. 36. & 38.* Pecuniam creditricis, quæ nupsit debitori, pro dote haberi, *Tit. 41. Enunc. 2.* In Oppignoratione bonorum Emphy- teuticorum, & Domini directi, & Domini jurisdictionis consensum esse necessarium, *Enunc. 5. Tit. 46.* Arrestum a Curatore mulie- ris sine ipsius interventu valide impetrari, *Tit. 51. Enunc. 10. & c. & c.* Sed hæc speciminis loco sufficiant: quæ ideo adducenda esse duximus, ut intelligere possit L. B. plenum esse practicarum.

quæstionum casuumque elegantissimorum hoc opus. Quod non sine commodo singulari nobiscum fatebuntur, qui integrum evol- vere, aut seriem saltem Enunciatorum, quæ singulis Titulis præ- mittitur, diligentius perlegere, ex re sua judicabunt.

THE RELIGION OF A PRINCE.

Seu

TRACTATUS DE RELIGIONE PRINCIPIS, IN quo Scripturæ Sacræ præcepta, optima in regnandi arte axiomata esse probantur; profanis Machiavelli, Hobbesii aliorumque principis oppositus a GUILLIELMO NICHOLLS, S. T. D.

Londini, apud Th. Bennet, 1704. in 8. pl. 14 $\frac{1}{2}$.

MUnificentia singularis, quam Serenissima Magnæ Britannia Regina, mox post suscepta regni gubernacula, quæ hodie Orbis cum adplausu tractat, decimarum ac primitiarum largitione, erga pauperioris sortis Clerum gratiosissime exhibuit, (de qua initio mensis Maji nuperi diximus,) Rev. Autori, in Actis hisce sæpius non sine laude memorato, occasionem præbuit, præsentem libellum conscribendi, quem etiam Serenissimo laudatissimæ Reginae nomini devote consecravit. Cum enim Ipsa hoc modo, regni sui pariter ac orbis universi incolis, summæ pietatis bonitatisque egregiæ documentum præclarissimum dederit, non male se acturum Autor existimavit, si ad exemplar istud exquisitissimum, vere Christiani Principis imaginem delinearet, quidque illum deceat, quid minus, breviter exponeret.

Persecutus ergo illud rite est in hocce Commentario, cui quædam præmissa est *Introductio*, in qua Atheorum, Democraticorum, & Epicuræorum nefandæ, quas de Principibus regnandi- que ratione fovent, sententiæ summatim recensentur; Machiavel- li pessimus de Principe liber gravissime perstringitur, tandemque occasio, quæ Autorem ad scribendum impulit, ulterius exponitur. *Tractatio* ipsa in tres maxime partes dispescitur, officiaque conti- net, quæ tum erga Deum, tum erga finitimos Principes ac Status, tum erga eos, quibus parendi gloria relicta est, Principi præstanda sunt.

Ea, quæ Deo debentur, aut ad cultus Divini sinceritatem, aut ad vitæ integritatem, aut ad religionis curam defensionemque referuntur. Quæ Statibus finitimis Principibusque exhibenda sunt, partim religiosam pactio-
 num ac foederum cum aliis sanctorum observationem, partim belli non nisi justis de causis suscipiendi rationem, partim erga victos armisque subactos clementiam respiciunt. Quod denique ea attinet, quæ Principes iis, quibus præfunt, debent, in eo ipsorum officium consistere dicitur, ut amore magis quam timore imperium firment, ut justitiam, indulgentiam, munificentiam pacemque inter suos confirmandi studium nunquam non sectentur, ut præterea bonis consiliis aures benevolas præbeant, eademque sequantur. Hæc duodecim capitibus ita explicantur, ut nec argumenta desideres, quibus falsa Atheorum & Machiavelli sectatorum principia acute refelluntur, nec rationes & exempla desint, sive ex sacris sive ex profanis desumpta litteris, quibus vera sententia confirmatur atque declaratur. Tandem *conclusio* operis sese offert, in qua Auctor non modo probat, quod ille demum Princeps veram virtutis gloriam mereatur, qui officiorum supra traditorum bene memor sit, sed etiam ostendit, quod singula, quæ hæcenus dixerit, in Serenissima Magnæ Britannicæ Regina, tanquam in speculo limpidissimo, compareant.

N O V A L I T T E R A R I A.

DE rebus Moscoviticis Excellentissimus Huyssenius, quem Augustissimo Moscorum Monarchæ a consiliis status & belli esse, & Serenissimi Principis Alexii Petrovitii educatoris juventutis munere fungi, supra mense Majo indicavimus, plura nobis retulit, digna utique, quæ cum curioso Lectore communicemus. Præ cæteris in instaurandis apud Moscos literis occupatus fuit aliquandiu Ernestus Glückius, Mariæburgi antehac Præpositus & Pastor Primarius, quo in loco (falso enim Narvam pro Mariæburgo scripsimus loco citato, quod mendum cupimus corrigi) triennio abhinc a Moscis captus, & literaria suppellectile spoliatus est. Is, dum in vivis esset, (nuper enim mense Majo, haud parvo rei lit-

terariæ in illis locis detrimento eum obiisse, relatum est,) a Czarea Majestate quotannis accepit 3000 Rublones, si ita loqui cum Moscis fas est, seu 6000 circiter unciales Germanicos, ad sumptus Gymnasii sive Scholæ Illustris, quæ sub ejus moderamine Moscuæ in palatio Nariskiorum aperta est. Ad eam frequentandam & Nobiles & Plebeji publico edicto invitantur, eoque vacatio a militia his, qui eam postulant, datur, & promotio certissima promittitur. Docentur autem hic gratis a variis Magistris Græca, Latina, Gallica, Italica atque Turcica. Neque minus & PP. Jesuitæ, Missionarii, in suburbio Germanorum, præter Latinam linguam, Mathesin atque disciplinas militares adollescentes docent. Pariter & Patres Græci spectatæ eruditionis, e dissitis regionibus evocati, publice sumptibus Supremi Moscorum Monarchæ, & linguas, Græcam & Latinam, & Philosophiam atque Theologiam (qualem antea Kioviæ, & Romæ quoque aut Patavii didicerunt) profitentur, & publicas nonnunquam Disputationes de thesibus typis impressis instituunt. Ut quoque S. Literæ in lingua Ruthena emendatius legerentur, idem Princeps Potentissimus curam novæ atque accuratæ versionis Theologis aliquot insignioribus demandavit. Medicinam diligenter præ reliquis Bidlojus, Asmes, Kellermannus, Blumentrostii, Carbonarius, S. Czar. Maj. Archiatri, excolunt. Imprimis vero Bidlojus Batavus, in theatro Anatomico, splendido, quod inhabitat, ædificio, sæpius præsentem totam Aula, anatomen corporum humanorum, quæ vel morbo vel ex vulnere contabuerunt, instituit. In Observatorio Angli quidam Arithmeticam, Geometriam & Artem Navigandi publice docent, auscultantibus Ruthenis plus quam ducentis, quibus & pro ratione profectuum stipendia solvuntur, tum qui prævio examine digni reperti sunt, unde donantur, & congiarium adepti in militiam mittuntur. Et ne quid ad incrementum literarum desit, libri omnis generis, speciatim belli Ducum Vitæ, in linguam Ruthenicam transponuntur, & publicæ quoque Relationes, de rebus in Europa nuper gestis, singulis septimanis idioma patrio imprimuntur, & pro exiguo pretio venduntur, ut vulgus quoque & sequior sexus rerum, quæ

quæ apud exteros geruntur, noscendarum studio accendantur. Sed ut porro de libris in Moscovia nuper impressis aliquid recensamus, prodiit Moscua anno proxime elapso *Idea Antichristi*, auctore Stephano Jaworowsky, Phil. ac Theologiæ Doctore, qui enobili Polonorum familia oriundus, in Kioviensi olim Academia Professor fuit, nunc Archi-Præsul sive Metropolita Rezanensis & Muromiensis audit, Vir spectata eruditione & facundia in cathedra Scholastica & Ecclesiastica, ut Augustissimus Moscorum Imperator eum ad functiones Patriarchæ in Imperio Moscovitico obeundas vocaverit. At de eo libro, cum multa contineat curiosa, proxime dicemus. Imprimis autem Auctor Lexici Slavonico - Græco - Latini, de quo alibi diximus, Polycarpow, Zcareæ & Patriarchali Bibliothecæ Præfectus & Director Typographiæ Moscovitiæ, in qua per accessionem Narvensis, nunc omnium linguarum typi reperiuntur, quem modestia morum, & linguarum Græcæ, Latinæ, Slavonicæ notitia commendant, librorum edendorum curam habet diligentem. Quippe ejus jam studio prodierunt *Systema Arithmeticum* in fol. *Alphabetarium trilingue* in 4. *Idea Antichristi* in 8. ut & *Florilegia SS. Patrum Græcorum*, e. g. Joh. Chrysoctomi, Gregorii Nazianzeni, Cyrilli Alexandrini, Theophylacti &c. His nonnulla addemus Vilmæ in Lithuania impressa. Prodiit ibi A. 1701 in 4. *Tetrachordium Tragicum Passionis Mortisque Salvatoris ac Domini nostri Jesu Christi, Veri Dei & Hominis, pro salute humana inhumaniter ab hominibus passi, Historiam resonans, ad concordem quatuor Evangelistarum harmoniam intentum, &c.* cujus auctor est Eustachius Kotowicz Episcopus Smolencensis, qui omnem laudis vanæ speciem fugiendo, nomen titulosque suos taceri voluit. Nunc vero ibi imprimuntur: *Enodatio Casuum difficilium circa Sacramentum Matrimonii occurrentium, ad usum fori tam interni, quam externi*, in 8. nec non *Corona Australis Polonica in Polo septenis effulgens sideribus, sive Encomia totidem Reginarum Poloniæ ex Familia Austriaca, cum Documentis Ethicis, Prosa & Metro*, in 4.

A C T A ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Septembris, Anno M D C C V.

Alle de Wercken van den Heer P. C. HOOFT.

i. e.

PETRI CORNELII HOOFT OPERA OMNIA IN
quatuor partes distributa.

Amsterdami apud H. Wetstein & P. Sceperum, Ultrajecti apud
Gu. van de Water, & Lugduni apud Dan. van den
Dalen, 704, fol.

Constant in universum 30 Alph. & 9 plagulis: Figurarum vero
ænearum 1 Alph. plag. 7, præter eas, quæ Parte III una
cum Emblematis sunt impressæ.

Merito id Excellentissimi olim inter Batavos Viri, Petri
(Cornelii filii) Hooft, Satrapæ Mudensis, Polyhistoris
ac Poetæ sine exemplo, datum memoriæ fuit, ut ope-
ra ejus omnia, dudum quidem maximam partem edi-
ta, junctim nunc typis descripta, luci publicæ denuo exponerentur.
Divisa sunt in quatuor partes, quarum *prima & secunda* celebra-
tissimam ejus complectuntur Historiam Belgicam, ab eo tempore,
quo Carolus V Imperator Belgicarum provinciarum cum regnis
Hispanicis annexisque ditionibus aliis regimen Philippo II filio tra-
didit, usque ad exitum fere Advocatiæ Comitum Leicestræ, quar-
tum nunc recusam: de qua & tanto omnium cum applausu
olim excepta, & hodieque publice æstimata, plura dicere
non attinet. *Tertia* opera ejus exhibet miscellanea, quo spe-
ctant Historia Henrici IV Galliarum Regis, Narratiuncula de fa-
tali-

talibus exsurgentis Domus Mediceæ infortuniis, Auctoris ad viros celeberrimos Epistolæ 218, Opuscula aliorum in linguam Belgicam ab Hooftio versa, Comœdiæ ejusdem, Emblemata & Poemata cujuscunque generis. Quæ quidem jam A. 1671 a filio Arnoldo, Equite S. Michaelis ac Scabino Amstelodamensi, fuerunt edita, nisi quod *David van Hochstraten*, qui novæ hujus editionis curam habuit, & epistolas quasdam antea non vulgatas, a Nobilissimo Viro *Gerhardo van Papebroch* suppeditatas, & Poematibus illud imprimis, quod A. 1700 Florentiæ compositum, ad Academiam in Hollandia sub nomine *Kamer in Liefde bloejende* eo tempore florentem olim miserat, neglectum quidem hactenus, velut immaturum, sed dignum tamen, quod legatur, visum adjecit. *Quarta* Taciti opera, in linguam Batavorum ab Auctore olim incredibili studio, nec minori felicitate conversa, primumque Amstelodami A. 1683 publicata, comprehendit.

Atque hæc de splendido licet opere dicta, pro instituti nostri ratione suffecerint, cum non nisi recens primum vulgatos libros recensere consueverimus. Neque tamen ingratum Lectori Benevolo futurum arbitramur, si cum Illustris Hooftii Vitam, Historiæ ejus Belgicæ in his operibus præmissam, & quondam a Gerardo Brand, celeberrimo illo Historiæ Remonstrantium auctore compositam deprehendamus, ex ea quædam excerpta demus, ne cuiquam, quantus Vir Hooftius fuerit, ignoretur. Natus nimirum ille est Amstelodami d. 16 Mart. A. 1581, patre *Cornelio Petri Hooft*, Consule Amstelodamensi, matre *Anna Blavia*. Studiis mature innutritus, ingenium ostendit linguæ & poeseos Batavicæ imprimis cupidissimum, quo tempore *Collegium* illud in *Amore florens*, cujus supra meminimus, Amstelodami eo decore splenderet, ut aliquando inter ejus membra quinque Consules & octo Scabini Amstelodamenses numerarentur. Itaque, cum illud in excolenda lingua poesique patria unice versaretur, illi se addixit totum, *Henricum Laurentii Spigelium* (cujus opus palmarium *Speculum cordis*, *Herz = Spiegel* / una cum opusculis aliis A. 1694 in Hollandia recusum est) in primis magna tum auctoritate pollentem æmulatus. Postea Academiam Lugdunensem ea tempestate longe florentissimam, cum *Josephus Scaliger*, *Franciscus Junius*,

Paulus Merula, Carolus Clusius, Bonaventura Vulcanius, aliique præclari Viri doctorum munere fungèrentur, incoluit, & sub tantis præceptoribus absoluto studiorum Academicorum cursu, integrum inde fere triennium itineri per Galliam, Italiam, Germaniam facto, summo cum fructu impendit. Unde jam A. 1609 a Principe *Mauritio Auriaco*, prævia Ordinum Hollandiæ Præpotentium nominatione, Satrapæ Mudensis, Prætoris Goelandiæ, & Officialis supremi Vesopenfis munere, magnæ utique dignitatis, ornatus est: etsi id quoque Parentis in Rempublicam & Domum Auriacam meritis fuit datum, qui tum superstes, octogenarius demum A. 1626 decessit. Interea Noster, postquam Comœdias ac Tragoedias quasdam edidisset, Vitam & Res gestas Henrici IV Galliæ Regis Belgico sermone, ut alia omnia, adornavit, octo fere annorum annis eam in rem impensis, eo applausu, ut *Hugo Grotius* in Epistola ad Hooftium, quæ est inter epistolas ejus Amstelodami A. 1687 editas ducentesima decima sexta, non dubitarit gratulari tanti Regis Manibus, quod tantum Scriptorem invenerit, & Rex Galliæ Ludovicus XIII postea præstitam gloriæ Patris operam remuneratus fuerit, collatis Nostro A. 1639 Nobilitatis insignibus & Equestri S. Michaelis ordine. Ast præcipuæ tamen ipsi curæ Historia Belgica fuit, cui componendæ jam tum A. 1628 manum cœpit admoveere, & toto deinde vitæ decursu insudavit, donec A. 1647 Hagæ Comitum, quorsum ad spectanda Friderici Henrici Principis Auriaci, qui non ita pridem decesserat, solennia funebria profectus fuerat, morbo oppressus expiravit, nondum absoluto sexagesimo sexto ætatis anno. Corpus defuncti Amstelodami in Templo, quod vocant, Novo tumulo paterno illatum est; postridie vero in Theatro urbis publico, honori ejus non oratio solum parentalis a *Brandtio* nostro conscripta, ast ab *Adamo van Germes*, actore in scena solertissimo, recitata, sed & cum illa finita esset, una e præcipuis ab Hooftio elaboratis Tragoedia, cui *Geerard van Velzen* nomen est, populo fuit exhibita: quod exemplum repetitumne postea fuerit, nobis quidem non constat. Fuit de cætero Vir linguæ patriæ & poeseos longe studiosissimus, ut cum Poetria etiam quadam Tesselschaede, seu ut ipse per anagramma vocabat, *Sachtefedeles*, per semiseculum fere, amicitia ipsi literarum commercio ex-

culta intercesserit. Inter Poetas veteres Virgilium, inter Historicos Tacitum, cujus opera bis & quinquagies perlegerat, & styli concisam ingeniosamque rationem imitatus fuerat, summo loco habuit. Utique hinc factum, ut in Historia Belgica aliisque scriptis lectorem requirat attentissimum, & acumine ingenii minime destitutum: quo respexit forte & Poeta Belgicus celeberrimus, *Joost van den Vondel*, quando ad Amicos dicere solitus fuit, in universo Belgio neminem se nosse, qui par sit vel unico folio componendo ea sublimitate, qualem universa Hooftii Historia Belgica spiret. Inter Belgicæ Historiæ Scriptores Italos, Cardinalem Bentivolium: inter Historiographos quoscunque alios, Thuanum æstumatissimos habuit. Ex Amicis *Constantinum Hugenum de Zuilichem, Casparem Barlaum, Vondelium, Gratium, Vossium* præcipue coluit. In administrando Satrapæ munere, æquum se omnibus præbuit, forditiem maxime exosus, ut ex bonis etiam condemnatorum fisco addictis, partem sibi debitam viduæ aut hæredibus aliis donaverit, autochirorum inprimis, quos nonnisi ex infania peccasse, persuasum habebat. Religionem Reformatam profitebatur, sed inimicus zelotis, ut edicta etiam adversus Romano-Catholicos lata executioni mandare non sustineret. Symbolo usus, *omnibus idem*, id consecutus est, ut nec ipse quemquam offenderit, & vicissim raro exemplo, aliorum odium atque invidiam feliciter effugerit. Conjugium, ut de hoc postremo loco dicamus, duplex ipsi obtigit, primum A. 1610 cum *Christina van Erp*, ex quo suscepti liberi mature extincti sunt; alterum A. 1627 cum *Leonora Hellemans*, e quo genitus *Arnoldus Filius*, Eques S. Michaelis & Scabinus Amstelodamensis, cujus jam supra a nobis facta est mentio.

EXPOSITIO LITERALIS ET MORALIS SANCTI
Evangelii Jesu Christi secundum quatuor Evangelistas. Autore
R. P. F. NATALI ALEXANDRO, Ordinis F. F. Predicatorum,
in Sacra Facultate Parisiensi Doctore, & eme-
rito Theologiæ Professore.

Parisiis, apud Joannem Anisson, 1703, in fol.

Alphab. 8.

Post multa variaque opera in lucem hactenus abs se emissa, in
 Scripturæ tandem Sacræ lectione acquiescere, inque ejus medi-
 atione confenescere decrevit doctissimus, nobisque sæpe memo-
 ratus R. P. F. Natalis, Alexander. Sanctum igitur Evangelium in
 manus sumit, ejusque expositionem continuam, juxta quatuor Ev-
 angelistarum ductum adornavit, literalem sensum primo, ac post-
 modum moralem quoque dilucidans. In literali sensu pandendo,
 parallela potissimum Scripturæ loca, & sanctorum Patrum Com-
 mentarios se excussisse, profitetur; venerandamque, quam appel-
 lat, Traditionem ubique se præ oculis habuisse addit. Vulgatam
 versionem Latinam pressius secutus est, quamvis & Græci textus
 & Orientalium versionum vim, sicubi opus duxit, attingere haud
 neglexerit. Quam Eruditos plerosque viros data dudum opera
 illustrasse censet, Evangelistarum concordiam & harmoniam, brevi-
 ter tantum se delibasse, nullus dissimulat. Moralem vero sensum
 non minori, ac literalem illum, industria prosequendum sibi venire
 ratus est, quandoquidem Divini verbi prædicatoribus animarumque
 pastoribus, quibus Evangelium populo explicare ex officio incum-
 bat, consulere hoc pacto decreverit. Veterem namque concio-
 nandi rationem, quam sancti Patres & antiqui Episcopi sectati
 sint, in Ecclesiam revocari optat, ut nimirum totius Evangelicæ
 lectionis, quam quisque auditoribus proponit, series explicaretur,
 sensuque literali, quantum necesse est, exposito moralis erueretur,
 cui præcipue Ecclesiastes insisteret. Novam namque (& suæ fidei
 fociis, ut constat, admodum familiarem) concionandi rationem,
 parum probat, quæ, unica Evangelii sententia pro themate assum-
 ta, extra quam divagetur ut plurimum Concionator, ejusque se ve-
 lut immemorem in progressu sermonis ostendat, humanis conce-
 ptibus, ingeniosis licet, sterilibus tamen & exsuccis, ac elegantibus
 quidem, sed sæpius infructuosis morum humanorum picturis, au-
 ditorum pascat, seu potius jejunos dimittat animos, ac molli elo-
 quentia comtæque orationis ornatu ac leporibus demulceat, non
 instruat, non moveat, non flectat. Quod cacoethes tollere se
 studuisse innuit hoc Commentario, quem forte coronidem impo-
 siturum conjicit operibus suis reliquis, cum ultra sexagenariam æ-
 tatem provectus, lassescere jam incipiat. Cæterum a famosis illis

propositionibus quinque, ab Innocentio X & Alexandro VII in sensu Jansenii damnatis hæreticisque, nusquam non se abhorrere testatur; quanquam a sanctorum Doctorum, Augustini & Thomæ, dogmatibus de Gratia per se efficaci, & omnino gratuita sanctorum Prædestinatione, aut a sanioris disciplinæ moralis defensione, ne latum quidem unguem se deflexisse, simul affirmet.

*JOH. BRAUNII, SS. THEOLOGIÆ DOCTORIS,
ejusdemque & Hebrææ Linguae in Academia Groningæ & Omlandia
Professoris, Commentarius in Epistolam ad Hebræos, cum
indicibus locupletissimis & quibusdam
tabulis æneis.*

Amstelodami, apud Henricum & Viduam Theod. Boom, 1705, in 4.
Constat 5 Alph. & 19 plag.

Dedicavit celeberrimus Autor Commentarium suum pereruditum Omlandia Ordinibus, eorumque Deputatis Novemviris: in qua dedicatione, Ecclesiæ Christianæ deploranda hoc nostro ævo facie expensa, luget, dari nonnullos, qui tentatam inter Lutheranos & Reformatos unionem impedire satagant. Largitur, controvertentes olim Theologos ab utraque parte peccasse: ast cum iniqua malorum commemoratione nemo ad concordiam adducatur, in comitiis pacis primum caput poni debere sanctam malorum oblivionem. Cordatioribus Theologis, tam Lutheranis, quam Reformatis, rixosorum hominum privatam hostilitatem, asperitatem ac contentiones, & olim improbatas, & hodiernum improbari. Inprimis per totam Saxoniam, sapientiores primosque Ecclesiarum Antistites magnam Reformatis demonstrare humanitatem: id quod maxime factum sit a Celsissimo Electore gloriosæ memoriæ, qui ante non multos annos aliquot centena ex Cocceji operibus coemi jusserit exempla, ut quælibet Ecclesia suum haberet. Concedit equidem, nec Lutheranos facile eo adduci posse, ut cum Reformatis in omnibus consentiant, nec Reformatos omnes Lutheranorum sententias amplecti posse; non tamen omnem opinionum dissensum diversam religionem illico dicendam esse, cum nec olim unquam extiterit, nec hodie ulla existat religio, quin fratres in variis capitibus a se recesserint,

hodieque recedant. Cum igitur Reformati & Lutherani in fundamentalibus religionis Christianæ capitibus conveniant, & errores fundamentum fidei ac vitæ sanctimoniam evercentes unanimiter detestentur, adeoque ambo certissime membra Ecclesiæ Christi existant; cur externum fraternitatis vinculum accedere non debeat, rationem esse nullam. Ostendit inde, ambos eadem de Deo, ipsius decretis & decretorum executione credere. Si vero quis objiciat, non tamen eodem modo hæc credi a Reformatis, quo a Lutheranis, illi Noster respondet, modum non facere ab stabilienda salutis fundamenta, sed versari ut plurimum circa subtilitates nullius momenti, atque circa controversias, quæ hæctenus nondum decisæ creduntur, nec facile ad mentem cujuslibet decidi possunt; nec eum qui ignorat, posse dici damnatum, cum pauci reperiantur, in primis inter illiteratos, qui de modo edocti sint, immo multi Martyres, ob fidem in Christum mortem obeuntes, eundem ignoraverint. Non statim, quæ nobis dura videntur, pro duris habenda esse; fieri enim posse, ut auctoris mentem non recte capiamus, aut ex ejus thesi consequentias deducamus, quas ipse non admittit. Non tamen improbat consilia de convocandis ex utraque parte Theologis doctis, prudentibus, pacificis, ut serio controversis capitibus examinatis, in timore Dei tentent, quo usque alter alteri obviam ire possit. Adhortatur tandem suos ac seipsum, ut si Lutheranis pacem inire nondum visum fuerit, ipsi tamen a sua parte omnia odia, similtates, dissidia & discordias, quæ pacem turbent, deponant, certi promissionum Divinarum de optationibus temporibus, quibus major erit in Ecclesia cognitio, & membra Jesu Christi profundam pacem colent.

Quod jam Commentarium ipsum spectat, probe quidem noverat Noster, paucos esse Scripturæ libros, in quos stylum magis exercuerint interpretes, quam in Epistolam ad Hebræos. Cum tamen expenderet, eam continere totam Veteris & Novi Testamenti Theologiam, ita ut ipsa intellecta, reliqui verbi Divini libri, ac profundiora mysteria arcanaque in iis contenta, ipsæ etiam antiquitates, ritus, mores, observationes atque ceremoniæ sacræ & profanæ, Prophetarum secretiora dicta & revelationes ænigmati-
æ, sanctiores denique pietatis normæ ac regulæ intelligerentur,

ad

ad quæ tamen omnia una non respiciunt interpretes reliqui quia laborem ab aliis sæpius jam iteratum in se susciperet, non dubitavit, operam potissimum dans, ut, quæ ad verborum & rerum intelligentiam, ad nexum & ad scopum Spiritus S. scitu necessaria, breviter, clare & solide exponeret. Quoniam vero Epistola ad Hebræos multum facit ad evertendos Socinianorum errores, hunc usum quoque constanter ostendit, & ne videatur, quod sæpe accidit, ipsis affingere, quæ minus concedunt, contra Schlichtingium inprimis aciem stringit. Expositioni Epistolæ præmittit Prolegomena, in quibus prolixè docet, eam jure haberi pro Canonica; autorem agnoscere Paulum, a quo scripta sit, cum Romæ sub imperio Neronis captivus detineretur, ad Judæos in dispersione; & tandem in scopum Scriptoris inquit, quem esse contendit avocationem Hebræorum ab observantia legis Mosaicæ, & adductionem eorundem ad Christum Servatorem. Unde tres contineat partes, 1. Exhortationem, ut, cultu Mosaico relicto, in Christum credant, a cap. 1 ad vers. 19 cap. 10. 2. Admonitionem ad veram pietatem, in fide & sanctitate perseverantiam, a v. 19 cap. 10 ad v. 20 cap. 13, & 3. Preces pro sanctis a v. 20 cap. 13. usque ad finem. Hinc nervose ostendit scopi partialis cujuscunque capituli cum scopo totius Epistolæ nexum.

Quoniam vero Noster probe novit, nexum inter veritates revelatas cum cura observatum multum facere, tum ad agnoscendam sapientiam, potentiam, bonitatem aliasque perfectiones Divinas, tum ad confirmandam Scripturæ sacræ autoritatem Divinam, non singulis solum capitibus & versiculis contenta præfigit, atque nexum eorundem tam inter se, quam cum antecedentibus monstrat, sed in singulis quoque propositionibus, nexum inter subjectum & prædicatum, ex eorundem natura & analogia fidei, sicubi fieri potest, ostendit. Verborum significatum ex principiis philologicis, & collatione locorum parallelorum Scripturæ, ubi necessitas hunc laborem efflagitat, vindicare non negligit. Si quæ phrasæ ritum quendam sive sacrum sive profanum sapiunt, ita ut sine istius cognitione earum emphasis intelligi nequeat, ex antiquitatibus sacris atque profanis eundem enucleare, quemque phrasæ ad eum habeat respectum, docere studet. Singulorum quæ asserui-

mus, unicum saltem proferemus exemplum, ut Lectori de nostro iudicio suum interponendi ansam demus. Ita e. gr. ad comma primum capitis primi notat, vocem πολυμερῶς Græce sonare *pluribus partibus*, convenire autem cum Hebræo לפרקים, quod & partes & tempora notet. Verbum enim פרק significare *rupit*, unde descendat Germanorum Brechen/Belgarum breefen/forte & Latinorum fregit, ubi פ sit raphatum F, & ק mutetur in G, quia ejusdem organi. Inde פרק idem esse ac μέρος, partem, ac πολυμερῶς idem, quod per plures partes, vel etiam per plura capita seu articulos, cum *perek* quoque significet caput vel articulum. Observat vero ulterius, פרק quoque notare definitum tempus, ut πολυμερῶς idem sit ac לפרקים multis temporibus. Omnes significatus hic invenire locum demonstrat, quia omnes gignunt sensum Scripturæ sacræ apprime conformem, ita ut nulla subsit ratio, cur unum potius intenderit Spiritus Sanctus quam alterum. Connectionem igitur prædicati atque subjecti hujus propositionis, *Deus multis temporibus per varias partes & capita locutus est*, ex diversis Fœderis gratiæ œconomis, ad quas Coccejus ipsiusque discipuli in demonstrationibus Theologicis recurrunt, deducit. Ita ad *com. 35. cap. 11.* notat, vocem τυμπανίζειν descendere ἀπὸ τῆς τυμπάνης, quod a verbo τύπω derivat & cum Hebræo הך convenire ostendit, & ex Suida & Scholiaste Aristophanis baculum significare probat, quo verberant, & juxta Stephanum denotare palum, ad quem alligati fontes fustibus contundebantur, observat. Unde cum non solum ex 2 Maccab. 6. v. 28, sed & Suida & Hesychio probari possit, tale olim supplicii genus obtinuisse, quo rei palo alligati & distenti baculis percuterentur, donec toto dorso pellicis quasi extraheretur; per vocem τυμπανίζειν ab Apostolo illud designari, tandem concludit. Similiter ad *comma subsequens ejusd. cap.* vocem ἐπέθησαν de tali supplicii genere interpretatur, quo fontes ferra dissecabantur, cum tale supplicium olim obtinuisse, ex 2 Sam. 12, 31. 2 Chron. 20, 6, ex Rabbinis atque ex Patribus, ut Origene, Tertulliano, Hieronymo, Epiphanio, Justino Martyre &c. constet.

Cæterum cum Doctissimus Autor nexum veritatum in hac Epistola revelatarum constanter explicet, eæ autem officium Christi

mediatorium, & omnem salutis sub Veteri & Novo Testamento dispensationem accurate declarent: quantum ad diversas foederis gratiae œconomias distincte concipiendas in suo Commentario contulerit, quivis facile judicabit. Et quoniam idem argumenta Socinianorum ex ratione petita ex solidis demonstrationibus Metaphysicis accurate destruit, & contorsiones locorum Scripturæ ab istis factas ipsis rationis evidentibus principiis contrarias esse demonstrat (cujus rei exemplum videas p. 547, ubi Socinianorum errorem refellit, Christum in principio potestatis esse dependentem a Deo, atque independentem in executione & operatione, & demonstratione Metaphysica evincit, nullam creaturam fieri posse a Deo independentem, ita ut nulla creatura independens a Deo concipi possit, quemadmodum nullus potest concipi Deus dependens) ad profligandos veritatis revelatæ hostes multum omnino contulisse censendus est Autor in Theologia Coccejana & Philosophia Cartesiana versatissimus: quos suos in utraque progressus prorsus insignes luculenter demonstravit, non solum in scriptis pluribus antehac editis, sed & per *ἐπίμετρον* de æterna Filii generatione ad calcem libri subjectum, contra eos directum, qui generationem æternam Filii œconomicam tantum esse affirmant: cum qua thesi non solum Tritheismum, sed & Polytheismum ipsum, eumque innumerabilium Deorum, necessario connecti, ex intimis Theologiæ ac Philosophiæ principiis evincit.

GYMNASII TICINENSIS HISTORIA ET VINDICIA, a Seculo V ad finem XV. Authore ANTONIO GATTO, in eodem Gymnasio Antecessore.

Mediolani, typis Josephi Pandulfi Malatestæ, 1704. 8.

Plag. 15.

Quæ in Karoli Antonii de Luca Melphiciani libro, *Laurea Legalis* inscripto, & recensione omnium fere publicarum Academicarum complexo, ignotum quo fato, quave incuria, prætermissa plane est celeberrimi *Gymnasii Ticinensis* seu *Academici Papiensis* Historia, eam nunc ab oblivione vindicatam Vir omni eru-

ditione præditus, *Antonius Gattus*, Mediolani, una cum Vindiciis quibusdam typis evulgavit, non exiguo rei literariæ emolumento. Professos esse in eo omnibus sæculis Viros cujuslibet scientiæ clariores, Karolum illum Antonium de Luca, velut Jureconsultum, eo minus latere potuisse Gattus commonet, si modo ipsi noti Baldus, Præpositus, Jason, Decius, Curtii, Gallaratus, Torielli, Tortus, Costa, Menochius, Merenda, Ramos, Pechius & alii plurimi, qui Jus Civile in Ticinensi Schola publice docuerunt. Equidem operis difficultas ipsum quoque Gattum facile primum absterruerat, partim quod antiqua Universitatis & urbis monumenta undique perquirenti, post depopulationem urbis initio XVI sæculi, omnia interiisse referebant; partim quod ex veteribus Italarum & Gallorum Scriptoribus soli Saccus, Breventanus, Spelta ac alii posterioris ævi Historici offerebantur. Ast quum fors inopina Romanam Gattum perduxisset, tum *Justus Fontaninus*, celebris Cardinalis Josephi Renati Imperialis Bibliothecæ, cujus Præfectus est, copia ipsi facta, tum Abbas *Dominicus Passioneus*, Græcæ & Latine eruditionis studiosissimus, eum incitarunt, ut desiderium vindicandæ Ticinensis Academiæ, quod fere deperierat, rursus in ipso revivisceret, isque peregrinus in Urbe *Synopsim* ejus typis editam evulgaret. Quæ ad *CLEMENTEM XI*, hodiernum Pontificem Maximum, literarum amantissimum, delata effecit, ut ille Gattum ad osculum pedis admissum summa benignitate exciperet, & singularem dein quoque eidem per literas cujusdam honorem polliceretur. In patriam Roma reversus Gattus, nihil amplius, medias inter belli turbas, de edendo opere cogitasset, nisi ipsum suis literis ad illud edendum impulissent Viri toto terrarum orbe celeberrimi, *Antonius Magliabecchius* & *Ludovicus Antonius Muratorius*, ille Regiæ Celsitudinis Magni Ducis Etruriæ, hic vero Serenissimi Ducis Mutinæ Bibliothecarius.

Itaque ubi in *primo*, *secundo* & *tertio* operis hujus, multam variamque eruditionem complexi, *capite* de urbis Ticinensis, ab Italæ hodie *Pavia* dictæ, antiquitate & nobilitate quædam hucusque ignota præfatus esset, & inter reliqua, eam primum quidem, municipium & coloniam Romanorum fuisse, deinde vero perpetuam Regum Longobardorum sedem factam, & in ea a Theode-

rico magnificentum palatium, *Regia Ticina & Civitatula* seu sermone Italico *Citadella* dictum, fuisse exstructum, notato P. Eustachii a S. Ubaldo errore, qui perperam hoc ad urbis dedecus trahere conatus erat, comprobasset; nunc ad ipsius Gymnasii Ticinensis Historiam conversus, in *capite quarto* Scholas Ticinenses jam sub Boethio, qui A. 526 a Theoderico morte fuit damnatus, & Ennodio Episcopo, qui teste Guillelmo Cave A. 521 est præmortuus, floruisse demonstrat, opinione Sacci, Bellovacensis & Vossii de Ennodii ætate una rejecta. Dehinc *capite V* floruisse Ticini bonarum artium studia, regnante Karolo M. ex eo palam est, quod hic, antequam in Italiam veniret, ex ea urbe Parisios Petrum Pisanum, qui cum Julio Judæo disputationem illic habuerat, acciverit, edocerique ab eo Grammaticam in palatio suo voluerit, posteaque vicissim Joannem Albinum, Monachum pereruditum, qui cum mercatoribus ex Scotia Parisios venerat, *sapientiam venalem* se habere professus, Papiam miserit, ut sublimiores illic scientias traderet. Id quod in *capite sexto* ulterius confirmat, contendens, quod licet Monachum istum, a Karolo Papiam missum, Sangallensis aliique Albinum, aliqui vero Joannem vocent, utroque tamen nomine Joannem Albinum vocatum, non dubium sit; perinde ac Alcuinum, Karoli M. præceptorem, Flaccum Albinum nuncupatum scribat Joannes Mabillonius: quam sententiam etiam Jacobus Usserius in præfatione ad Epistolas Hibernicas adprobet. Ipsum autem Joannis Albini, Scoti, Papiam adventum circa A. 780 contigisse, id est quod in *capite septimo* ex Mabillonio conjicit. Posthæc in *capite octavo* ad Petrum Pisanum reversus, tum hunc e Scholis Papiensibus ideo a Karolo M. in Galliam vocatum, ut primus esset Parisiensis Academiæ institutor, cum Bulæo, Parisiensis Universitatis Historiographo; tum Scholas Papienses illis sæculis non Episcopales seu Cœnobiales, sed publicas & universales fuisse, comprobat. Quo facto in *capite nono* Monasterium S. Augustini Joanni Albino, ceu locum illustrem, in quo scientias profiteretur, a Karolo M. assignatum; & in dicto Monasterio jam ante Karolum M. Benedictinos adfuisse; Canonicis item Regularibus in eodem ante annum MCCXXII locum datum, contra Joannem Mabillonium evincit. Ab his temporibus,

in *capite* subsequente *decimo*, Scholas Papienses in publicam demum Academiam cum privilegio Karoli M. & Ludovici Pii erectas conjecturat; & Synodi VI Ecclesiæ Gallicanæ de Scholis tribus publicis loco diligenter expenso, Innocentii Cironii & Ludovici Thomassini opiniones circa ejusdem loci intellectum refellit; ac præ cæteris quoque Monachi Sangallensis sive Notkeri Balbuli Historiam ab erroribus, ipsi a Joanne Launojo publice objectis, vindicat. Progressus abhinc in *capite undecimo* ad Karolum Calvum, ejusdem studium & amorem erga scientias magnis Nicolai & Joannis VIII Pontificum elogiis extollit, ex eo satis etiam elucescentem, quod Ticini Regio Longobardiæ diademate ab Ansberto Archiepiscopo coronatus, omnia Papiensibus, & sic probabiliter etiam Universitati ab Avo conditæ & a Patre protectæ, privilegia confirmaverit. Ubi & Papiam ab Hunnis postea incensam, sed non plane everfam, contra Frodoardum & Hugonem Flaviniacensem affirmat; & celebrem inter Otricum & Gerbertum coram Othone II disputationem addit. Circa A. M XXX Lanfrancum Papiensem, Magistrum omnium suæ ætatis doctissimum, Parisienses Scholas, a Petro Pisano institutas, restaurasse, eundemque Papiæ Anselmum de Badagio Mediolanensem, qui postea sub nomine Alexandri II ad Pontificatum evehctus fuit, discipulum adeo sibi gratum habuisse in *capite duodecimo* meminit, ut quum Lanfrancus jam consecratus Archiepiscopus Cantuariensis Romam profectus esset, propter litem cum Thoma Eboracensi Archiepiscopo, ei Pontifex e throno assurrexerit, & ipsum, ut legitur in Vitis XXIII Abbatum S. Albani, his verbis exceperit: *Assurgo tibi tanquam Magistro, & deosculor tanquam Pedagogum, & non tanquam Archipræsulem.* Cæterum hoc sæculo & superioribus, Jus Civile in Italorum Academiis, Italia a barbaris gentibus devastata ubique & oppressa, velut prorsus deperditum delituisse monet, donec regnantibus Innocentio II Pontifice Maximo & Lothario II Cæsare, in bello contra Rogerium Normannum, Amalphi seu Melphi, urbe Apuliæ, inventæ fuerint Juris Pandectæ, supra omnem memoriam diu ibi servatæ; & institutos inde promotionum ad lauream legalem ritus, quos aliqui jam sub Augusto initium habuisse, falso credant. Postea quum Academia Parisiensis a Lanfranco Papiensi ad vetustum.

decus restituta, ita floureret, ut seculo XII ingens Germanorum & Italorum multitudo ad eam conflueret, factum inde, ut Fridericus Ænobarbus, ne ex Italia & Germania Parisios peterent humanarum artium studiosi, eos insignibus privilegiis ad Germaniæ ac Italiæ Gymnasia A. 1158 Authentica *Habita* invitarit, quam Gattus idcirco integram in *capite decimo tertio* refert, ut ejus auctorem, occasionem & sensum a Lupoldi Bebembergii, Petri Rebuffi, Bulæi & aliorum falsis opinionibus, tum hoc, tum sequente *capite decimo quarto* vindicet. Nec successus etiam Ænobarbi conatum destituit. Nam privilegiis relatæ Authenticæ *Habita* literarum cultores invitantibus, ita in Italia publicæ scientiarum Academiæ flourerunt, ut Gattus in *capite decimo quinto* non solum Alexandrum Nechamum vere scripsisse credat, Parisiensem tum Academiam Philosophiæ & Sacra Scriptura Italicis, Jurisprudentia autem Italicas Parisiensi præcellere; sed & Petrum Daniele Huetium erroris notet, quod in libro Gallico de origine Fabularum Amatoriarum, vulgo Romanzi, perperam asserat, sæculo XII & XIII Italianam scientiarum & viroborum doctorum fuisse prorsus ignaram; quum tamen istis temporibus Papias, Vir ille Græce atque Latine eruditissimus, Ordo Monachorum Cisterciensium scientiarum cultu insignis, Guarinus de S. Victore, Guillelmus Papiensis, Joannes Bossianus, Sinibaldus de Flisco & alii quamplurimi flourerint. Postmodum Scholas Papienses a Karolo IV non institutas, sed restauratas, ex ipso Cæsareo diplomate, *capite decimo sexto* allato, demonstrat, & ex eo Bernardini Corii, Paulli Merulæ, Laurentii Schraderi & aliorum complurium errorem, Ticinensem Universitatem demum hac ætate institutam, refellit. Atque denique in *capite decimo septimo*, quod restauratum a Karolo IV Papiense Gymnasium fuerat, a Bonifacio IX P. M. confirmatum, & a Ludovico Maria Sfortia, Duce Mediolanensi, novis privilegiis illustratum fuisse, ex utriusque diplomatibus confirmat.

Habemus ita in hoc libro, stylo undique terfo conscripto, celeberrimæ Academiæ Ticinensis per XI secula memoriam, unacum ejus Vindiciis aliisque rebus multo pluribus, Historiam Regum Longobardorum egregie illustrantibus. Et jam a Gatto, quæ in hoc opere promissa legimus, tum secundam Historiæ partem de

Viris Illustribus Universitatis Ticinensis, ad exemplum Antonii Riccoboni de Gymnasio Patavino dispositam, tum de *Antiquitate Urbis Ticinensis* librum singularem, tum alia usque adhuc desiderata, avide expectamus.

DISSERTATION SUR MAGNIA URBICA.

h. e.

DISSERTATIO DE MAGNIA URBICA, IN QUAE demonstratur, hanc Augustam minime esse Conjugem Maxentii Imperatoris, uti quidem hactenus creditum fuit.

Parisiis, apud Petrum Cot, 1704, 8vo. Constat plag. 5 $\frac{1}{2}$.
una cum folio ære expresso.

REL nummariæ studium, cui pretium nostra posuere ætate eruditorum quamplurimi, adeo feliciter succenturiatur superiorum temporum historiæ, ut juxta ordinem chronologicum concinnæ numismatum series ex omni fere metallo jam inveniantur, unoque quasi oculi ictu heroes, prout antiqua sibi succedentia secula factis suis illustrarunt, conspici queant. Fateri tamen omnino habet Dn. Genebrier, Medicinæ Doctor, & Dissertationis hujus ad Illustr. Dn. Foucault, Marchionem de Magny, exaratae Autor Nobilissimus, hæsitasse sæpe vel expertissima ingenia, circa rariores Augustorum Augustarumque nummos, quoties historia illorum nomina vel plane silentio involvit, vel corrupta exhibuit, ipsisque haud satis constitisse, quosnam nummophylaciorum angulos ornare debeant Marinus, Pacatianus, & Nigrinianus brevissimi ævi Principes, aut Barbia Orbiana, Cornelia Supera, & Severina, quarum mariti antiquariorum solertiam diu effugerunt. Noster vero Marino post Philippos sedem suam assignat, siquidem Zosimus ac Zonaras hunc Tyrannum sub Imperatoribus istis turbas in orbe Romano dedisse tradant. Pacatianum, post Chamillardi, Gallandi & Baudelotii investigationes, eodem referendum censet, cum celeberrimi illi viri ostenderint, Pacatianum eundem esse cum Jotapiano & Papiano Historicorum, quemadmodum contigit, ut illis Balatus aut Balbatus appellatus fuerit, qui in nummis Vabalathus,

thus, Diadumenus qui Diadumenianus, Aurelianus qui Aureolus exprimitur. Nigriniani ætatem in peculiari scripto curatius se definiturum promittit, quam huc usque factum, dum filius vulgo audivit Alexandri Tyranni Africæ, Maxentii tempore ad seditionem prolapsi. Quantum ad Barbiam Orbianam, quam alii Trajano Decio asseruerunt, uxorem illam Alexandri Severi statuit, quia in averfa parte nummi hujus Imperatoris visitur; Hetruscillam e contra in matrimonio Decii vixisse; Severinæ autem Aurelianum maritum fuisse; Corneliam Superam Valeriano Juniori conjugem dari e conjecturis Triftani, quas tamen Clariffimus Vaillantius, perfpecta earum bonitate, calculo fuo muniverit. Utcunque vero Imperatricibus hifce de conjugibus profpectum, Magniam tamen Urbicam, de qua differendi campum ingreditur Nofter, inter incertas hætenus erraffe Auguftas, & congruum fibi maritum ofculari haud potuiffe. Licet enim Occo poft Maxentium eam locaverit, illiusque veftigia prefferit Longelonus, Triftanum tamen idem faciendo ingenue proteftatum effe, non ideo fe hunc fequi ordinem, quod Magniam Urbicam uxorem Maxentii crederet, fed quod certo perfuaderetur, eam Magnentium minime conjugem habuiffe, ceu nonnulli putarint. Eadem oberrare quoque chorda Patinum atque Begerum, priorem quidem hoc cum additamento, Maxentio illam potius effe fociandam, quam Magnentio, quia non conftet, hunc sobolem procreaffe. Harduinum vero, quem a fagacitate commendat, propius ferire scopum, dum Carini aut Numeriani contoralem Urbicam dixit, at cum rationem haud ftringentem fati effato fuo adjecerit, Occonis aliorumque fequacium opinionem nunquam non prævaluiffe. Notum videlicet erat, Maxentium patrem fuiffe Romuli, alteriusque filii incerti nominis: cum itaque Magnia Urbica, illaudata alias in monumentis hiftoriarum, in numismatibus elogio, *Venus Genetrix*, infignita extaret, protinus eam Maxentio junxerunt paranymphe nimis creduli, ofcitantiaæ fuæ haud ficulneam excufationem in lemmate ifto fe reperiffe arbitrati. Verum quam fallax, quamque lubricum fit ejusmodi argumentum, nemo non deprehendet, utut lynceis oculis minime inſtructus. Nofter fane, tacentibus Scriptõribus, quoties ad nummos tanquam triarios res rediit, examinare jubet

tum Inscriptionem ipsam, tum literarum totiusque sculpturæ formam. Deinde & hoc præsupponit, cujuslibet Augusti Augustæque suæ, quin & liberorum suorum numismata, non modo in allegatis passibus, verum etiam in certis notulis, quæ infimam monetæ partem occupant, quam proxime ad se invicem accedere debere. Quod postulatum dum pluribus urget, characterum, qui a Gallieni inde ævo ad ætatem usque Numeriani, in nummorum vel media, vel inferiore parte (dans le Champ ou dans l' Exergue) copiose occurrunt, prælongum seriem colligit, quales exempli gratia adduxisse sufficiat: K A A, K A B, K A Γ, K A Δ, X X I A, P X X I, S X X I, S M S X X I. Mox hæc confectarium exinde elicit, quod si Urbica maritum agnovisset Maxentium, illius certe imagine signatum æs non dispares notas præ se ferret, quam hujus; quæ dissimilitudo cum habito examine manifesto se prodat, tutissime etiam pronuntiandum judicat, amborum nummos diversissimo tempore operas monetariorum exercuisse. Quin & sententiam suam adeo veram æstimat, ut, etiamsi historia Magniam quandam Urbicam conjugem perhiberet Maxentii, huic tamen, quæ in nummis obvia, aliud tempus aliumve maritum, cui major convenientia & monetæ & notarum inibi exsculptarum fidem conciliaret, sit quaesiturus. Cum enim Romulus æquales parenti suo Maxentio characteres gerat, eccur Urbicæ, quæ pro matre venditatur, ab similes adposuissent monetales? Ex eodem differentiæ fundamento refellit opinionem eorum, qui Magnentio aut Decentio Urbicam nostram nuptiis alligant, parum curantes veritatem Historicam, quæ illi unicam solum uxorem, Justinam scilicet, rarissimæ prudentiæ ac pulchritudinis foeminam, post mortem ejus Valentiniano junctam, attribuit.

Remotis igitur sententiis omnium minime probabilibus, ad Celeberrimum Harduinum, cui Magniam Urbicam Carino aut Numeriano, ut supra dictum, copulare visum fuit, jam descendit, ejusdemque conjecturam non destitui quidem ante laudata inscriptionis ac cælaturæ consonantia, lubenter fatetur, at cum Aurelianus, Tacitus, Florianus, Probus aliique Principes adhuc supersint, quorum nummi pari gaudeant similitudine, matrimonia singulorum diligentius exploranda putat, priusquam alicubi subsistere de-

TAB. IX.

Fig. I.

tur. Aurelianum quod attinet, illum statim choro hoc excedere autumat, quoniam Severina uxor ipsius noscitur. Tacitum vero, testante Vopisco, uxorem suam gemmis uti passum non fuisse; alienam itaque ab eo prædicandam Urbicam, quæ in nummo N. 1. adpicto margaritis ac pretiosis lapidibus onusta comparet. Florianum porro, duorum quippe mensium & præter Senatus auctoritatem Imperatorem, multo minus Urbicæ congruere. Deinde nec Probo eam vindicari oportere, cui longe alia ac diversissimi

Fig. II.

vultus foemina in metallione gazophylacii Regii, N. 2. hic expresso, ad latus statuitur, ceu ipsemet Autor instituta oculari inspectione deprehendit. Restare igitur Carum, ejusque filios Carinum & Numerianum, Augustos omnes, e quibus Magniæ Urbicæ maritum deligere fas sit. Se quidem a primo momento, quo nummos sequioris ævi congerere cœperit, conjugem ipsi adjudicasse Carum, tum quia nullibi memorent historici, uxorem Cari vita decessisse, antequam is Augusti fastigium ascenderit, tum quia nemo inficias eat, geminam illum sobolem e thalami conforte sustulisse. Ex adversa parte Carinum novem uxores duxisse ac rejecisse, pulsas plerisque prægnantibus; unde haud sublestum resultet indicium, nec satis temporis illum habuisse, ut unam earum Augustam declararet, neque etiam duos ex una liberos procreasse, animo ejus ad divortia adeo proclivi, quæ omnia ad Magniam Urbicam plane non quadrent. In Numeriano cessare equidem tot impedimenta, cessare tamen & argumenta probantia, matrimonii vinculum inter ipsum modoque dictam Augustam coaluisse. Quodsi autem in ejus fratrisque locum substituatur Carus, utriusque genitor, tum plana omnia atque expedita reddi. Epigraphen namque in nummo Magniæ Urbicæ, *Venus Genetrix*; nec minus aliam, *Pudicitia Augusta*, in numismate maximi moduli, cujus hic N. 3. ectypum damus, prostantem, sese mutuo quasi respicere, egregieque asserto suo favere, siquidem duo parvuli, qui ad pedes Deæ Pudicitiae togati adstant, pro Carino & Numeriano reputentur. Reliqua, quæ Nobilissimus Autor tam circa prænomen Magnia, quam circa nomen Urbica sollicitè conquisivit, B. L. majore cum voluptate ipsemet lustrare poterit, ut ita hic acquiescere nobis integrum credamus.

Fig. III.

Fig. III.



Fig. I.



Fig. II.



Fig. V.



Fig. IV.



Fig. VIII.



Fig. IX.



Fig. VI.



Fig. VII.



i. e.

DISSERTATIO DE NIGRINIANO, CUJUS Æ-
vum summa hætenus incertitudine laboravit, deque aliis
Principibus, quorum nummi Antiquarios
solicitos tenent.

Parisiis, apud Petrum Cot, 1704, 8vo.

Constat 4 plag. tabulaque ænea.

Promissi sui in commentatiuncula de Magnia Urbica facti non
 immemor Doctissimus Dn. Genebrier, M. D. Nigrinianum in
 pistola hac, ad celeberrimi nominis Philologum Dn. Baudelotium
 de Dairval conscripta, certiori quoque ætati asserere contendit.
 Deconis etenim vestigia sub Constantio eum collocantis, ac Sergii
 Consulis illo ipso tempore, quo Constans Magnentii insidiis perie-
 rit, collegam statuentis, merito vitanda judicat, tum quia cælatura
 numismatum Nigriniani, sub N. IV ad oculum patens, & chara-
 cteres K A A inibi expressi, tum quia Inscriptio DIVO NIGRI-
 NIANO, ac Consecratio in averfa facie adjecta, sæculo Constan-
 tiniano conciliari haud possent. Tristani vero conjecturam exi-
 stimantis, Nigrinianum Alexandro, qui in Africa tyrannus extitit,
 filium dari posse, inniti saltem testimonio Zofimi, qui Maxentium
 ab Alexandro filium ejus, jam adultum atque oris venustate in pri-
 mis commendabilem, fidei obsidem sibi depoposcisse narrat. Cum
 igitur histõria nomen ejus taceat, descriptioni cæterum allatæ Ni-
 grinianus in nummis satis congruat, occasionem inde suspicandi
 Tristano obortam, hunc ipsum forte Alexandrum parentem ha-
 buisse. Quantumvis autem speciosa videatur ista conclusio, nihil
 tamen in se ponderis continere Noster arbitratur, siquidem regula
 alibi a se tradita, quod eorum Principum numismata, quorum ætas
 non unum incidit tempus, tam quoad sculpturam atque epigrapham,
 tam quoad notulas circumstantes sibi simillima esse debeant, firmo
 malo consistat. Jam vero differentiam inter Alexandri & putativi
 filii ejus Nigriniani nummos adeo notabilem sese exserere, ut nulli
 ambiguum esse queat, quin longe dispare ævo ambo vixerint,
 Nigrinianique etiam moneta propter characteres KAA, ad decen-

TAB. IX.

Fig. IV.

nium illud, quod Aurelianus, Tacitus, Florianus, Probus, Carus
 ejusque liberi fascibus suis nobilitarunt, utpote quo dictarum lite-
 rarum usus invaluit, ableganda veniat. Indagaturus itaque Nobilissimus Autor, sub quo Principum illorum Nigrinianus ad regimi-
 nis partem adspirare potuerit, seculi istius gesta prolixè recenset,
 luceque meridiana fere clarius ostendit, inter Tyrannos seu qui tu-
 multu concitato Augustale nomen involarunt, locum ipsi haud
 competere. Deinde anquirat, num filiis aut consanguineis me-
 moratorum Imperatorum annumerari possit, atque in Aurelian-
 vita, varia scopo suo accommodata se reperisse autumat. Vopis-
 cum filium sororis suæ ab eo interfectum perhibere: quidni is Ni-
 grinianus fuerit, quem vel invidiæ emolliendæ causa, vel ob dete-
 ctam ejus innocentiam, consecrari curavit Aurelianus? Nec quic-
 quam porro obstare, quin filius ab ipsomet susceptus haberi queat,
 etiamsi Vopiscus de filio nihil plane dicat, imo filiam solam eum
 reliquisse testetur. Hujus namque silentium rem minime confi-
 cere, & si quam maxime concedatur, superstitem tantum fuisse
 Aureliano gnatum, annon & vivo parente filius decedere potuit.
 Provocat ideo non solum ad Suidam, qui sanguine uxoris filii sui
 manus polluisse Aurelianum affirmat, sed ad Acta etiam Martyris
 S. Columbæ, quæ nuptiis filii hujus Imperatoris piissimam foem-
 nam tentatam memorant, ut Soli aliisque Deastris sacrificare.
 Quodsi ergo Aureliano, suffragantibus Scriptoribus, filium tribueri
 liceat, non improbabile quoque reddi, eundem Nigriniani nomen
 ab uxore, Nigrinia forte dicta, mutuassee, ceu Domitianus a Do-
 mitia nomen accepit, quandoquidem Nigriniæ & Nigriniani no-
 mina apud Romanos a longo jam tempore celebrata fuerint.
 Neque tamen opinioni huic mordicus inhæret Nobilissimus Au-
 tor, sed pro ingenii sui felicitate, aliam suppeditat conjecturam
 exquisita similitudine, quæ inter Nigriniani nummos & Cari atque
 Numeriani consecrationem exhibentes intercedit, petitam. Nigr-
 nianum scilicet Numerianum forte patrem agnovisse, cumque
 ab Apro interemtum, a Carino vero, qui omnibus superstes vix
 Diis adscriptum fuisse hariolans. Utri jam sententiæ adstipuleri
 deprehendes sane, Nigrinianum nullo modo Constantini Afri-
 Tyranni familiæ aggregandum, sed ad Augustorum ætatem, quæ

rum supra mentio facta, referendum fore. Jam ulterius pergit Noster, nimiaque credulitatis arguit, qui e Galerio Maximiano & Maximiano Juniore diversos sibi fingunt Augustos, multisque demonstrat, unum eundemque Principem sub dispare latere nomine, ipsissimum nempe, qui a Flavio Valerio Maximiano, cui Senioris interdum appellatio tam in nummis, quam in marmoribus tribuitur, in consortium Imperatoriæ dignitatis adsumi meruit, nec inficiandum certe, asserto ejus figuras N. V. VI. VII & VIII egregie favere. Quantum ad numismata verbis DN. CONSTANTIVS JUN. NOB. C. signata, quorum specimen N. IX prostat, non Constantio Constantini filio illa, sed Gallo fratri Juliani Apostatæ vendicanda, cum Celeberrimo Harduino sentit, pluribusque argumentis hoc inventum deducit. Tantum de ipsa epistola. In præfamine autem objectionibus Dn. Henrionis, qui in confesso Academiæ Inscriptionibus intentæ, d. 14 Nov. 1704 problema ejus de Magnia Urbica Cari uxore operose refutaverat, abunde respondet, novas easque pereruditas suggerens rationes, quibus vinculi istius conjugalis probabilitas evinci possit.

TAB. IX.
Fig. V. VI.
VII. VIII.

Fig. IX.

DISSERTATION SUR LE JANUS &c.

h. e.

*DISSERTATIO DE JANO ANTIQUORUM,
deque nummis eo pertinentibus.*

Parisiis, apud Petrum Cot, 1705, 8vo.

Plag. 3 $\frac{1}{4}$.

SCopus hujus opusculi, Illustri Foucaultio, Marchioni de Magny, Regis Galliarum Consiliario Status atque in Inferiore Neustria Præsidi, a Dn. Gros de Boze nuncupati, eo tendit, ut, quicquid vel mythologia, vel historia, vel res denique nummaria de Jano notatu maxime dignum offert, id curiosis omne in nuce, quod ajunt, proponatur. Inter alia vero non injucunde disquiritur, num Jani templum Imperatorum gentilium more obserari jusserit Constantius Constantini filius, quoniam Ammianus Marcellinus tale, quid Histor. libr. XVI de ipso affirmet: *Concluso Jani templo, stratisque hostibus cunctis, Romam gestiebat visere.* Sed Autori

nostro persuasum est, priora verba non in propria, sed tropica significatione accipi oportere, ut bellum penitus confectum, pacemque initam designent: siquidem & in honorem Ludovici XIV Franciæ Regis nummus missilis cum Jani templo fuerit cusus, addita inscriptione: *J'en ay la clef*; unde tamen paganismum adhuc in Gallia vigere, nemo temere suspicabitur. Occasione autem Calendarum Januarii, quibus priscos olim Consules munia sua quotannis in æde Jani auspicatos fuisse constat, haud sibi satis exploratum monet, nunquid ejusmodi solemniam Augusti etiam subsequentes, sub auspiciis regiminis sui peregerint? Licet enim Clarissimus Vaillantius hoc statuere videatur, propter nummum Pertinacis, in cujus averfa parte Janus bifrons cum lemmate, *Jano Conservatori*, apparet, attamen cum reliquorum Principum ne ullus simile sacrificium in nummis celebrari fecerit, proinde peculiarem ibi subesse rationem Noster existimat, eandemque e Julio Capitolino depromendam, utpote qui Pertinacem ipsis Calendis Januariis ad Reipublicæ clavum adscendisse refert. Quo admissio, sponte etiam sua inde flueret, Imperatorem ipsa Jano sacra die ad istud fastigii evectum, haud alii Numini convenientius, quam Jano, sui suarumque rerum conservationem publice commendare potuisse.

GEORGII WOLFFGANGI WEDELII INTRODUCTIO in Alchimiam.

Jenæ, sumptibus Johannis Bielkii, 1705, 4.

Constat 8 plag.

ETiamsi exosa maxime Medicis sit, explosa vulgo, & male audiens communiter Alchimia, valet tamen & de ea illud Philosophi: Introite, etiam hic Dii sunt. Non negligenda enim est Ars Alchymistica, cum sit necessaria, licita, honesta, jucunda, utilis, & cautos nos reddat atque pios. Quæ cum perspexerit Illustris Wedelius, in Chimica arte nulli secundus, animum induxit, præsentem de Alchimia adornare Introductionem, selectioraque insimul ingenia ad hoc studium invitare, eademque excitare, ut communi vel divisa opera solvantur ænigmata, separentur inutilia,

explorentur arcana, parcatur una inutilibus sumptibus, omniaque, Spiritus Sancti auspiciis, ad Divini nominis gloriam & humani generis commodum impendantur.

Impossibilem equidem esse, arguunt quidam, specierum diversarum immutationem, seu naturam spectes, quæ eandem abhorret, seu artem, quæ non ultra naturam sapit; obscura esse omnia, quæ scribant Alchimistæ, & hoc ipso recondi & oculi fraudes; dissona minimum tradi, absurdis & incognitis terminis ludi; processus si desideres, reperiri integra plaustra, in fine abire in fumum & cineres omnia; hinc contemptui & scommatibus vulgi sese exponere, & carceribus, tormentis aliisque gaudia concepta lueri, qui arti huic invigilent, existimant. Quanquam autem negari non possit, fraudes quandoque subesse, vel conceptas, vel illatas ab aliis; habet tamen fundamentum suum ars. Cum enim volatile possit figi ab igne, a miscela, a fixantibus aliis, immaturum, maturari, digeri & exaltari, aurum vero hinc & argentum sulphure & mercurio puro, eoque fixissimo gaudeant; credibile est, nec pro absurdo habendum, idem reclusum, pansum, digestum & exaltatum posse corrigere & fixare metalla reliqua fermento feminali, ut centraliter inde digesta & exaltata, fixato alteratoque sulphure & mercurio, immutari & converti in aurum possint, pollentia singula unctuositate intime obvolvante partes terreas lutosas & mercuriales. Cujus rei experimenta allegat Author Clarissimus, artemque olim ab Ægyptiis, Arabibus, Græcis & Romanis exercitam esse pronunciat. Artificibus interim commendat pietatem, lectionem & meditationem, singulorumque sedulam repetitionem, ac continuationem. Nosse enim eos oportet genium Scriptorum, obscurum, parabolicum, ænigmaticum; distinguere Authores, quos solos fere adire & audire datur; cognoscere naturam, ignem, ejusque regimen & administrandi modum, avaritiam odisse & taciturnos esse. Peculiaris est & ab omnibus aliis diversus modus tradendi & scribendi Alchimistarum, quod partim antiquitatem sapit sapientiæ Veterum mythologicæ, partim secretam artem, quam velut studio magis involvere & obvelare quam detegere ac docere voluere. Hinc modo per signa, modo per characteres, modo per numeros, modo per figuras, modo per colores,

res, modo per nomina nova rem explicuerunt. Quoad materiam universalem, in partes abiere Alchimistæ, & quot capita, tot sensus, quot nomina, tot res in experimenta vocatæ fuere, ut nihil fere tam absurdum sub Sole videatur, quod non in censum venerit. Sic alii in elementis eandem indagant, ut in terra, tam pura, Virginea, Adamica, quam in uliginosis nigro-rubentibus pratorum & fossarum cespitibus; item in aqua, rore, pruina, quin imo & in aere. Verum hæc materia non nisi remotissima est, hinc alii ad tria naturæ regna animum applicuerunt, ex vegetabili tartarum e. g. feligendo, ex animali urinam, stercus, semen humanum, & salivam præparando, ex minerali vitriolum, sal commune, nitrum, sal ammoniacum, arsenicum, cinnabarim, Saturni mineram tractando. Plerisque tamen argentum vivum & antimonium arrisit. Est enim mercurius metallum quasi indifferens fluidum, volatile quidem adhuc, sed fixandum facile, cum auro symbolizat pondere & substantia, & pollet sulphure occulto. Sic antimonium duo continet metallorum elementa, sulphur & mercurium, finit aurum privative & positive, solvit idem blandissime, ac intime, dealbat & calcinat. Non autem absolvitur tinctura uno solo ingrediente, sed minimum duobus, quod maris & foeminae symbolo innuere voluerunt, nec abnuerunt tamen tertium, sed velut spirituales amorem vocando magis quam corporalem. Utut vero plurimi unum fere ac solum aurum eligant & intendant, tanquam nobilior ac instar omnium; non pauci tamen ob fixitatem & communes cum auro dotes, etiam argentum in hunc censum vocant, ut hinc tinctura duplex detur ad rubrum & ad album. Usus quod concernit Lapidis Philosophorum, adhiberi hic dicitur (1.) ad metalla ignobiliora tingenda in perfectiora, (2.) ad roboranda viscera, spiritum vitalem, & tollendos morbos, chronicos præsertim, alioquin per naturam curabiles, (3.) ad gemmas artificiales, (4.) ad vitrum malleabile reddendum, (5.) ad dignoscendam DEI Opt. Max. admirandam sapientiam, vel sola cognitione contento animo, (6.) ad vitam producendam. Tacemus pietatem, eleemosynas & alia. Sed nec desunt, qui Alchimia abutuntur; siquidem dantur, qui ex professo negant, Lapidem Philosophorum auri materialis conficiendi esse medium & medicinam.

arbitrantes, totum illud opus non esse nisi avaritiæ vel persuasio-
nis vanæ prætextum, indeque nata figmenta; moraliter potius in-
telligendos esse Philosophos, sive primam & ultimam causam scru-
tatos, alios materiam, alios generationem & corruptionem, mor-
tem ipsam, alios non nisi Deum Optimum Maximum; singulos
hoc vel illud velut lapidem seu terminum, atque principium, in
quo omnis cogitatio acquiescat, ac figatur, posuisse. Scorsim ul-
terius Christiani progressi, ad divina & sacra applicavere hoc ipsum,
ita ut alii artem penitus negaverint, alii affirmarint quidem, sed
eandem ad universa quasi religionis arcana traxerint. Imo alii
tria principia chimica materialia ad S. S. Trinitatis mysterium perquam
absurde & tantum non impie applicarunt. Alii ipsam Scripturam S.
huc detorquent, & maxime Canticum Salomonis, Apocalypsin &c.
unde materiam & colorem & nihil non arcessunt, ne dicam uni-
versam Salvatoris nostri passionem, mortem, resurrectionem, ad-
scensum ad coelos, & reliqua huc trahi. Tangendus denique &
ille est abusus, ne fallatur, vel spem vanam sibi quis concipiat.
fraudentia quacunq; inductus, multo minus malitia & pravita-
te adulterandi aurum & argentum.

ANTIQUITATES WALCKENREDENSIS.

oder

*Historische Beschreibung der Kaiserlichen Freyen
Reichs-Abten Walckenried/ıc.*

Seu

*DESCRIPTIO HISTORICA LIBERÆ IMPERIALIS
Abbatie Walckenredensis, Ordinis Cisterciensis, quæ celebratissima
quondam fuit. Auctore JOHANNE GEORGIO
LEUCKFELD, Pastore Primario
Groningensi.*

Lipsiæ & Nordhusæ, apud Carolum Christianum Neuenhahn,
1705, in 4to.

Constat Alphab. 4, plag. 9.

Percelebris olim fuit Abbatia Walckenredensis, dignaque adeo
in qua describenda non unus Autorum desudaverit. Primus

Fff

Jo-

Johannes Letznerus, editis plurimum cœnobiorum historiis satis notus, sed nimium credulus auctor, antiquitates Walckenredenses collegerat, cui labori cum esset immortuus, incidit in ejus schedas Johannes Eckstormius, & ex illis *Chronicon Walckenredense*, immutato paulum, quem Letznerus secutus fuerat, ordine chronologico, Latine composuit ediditque Helmstadii, A. 1617, in 4. Enimvero Johannes Henricus Hoffmannus, diligentissimus apud Cellenses Archivarius, perlustrato opere Eckstormiano, & collatis nonnullis manuscriptis rarioribus, & plurima latuisse Eckstormium, nec pauca ab eo incerta fide relata reperit, quod justis ad eam historiam subsidiis omnino fuisset destitutus. Quamobrem ipse *Rerum sive Antiquitatum Walckenredensium libros X* consignare instituit, quorum tamen non nisi tres priores absolutos in schedis reliquit. Quantum demum Clarissimus Leuckfeldius hic præstiterit, qui & Hoffmannianis illis reliquiis diligenter usus est, & varii generis monumentis aliis ac scientia rerum monasticarum Germaniæ instructissimus, ad consignandas has *Antiquitates Walckenredenses* accessit, facile judicare poterunt, qui eas vel leviter inspexerint. Nos, cum prolixum nimis foret, singulorum capitum justo ordine dispositorum lemmata huc transferibere, præmissis tantum nonnullis de institutione Abbatiae, speciminis loco de jure Advocatiæ in eandem, e P. II, C. 2 quædam memorabimus, collatis etiam iis, quæ huc e P. I, C. 18 & 22 pertinere videbuntur.

Nimirum Abbatia Walckenredensis in pago Saxoniae Inferioris Zurrigau, qui Thuringiæ proximus est, sita, nomen quidem villæ cuidam Gertrudæ Nordheimensis Comitissæ, quæ eodem in loco fuisse quondam memoratur, institutionem autem Adelheidæ Comitissæ de Clettenburg debet, quæ Cisterciensibus, paulo post Ordinis institutionem, A. 1127 sedem illic concessit, & sumtus liberaliter suppeditavit, horrendis quidem imprecationibus in eos, qui male illis usi fuerint, effusis. Hinc tametsi non neget Auctor, in ea Abbatia non minus atque in reliquis Cisterciensium monasteriis, supremum Advocatiæ jus solis Imperatoribus & Imperio fuisse proprium, quorum privilegia Walckenredensibus concessa recitat P. I, C. 18, illos tamen probat Advocatiam inferiorem Comitibus primum Clettenbergensibus, & eorum stirpe A. 1260 defi-

ciente, Hohnsteiniis, ad quos & eorum ditio pervenit, demandas-
 se. Et licet, mortuo A. 1323 Abbate Johanne, ab Hohnsteinio-
 rum, quippe excommunicatorum, Advocatia sese quodammodo
 subtraxerint Walckenredenses, impetrato eodem anno ab Impera-
 tore Ludovico privilegio de eligendo novo Advocato, electisque
 postea Comitibus de Werningerode, jus tamen ipsum tantum ab-
 est ut penitus amiserint Hohnsteinii, ut potius integrum retine-
 rint. Id quod vel ex eo liquet, quod, cum tempore reformatio-
 nis Carolus V. A. 1551 supremam tutelam monasterii in se suscepis-
 set, Hohnsteinio deinde Comiti Ernesto imperatum fuerit edicto
 Ferdinandi Regis, ut pro eo, quod ipsi incumbat, inferioris Advo-
 catiæ munere, curaret diligenter, ne quid in ea Abbatia detrimen-
 ti paterentur sacra Pontificia: ut taceamus, Ernesti hujus filiiis, so-
 lenni postea formula, A. 1557 jus illud ab eodem Ferdinando fuisse
 confirmatum. Interim inficiandum non est, Fridericum III Impe-
 torem, publico decreto A. 1457 lato, Ducibus Saxoniae & Landgra-
 viis Thuringiae universis injunxisse, ut tutelam Walckenredensis
 Abbatiae sui & Imperii nomine in se susciperent. Proinde cum
 ob res novas ab Abbate Joanne Holtegelio (is enim primus A. 1543
 Protestantium sacra in monasterium introduxit, quæ deinde A. 1546
 cura Johannis Spangenbergii firmata & stabilita sunt,) susceptas,
 inter ipsum & Ernestum Hohnsteinium haud satis conveniret,
 Mauritius Dux Saxoniae, postea Elector, ut ea occasione in stabili-
 mentum juris sui uteretur, unum atque alterum A. 1546 ad Abba-
 tem delegabat, qui denunciarent, Ducem coenobium, in quod ve-
 tus ipsi jus esset, occupare, & Pontificios abusus abrogare consti-
 tuisse; quod cum prolixis sed modestis litteris deprecatus esset
 Holtegelius, mox Dresdam, & cum eo venire variis de causis re-
 cusasset, Lipsiam vocatus est, quo in loco de monasterii rebus cum
 Mauritio egit. Hinc etsi Abbas ipse Mauritio clam faveret, ei-
 demque quotannis pullos equinos duos in recognitionem
 juris tutelaris mitteret, Ernestus tamen suæ domui, tum jure terri-
 toriali, tum hæreditario, Abbatiam Walckenredensem, si monachos
 in ea deficere contingat, competere scriptis assererat, quæ mona-
 chi ipsi suo calculo approbant. Magis de tuendo hoc jure,
 mortuo postea A. 1552 Ernesto, qui Pontificiis perquam deditus

erat, filii ejus quatuor laborabant, & ne Abbas equos illos ad Mauritium deinceps transmitteret, serio prohibebant. Unde cum aliquoties Mauritius, frustra tamen, illos postulasset, demum A. 1553 in expeditione adversus Albertum Marchionem Brandenburgicum occupatus, pernoctansque in eo cœnobio, ita compellasse Abbatem dicitur: *Qui sit, Domine, quod equos nobis non mittis?* (*Herr! wie kömmts / daß ihr uns die Fohlen nicht schicket?*) cumque is respondisset, *Domine Clementissime, quod factum hætenus non est, fiet deinceps,* (*Gnädigster Herr / was nicht geschehen ist / soll noch geschehen /*) subjecisse, *bene facis, ita enim erimus amici,* (*Da recht / so bleiben wir Freunde.*) Postquam in eadem expeditione occubisset Mauritius, juris sui armis prosequendi occasionem nactus deinde est successor ejus Augustus, eo quod novus Abbas Jacobus Marsilius cum Hohnsteiniis Comitibus in præjudicium monachorum fuisset pactus A. 1564. Quamvis enim pactum illud confirmasset Maximilianus II Imperator, attamen Monachi ad Augustum se contulerunt, qui mox anno sequenti, militum manum, ductu Henrici de Saltze, in monasterium immisit, & jam dilapso Marsilio, alium Abbatem Wolffgangum Langium, eligi a monachis curavit. Delata inde ad Cæsarem querela, ita demum Dresdæ A. 1568 conventum est, ut Abbatia Walckenredensis, præter Comites Hohnsteinios, superiores etiam tutelares Electores Saxoniae haberet, iisdemque, loco equorum antea transmissorum, trecentos florenos annuos exhiberet, & præterea quartum quemque puerum scholæ Walckenredensi, quæ tum florere cœperat, ab illis commendatum suis sumptibus aleret. Verum, ut verbis in pariete quodam ejus monasterii conspicuis utamur, *A. 1574 jus tutelare permutatione a Domo Saxonica devolutum est ad Reverendissimum & Illustrissimum Principem Henricum Julium postulatum Episcopum Halberstadensem, D. Brunsvic. & Luneburg.* Qui etiam A. 1592, Comite Hohnsteinio ultimo vita fundito, Comitatum sui juris fecit, & Administrator hujus monasterii a Cœnobitis est electus & declaratus. Henrico Julio mortuo, Fridericus Ulricus, ac deinde Christianus Ludovicus, Duces Brunsvicenses, atque post hujus obitum Georgius Wilhelmus, constituto A. 1665 inter ipsum & Johannem Fridericum fratrem,

paſto, Abbatiam tenuere. At cum, Brunſuico A. 1672 capto, nova inter Duces Brunſuicenses pactione, Dannenbergensis Comitatus Cellensi ſtirpi tranſcriberetur, viciffim Walckenredenſe cœnobium ad Celiſſimos Duces Brunſuico-Guelferbutanos, Rudolphum Auguſtum & Antonium Ulricum pervenit. Et hæc quidem hætenus. Cæterum Auctor ſingularem ubique rerum Germanicarum ſcientiam prodens, & ſingulis fere capitibus univerſaliores quasdam obſervationes præmiſit, & ubi occasio, de pluribus aliis Germaniæ monaſteriis erudite diſſeruit. Sic e. g. P. I, C. 3 de Ciſterciensium inſtitutione, C. 5 de monaſteriorum origine, C. 6 de monaſteriis Portæ Mariæ & Sichemeniſi, quæ a Walckenredenſi derivantur, C. 7 de dedicationibus templorum, C. 13 tum generatim de monaſteriorum, tum ſpeciatiim de Walckenredenſium Fraternitatibus, C. 14 de reliquiarum veneratione, & obiter de reliquiis, Aquis aſſervatis, C. 16 de anniverſariis a monachis paſſim celebrari ſolitis, C. 22 de uſu & neceſſitate reformationis; P. II, C. 2 de origine advocatiæ monaſteriorum, C. 3 de officio ac dignitate Abbatis, C. 7 de officio Prioris accurate egit. Demum Latina quædam ſupplementa e manuſcriptis & impreſſis libris rarioribus adje- cit. Illud tamen & monendum, Auctorem poſt recensitos ſcholæ Walckenredenſis Rectores atque Conrectores, de pluribus viris eruditis, qui ex ea prodire, agere conſtituiſſe, quod tamen conſi- lum, ne in nimiam molem liber excreſceret, mutavit. Optan- dum autem, ut & quæ de his collegit, & quæ alia de monaſteriis Germaniæ prelo parata habet, ex inſtructiſſima penu propediem promat.

ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI AUCTORE

*Domno JOHANNÉ MABILLON, Presbytero & Mo-
nacho ejusdem Ordinis e Congregatione S. Mauri.*

Tomus primus & ſecundus.

Lutetiæ Pariſiorum, apud Carolum Robuſtel, 1703 & 1704, in fol.

Constant Alph. 18.

Poſt editam in lucem Hiſtoriam Actorum Ordinis Benedictini Sanctorum, quorum ſeculum ſextum, quod eſt a nato Chriſto

undecimum, in his Eruditorum Actis A. 1703 pag. 463 recensuimus, Benedictinos nunc Annales multo studio, & dexteritate non minori, Clarissimus Mabillonius composuit, inque iis res monasticas, inde ab ortu S. P. Benedicti ad nostram usque ætatem, per secula amplius undecim in Occidente gestas, latius excussit, amplumque adeo illorum temporum Ecclesiasticæ Historiæ spatium feliciter emensus est. Labore autem improbo heic opus cum primis fuisse, haud inficiabitur, qui differenti in præfatione Mabillonio attenderit, quippe in qua de antiquissimorum monumentorum defectu admodum conqueritur, cum Majores sui Ordinis facere optima, quam scribere, magis solliciti, de Historia adornanda digerendisque Annalibus parum cogitaverint, quippe quibus prima cura fuerit de moribus formandis, & ad regulæ ipsis familiaris normam componendis, post quam illustrium quorundam sanctitate Virorum præclara facta in literas referre, inque exemplum aliis proponere ipsis visum fuerit. Non defuisse tamen plane notat, primis etiam illis seculis, historiarum Scriptores, (quanquam hi illustrandæ potius patriæ suæ aut domesticæ historiæ, quam monasticæ, in scripta redigendæ operam impenderint, sive, quod difficile esset per illa tempora literarum commercium, sive quod disjuncta essent a se invicem monasteria, nulla fere societate confœderata;) in qua classe extiterint apud Italos *Paulus Warnefridi & Er Kempertus*; apud Gallos *Aimoinus, Glaber-Rodulfus, Hugo Flaviniacensis, Ordericus Vitalis*, multique alii, ex Anglis *Venerabilis Beda, Ingulfus, Guilielmus Malmesburiensis, Matthæus* uterque, *Westmonasteriensis & Parisius*, aliique magno numero historici, nec pauciores apud Germanos, in quibus *Lambertus Schafnaburgensis* sit præcipuus, qui omnes patriis suis historiis, si quæ in monasteriis Benedictinis commemoratu digna ipsis occurrerent, inferere non omiserint. Hi adjungit *Reginonem Prumiensem, Hermannum Contractum, Marianum Scotum, Sigebertum*, qui generalis Historiæ indices potius scribentes, quam Annales, de rebus quoque monasticis quasdam retulerint particulas. Primum e Benedictinis, quod quidem sciat, librum de Viris illustribus sui Ordinis scribere aggressum esse sub finem seculi quarti-decimi observat *Raymundum de Rialaco* monachum Conchensem apud Ruthenos, qui librum suum in

quatuor partes distribuerit, in quarum prima agat de summis Pontificibus Ordinis monastici, in secunda de sanctis Martyribus, in tertia de Episcopis, in quarta denique de Abbatibus & Monachis, uti legatur in codice Lirinensi, in quo hic liber habeatur. Ante eum tamen *Petrum Casinensem* libros duos, unum de viris illustribus, alterum de sanctis ac justis Casinensibus conscripsisse refert, & neutrum vidisse ait *Johannem Trithemium*, qui primus hoc de argumento scripsisse hactenus creditus sit. His accessisse monet Martyrologiorum monasticorum Scriptores, quos inter primas teneat *Guillelmus*, Abbas S. Pauli in Urbe, patria Cadurcensis, qui A. 1372 Calendarium omnium sanctorum monachorum, necdum editum, composuerit; præ quo longe notiores vocat *Arnoldum - Wion* Belgam, qui sequaces postmodum habuerit *Hugonem Menardum* e Gallis, e Germanis *Gabrielem Bucelinum*, & *Ægidium Cranbeck*, qui Calendarium itidem Benedictinum quatuor tomis cum æneis figuris non ita pridem vulgaverit. Paulo minus prolixum appellat Martyrologium *Thomæ Maibeur* Angli, qui Trophæa Benedictino-Anglicana tribus in voluminibus suspenderit, iisque quartum de Scriptoribus adjecerit. Multum quoque ad historiam Benedictinam contulisse fatetur ejusdem nationis *Clementem Reinerum*, qui insignem librum, Apostolatam Benedictinorum in Anglia nuncupatum, ediderit. Tandem vero sub initia præcedentis sæculi, *Antonium Tepestum* Hispanum, Vallisoletanum Abbatem, quod nemo ante eum tentaverit, generale totius Benedictinæ historiæ Chronicon scribendum suscepisse innuit, virum sane doctrina & eruditione ad id perficiendum non mediocriter instructum, qui istud ad sex, ut vocet ipse, centurias perduxerit, inque seculo duodecimo substiterit. Verum quia non satis amplas ad prolixum opus istud suppetias in promptu habuerit, ac præter Baronii Annales, vitasque sanctorum quorundam, & Hispaniæ monasteriorum tabularia, cætera fere ipsi defuerint, historiam suam omni ex parte absolutam ipsum reddere non potuisse addit, ac veretur, ut quid elimatius ac solidius elucubrare potuerit *Constantius Cajetanus*, qui in Commentario ad vitam Gelasii II profiteatur, se habere præ manibus Annales Benedictinos, quos propediem sit editurus. Defectum ergo illum passim adhuc ob-

vium cum deprehenderent primarii Congregationis S. Mauri Præpositi, delectos e suis studiosos fratres ad colligenda Benedictinæ historiæ monumenta designasse memorat, qui perlustratis tum Galliæ, tum aliarum regionum bibliothecis & archivis, copiosam inde supellectilem retulerint, e qua ante omnia Sanctorum Benedictinorum Acta primigenia, tanquam præcipuum historiæ hujus fundamentum, in unum corpus redacta, & in lucem emissa sint, cum *Acherii Spicilegio* tomis tredecim. His magna ex parte vulgatis, *Ludovicum Bultellum*, postquam monasticæ historiæ Orientalis specimen edidisset, Occidentalem itidem, id est, Benedictinam, Gallico idiomate ab origine pertractare aggressum esse meminit, at primis duobus voluminibus, quæ quatuor seculorum facta contineant, in lucem emissis, dum sequentium temporum historiam proferebat, subita morte correptum, opus imperfectum eum reliquisse dolet.

His interim aliisque quibusdam subsidiis instructum se arduum hoc negotium auspdatum esse affirmat, & Annales hos in libros secundum annorum, quoad licuit, seriem distinxit, quandoquidem hanc factorum in suas classes distributionem magis historicæ methodo convenire autumavit, quam continuam cujuslibet vel Monasterii vel Sancti historiam. Cæterum ad omnes haud descendit minutias, nec proinde integras cujusque monasterii, exceptis quibusdam illustrioribus, historias perscripsit, nec singulorum abbatum, virorumque illustrium, vel prioratum, nec omnium denique sacrarum cujusque loci reliquiarum indices contexere sibi proposuit. Videas econtra amplissimam ipsi materiam supeditatam, non a florenti modo Ordinis statu, verum etiam a prolapsonibus ipsius, uti & mirificis subinde renovationibus, quas longo ordine recenset, & alia subinde admiscet, quæ Lectoribus vel ob jucundam varietatem non poterunt non gratissima accidere. Nos in gustum aliqua hinc decerpemus, & quæ vel ad monasteriorum diversorum historias, vel ad sanctorum, virorumque ac foeminarum alias illustrium, vitam & res gestas, vel ad antiquos ritus atque consuetudines, vel ad classes ejusmodi alias referri merebuntur, specimina digito indice monstrabimus.

In Tomo itaque primo, qui libros complectitur octodecim, & ab ortu S. Benedicti, ad annum usque Christi septingentesimum

pergit, monasteriorum tot historiam texit, quot referre instituti certe nostri haud est. Provocamus modo ad ea, quæ de *Lirinensi*, seculo quinto ineunte condito, p. 13, de *Aganensi* p. 29, de monasterio *S. Germani Autisiodorensi* p. 46, de *Casineni* p. 55, & passim alias; de *Terracinensi* p. 64, de *S. Maximini Trevirensi* p. 153, de *S. Marcelli monasterio Cabilonensi* p. 173, de *S. Radegundis parthenone Pictavensi S. Crucis* p. 192, deque ejusdem monasterio *Virorum* p. 200, de monasterio *Luxoviensi* p. 211, *Westmonasteriensi* p. 285, de *Basilica S. Dionysii* p. 340, de *S. Juliani monasterio Autisiodorensi* p. 366, de *Floriacensi* p. 380, de *Corbejensi* p. 444 (plura ut taceamus) ex historia antiqua differit. E numero personarum sanctitatis aut doctrinæ causa illustrium, aut quovis alio ex capite celebratorum, primas fere tenet triga Virorum undiquaque decantatissimorum, sanctus puta *Benedictus*, cujus vitæ delineatio per libros quinque priores se diffundit, sanctus deinde *Maurus*, & qui ex temporum ordine postremus est, *Gregorius Magnus*, cujus scripta quoque prolixius recensentur, ejusque missio Augustini in Angliam argumentis non unis p. 241 asseritur. Præter hos ex innumeris fere nominamus *Clarum* atque *Maximum*, S. Martini discipulos; *S. Lupum*, qui postea Trecensis fuit Episcopus, ejusque fratrem germanum, *Vincentium*; *Cæsarium*, Episcopum Arelatensem; *Augendum*, Condatiscensium Abbatem; *Fulgentium*, Episcopum Ruspensem; *Dionysium Exiguum*, cujus cyclus examinatur; *S. Remigium*; *Turibium* monachum, quem ab Episcopo distinguendum statuit; *S. Æmilianum*; *Sylverium* Papam, monastica veste indutum; *S. Albinum*, Episcopum Andegavensem; *S. Placidum* martyrem; *S. Germanum Capuanum*; *S. Germanum*, Episcopum Parisiensem; *Chlotarium*, cujus obitus imprimis & sepultura in S. Medardi basilica refertur, p. 146; *Nicetium*, Episcopum Trevirensium; *S. Radegundem*, ex Regina monacham Pictavensem parthenonis S. Crucis; *Guntchramnum* Regem, qui utrum factus fuerit monachus, in dubio relinquitur, p. 227; *S. Columbanum*, Abbatem Luxoviensem; *Hildefonsum Toletanum*, quem velut insignem virginitatis Mariæ patronum Autor introducit, p. 458; *Fructuosum*, Abbatem Complutensem, *S. Audoenum*, &c. Ad consuetudines antiquas &

ritus olim receptos referimus, quæ narrat de monachis in Clericos & Laicos jam olim distingui solitis p. 18; de negato foeminis in basilicas monasticas aditu p. 86; de genere pœnitentiæ ab Episcopis & Presbyteris non raro ob crimina graviora, & maxime ob homicidium impositæ, dum in partibus Franciæ interioris mos inoleverit, ut quisquis propinquum suum gladio peremisset, & postea pœnitentia ductus ad Pontificem crimen admitti facinoris detulisset, hanc modo pœnam luere necessum habuerit, ut isto decernente, ex ejus gladio ferrei nexus componerentur, & collum, homicidæ, venter atque brachia constringerentur ex istis ferreis vinculis, sicque is ex patria pulsus peregrinaretur Romam, ac per diversa Sanctorum loca, usque dum divino nutu vincula illa resolverentur, p. 87; de Eucharistia monacho insepulto a S. Benedicto missa p. 89; de S. Benedicto, num moribundus sub utraque specie communicaverit, p. 114; de precum exauditione e pannorum ad sepulchra sanctorum deferri solitorum pondere colligi solita, scilicet immisso sepulchris palliolo seu panno prius ad stateram appenso, orantes jejuni vigiliis ibidem aliquot agebant, & post voti sui compostes se futuros credebant, si pannum inde pondere graviolem efferrent, p. 145. De Abbatum & Abbatissarum ordinatione solenni, tempore Gregorii M. jam tum recepta, agit p. 254; de tonsura, insigni monasticæ professionis, & nonnisi jacto tirocinio collata, p. 259; de monasteriis virginum in provincia Batava, monachorum administratione & præsidio gubernatis, p. 314; de Advocatis monasteriorum institui cœptis circa A. 644, p. 390; de juramentis a reliquiis Sanctorum factis, p. 453, & quæ aliis generis plura sunt. Jactata quibus volupe est cognoscere miracula, largam eorum segetem in Benedicti imprimis vita reperient, suscitatosque ibidem defunctos, dæmonem alapa inflictâ fugatum, & quæ sunt alia, deprehendent. Quod Chlodoveus, ob raptum S. Dionysii brachium, merite privatus fuerit, in dubio relinquere videtur, p. 423 seq. atque antea p. 418 eundem impunem, anno regni sui quartodecimo, cum Gallia gravissima fame laboraret, absidem super ejusdem Dionysii sepulcrum a Dagoberto erectam, & puro tectam argento spoliari, istudque spoliolum per Aigulfum monasterii abbatem, egentibus ac peregrinis distribui jussisse, observat. Mirum est, quod p. 555 perhibet

de Fratре quodam monacho ministrante, cui nomen Cædmonis, qui, tametsi poeticem nunquam didicisset, carmina tamen religioni ac pietati apta, ex tempore Anglica lingua pangere, ac perite canere noverit, nihil unquam frivoli aut profani componere solitus, sed ea tantum, quæ ad religionem pertinerent. Curiosis forte haud displicebunt, quæ p. 549 in medium affert de picturis quibusdam veteribus, Petrum tres claves manibus gestantem referentibus, circa quas conjecturas suas eo tendere affirmat, quod illæ forsan originem traxerint e cœlesti civitate Jerusalem, in visione Ezechieli & Johanni ostensa, quæ in quadro posita ex parte qualibet tres portas habuerit, Ezech. XLVIII, 31 seq. Apoc. XXI, 13. Quanquam & compendiosius dici posse admittat, tribus illis clavibus significari cœlum, purgatorium & ecclesiam militantem, aut certe tres orbis partes tunc notas, in quas Petri se extendat autoritas.

Hæc ex Tomo primo allegare visum fuit. Secundus res gestas ab A. C. 701 ad annum usque 849 complectitur, & methodo prorsus eadem, quam in antecedenti observare placuerat, res ejuscemodi notatu dignas, quales hæctenus commemoravimus, ab oblivione vindicat. Quinque tamen præ cæteris majori observatione digna Autor ipse judicat: conversionem nimirum Germanorum & Septentrionalium populorum ad Christianam fidem per Benedictinos promotam, itemque vitæ monasticæ in illis plagis propagationem; scholarum deinde publicarum, cum iisdem in locis, tum in aliis, institutionem, ex qua literarum & sacræ doctrinæ traditio, quoad illa quidem tempora tulerint, ad posteros promanarit; tum instaurationem sacri monasterii Casinensis, curatam per Petronacem Abbatem & Casinates monachos, qui post ejus everisionem a Longobardis factam, Romæ in patriarchio Lateranensi confederint; primam porro monasteriorum Ordinis S. Benedicti ad primigenias leges reformationem; ac catholicorum denique, ceu vocat, dogmatum defensionem, a Benedictinis susceptam & peractam. Magnam insuper per illa tempora de cultu imaginum apud Orientales disceptatio cum fuerit, latius de eadem hinc inde differit, ac Johannem Damascenum, Platonem, Theodorum Studitam, aliosque, exilia, carceres, variaque tormentorum genera pro eo pertulisse refert. Et cum hæc controversia in Gallicanas

quoque partes promanarit, autore imprimis Claudio, Taurinensi Episcopo, qui cultum istum impugnare & profligare annis sit, Pipini, Caroli M. & Ludovici Pii, Regum, cura atque studio effectum dicit, ut ne latius hoc malum serperet; unde calamo tantum & stylo in secus sentientes actum fuerit, viam reliquis aperiante *Theodemiro* Abbate, tum *Dungalo Recluso*, quibus *Jonas Aurelianensis* Episcopus, & *Walefridus Strabo* Augiensis Abbas accesserint. De his vero viris illustribus, itemque de *Paschasio Radberto*, *Lupo Ferrariensi* Servati aliquando cognomine insignito, *Rabano Mauro*, *Wandalberto*, *Uuardo*, *Adone*, *Notkero*, *Haimone Halberstadiensi* episcopo, *Ratramno*, aliisque singularia & jucunda plurima commentatur.

Uterque Tomus appendices peculiare nactus est, & primus quidem duplicem, quarum prior *Apologiam* exhibet *antiquæ traditionis*, quæ ab ipsis Ordinis Benedictini incunabulis, ad hæc usque tempora, inviolate deducta perhibetur, quod nimirum *S. Maurus a Benedicto in Gallias missus fuerit*. Hanc apologiam studiose composuit *Theodoricus Ruinartus*, de qua A. 1703, p. 438 diximus, eidemque subjuncta est *Dissertatio de Gregorii M. Monastico instituto*. Altera appendix varia exhibet monumenta, nondum hætenus edita, probationi tamen enarratorum in ipso Tomo multum servientia, quæ maximam partem accepta referri debere dicit Claudio Stephanotio, Romæ nuper mortuo, dum Procuratoris officio pro Congregatione S. Mauri illic fungeretur, quippe qui multa *Collectaneorum* volumina, tum ex Gallicanis Bibliothecis & Archivis, tum ex Italicis congefferit. Secundi Tomi appendix monumenta ejusdem generis, diplomata & alia his similia exhibet, inter quæ sub num. 56 excerpta apparent ex epistola Joannis Schilteri, Jurisconsulti Argentoratensis, *de situ loci Campi mendacii*.

Nec illud prætereundum autumamus, nonnullas etiam picturas, quæ quid momenti continent, æri incisas in hoc opere exhiberi, quas inter duæ imprimis eminent, Monasterii Casinensis prospectum conspectumque repræsentantes, & post pag. 56 Tom. II insertæ. Quemadmodum de cætero peculiare *de Scriptoribus Benedictinis* opus pollicetur Autor solertissimus, in quo singula eorum recensere opera, & a genuinis dubia ac spuria secernere in-

constituit; sic duobus hisce Tomis duos alios, qui jam typis parati sunt, quamprimum successuros spondet, in quibus ad seculum usque duodecimum perductam haberi Historiam Benedictinam annuit.

CAUSA QUESNELLIANA.

Sive

MOTIVUM JURIS PRO PROCURATORE CURIAE Ecclesiasticae Mechliniensis contra P. PASCHASIIUM QUESNEL &c.

Bruxellis, 1704. 4. Constat 2 Alph. & 13 plag.

Multis ab annis celebre est *Paschasio Quesnelli*, Presbyteri Oratorii Berulliani, nomen, quod cum primis operibus Leonis M. editis, & convictu ac familiaritate cum Antonio Arnaldo summa illustravit. Hunc eadem, quæ Gabrielem Gerberonium, de quo proximo Junii mense p. 242 sqq. diximus, mansere fata. Cum enim alterum ejus cohortis, quam Jansenianam vocant, caute haberetur, multisque ab annis in Belgio, præsertim Bruxellis titasset, jussu Archiepiscopi Mechliniensis captus, publiceque a procuratore Curia Ecclesiasticae accusatus, cumque effracto carcere abiisset, die decimo Novembris A. 1704 lata ab Archiepiscopo censura damnatus est, velut Jansenismi convictus, & excommunicationem commeritus. Ut hujus sententiæ causas nemo ignoraret, jussit eas Archiepiscopus hoc libro in lucem proferri, addito ingenti probationum numero.

Procurator in Præfatione de turbis hæctenus in Belgio per varios libellos contra Episcopos excitatis conqueritur: ubi inter alia narrat, Petrum van Hamme, Presbyterum Congregationis Oratorii, ob disseminata talia scripta, ab Archiepiscopo Mechliniensi die 29 Octob. A. 1701 condemnatum; Gerberonium, Quesnellum, Arnoldum Josephum Brigodæum, quem Quesnelli Secretarium vocant, die 30 Maji A. 1703 Bruxellis captos; & hunc quidem, postquam crimen falsus esset ac deprecatus, dimissum fuisse, præterea Nicol. Blanckart, Presbyterum Ordinis Begardorum, ejusdem fabulæ socium, Jansenismi causa damnatum esse, atque palin-

odiam die 3 Julii A. 1704 cecinisse, Quesnellum vero, nocte inter 12 & 13 Septembris A. 1703, effracto carcere aufugisse.

Sequitur Archiepiscopi Edictum citatorium, quo jubetur Quesnellus ad XXIX articulos respondere, die 13 Februar. A. 1704 publicatum. Atque in articulorum illorum probatione, per univ-
ersum volumen Auctor se diffundit. *Primum* accusationis ca-
put Quesnello exprobrat, quod, postquam jussu Superiorum Ora-
torii Berulliani, formulam Jansenianæ condemnationis subscriptione
sui nominis approbare renuisset, e Gallia in Belgium aufugerit,
ibique sub laica veste delituerit; quam in rem Acta Comitiorum
Oratorii, Epistola Quesnelli ad P. Henr. Norisium, postea Car-
dinalem, aliaque hujus generis adducuntur. *Alterum* caput eo
redit, quod in Belgio varias excitavit turbas. Nimirum quod
Ægidium de Witte, Decanum Mechliniensem S. Mariæ trans Di-
liam, qui de Pontifice Romano irreverentius senserit, cujusque
quatuor Propositiones a Facultate Theologica Lovaniensi damna-
tæ p. 23 recensentur, editis libellis quibusdam defenderit (quo loco
asseritur, ea, quæ post annum 1687 sub Arnaldi nomine prodie-
rint, vel eidem attribuantur, scripta, illo jam languescente, a
Quesnello elaborata esse;) quod Patres Oratorii Montensis con-
tra capita Ordinis in negotio Janseniano suscitavit; quod Duace-
nam Academiam, edita A. 1688 sub nomine Gery Apologia Hi-
storica duarum Censurarum Lovaniensis & Duacenæ, turbaverit
Jacobum Gilbertum, Theologum ejus Academiæ, A. 1687 a Pari-
sienfibus Theologis Jansenismi causa damnatum (cujus censura
formula p. 42 seq. existat) nec non Fr. de Laleu, Rivettium, Li-
gnium, aliosque Professores Duacenos, ob VII Propositiones Jan-
senismo affines, jussu Gallorum Regis ex Academia ejectos, & ju-
verit, & defenderit, quorum ad Quesnellum & Quesnelli ad eo
Epistolæ multæ, aut earum excerpta adducuntur; quod imperata
ab Episcopis Belgis subscriptioni Formulæ Anti-Jansenianæ cunctis
bus modis obstitit, cum primis vero contra Archi-Episcopum
Mechliniensem libellum, *Tres-humble Remonstrations*, ediderit
quod Ecclesias Fœderati Belgii, Romano Pontifici addictas, ad no-
vandam constanterque in novationibus persistendum, & Pontifici
decretis obstitendum animavit, Hugoni Heussenio, Ægidio Wittio

Andræ Schurio, Carolo Bontio, Guiljelmo Prauwelio, Johanni Christiano Erkelio, aliisque clericis Hollandicis (quos in Pontificem contumaces & injurios, allatis eorum literis Auctor citat) amicus, consultor adjutorque fuerit; quod Archiepiscopi Sebasteni causa omnis ab initio ejus arbitrato gesta sit, in quo perstringendo Auctor p. 105 seq. multus hic est, plurimasque ejus & amicorum ac secretarii Donkeri Epistolas in ejus præjudicium publicat, ac novos Catechismos, usumque sacrorum, præsertim Missæ, in vernacula ab eo in Ecclesias Belgicas inductum conqueritur: quo loco utrumque Pontificis Decretum contra Sebastenum p. 127, 157, Breve Pontificis ad Clerum Hollandiæ p. 146, Cardinalis Paulucci Epistola lectu dignissima ad Sebastenum p. 158, nec non Quesnelli Consilium, quo Cleo Hollandico suadet, ut Decretis Pontificiis non obtemperet, p. 139 seq. inferitur, libellique pro Archiepiscopo Sebasteno hactenus editi p. 160 seq. sub censuram vocantur. *Tertia* accusatio Quesnello imputat, quod Mich. Baji doctrinam renovaverit, novæque operum ejus editioni faverit: *quarta*, quod Jansenii hæresim propugnaverit; quo loco celeberrimus Du Pin, ex Epistola quam ad Quesnellum scripta p. 170, Jansenismi suspectus redditur, aque accusatio p. 245 allato Pontificis contra illum decreto confirmatur; decretum Episcopi Aptensis contra notas Quesnelli in Novum Testamentum p. 178 seq. inferitur, idemque liber multorum omnino errorum, adductis ex eo locis variis, accusatur. Articulo V Quesnellus accusatur, quod Pontificis decretis in causa Jansenii latis detraxerit, tanquam fraude obtentis vel alteratis: Art. VI, quod jusjurandum *facti* Janseniani, ab Alexandro VII imperatum, exigere sacrilegum & toti Ecclesiæ injuriosum esse dixerit: Art. VII, quod post Breve & Decreta Innocentii XII contenderit, sensum formulæ Anti-Jansenianæ obvium non damnare sensum a Jansenio intentum: Artic. VIII, quod contra Alexandri VII declarationem propugnaverit, factum Jansenii, quod vocant, sub Innocentio X non fuisse examinatum: IX, quod publice dixerit, nonnumquam advenisse tempus reddendi Jansenio justitiam, & illatam ipsi injuriam reparandi, minatusque sit, se Jansenii defensionem contra Clerum Gallicanum suscepturum esse.

Prolixissima est accusatio X, in quam fere omnia, quæ reliquis

liquis capitibus continentur, denuo relata sunt. Agit ea de factione Janseniana, ea præsertim, quæ Arnaldo auctore orta, ad nostra usque tempora per Galliam & Belgium serpat. Enarratis enim Arnaldi, Pascalii, Nicolii aliorumque veterum factis, Arnaldo in ea factione Abbatis, Quesnello Prioris, Ernesto Ruth d' An Canonico Bruxellensi Sub-Prioris nomen datum a sociis refert. Quesnellum vero, post Arnaldi obitum, præcipuum ordinis universi rectorem fuisse, singulis fere annis a sociis conventicula habita, & de communi causa actum esse (cujus rei exemplum aliquod, allato Conventus A. 1701 Mechlinii habiti Decreto, p. 264 datur) collectas pecuniarias identidem fuisse collatas, quibus præsertim Ludovicus Vaucelius, qui res Jansenianorum communes Romæ curaverit, & Jo. Libertus Hennebel, qui Jansenianorum Lovaniensium causam ibidem egerit, alerentur; data quoque sociis nova nomina, ut Arnaldus diceretur *Davi*, sive *Davides*, Quesnellus *de Fresne*, Vaucelius *Walloni*, quinimo Papæ etiam, Regi Galliarum, Cardinalibus & Ecclesiæ Præsulibus nova ab illis agnomenta in privatis literis data esse, quorum clavem p. 320 seqq. Lector inveniet, unde Procurator *undecimam* accusationem petiit. Cum primis vero legi meretur Epistola Jansenianorum præcipuorum, a Legatum Regis Galliarum Comitem d' Avaux A. 1684 scripta, quæ p. 256 exstat, in qua illi Regi Gallorum per Legatum pacis quædam conditiones obtulerint eo tempore, quo armistitium inter eundem & ejus hostes sanciebatur. Accusatio XII Quesnello imputat novam editionem libri, qui *Phantasma Jansenismi* dicitur, a Cle Gallicano publice condemnati: XIII, quod de damnatione Dissertationum suarum ad Leonis M. Opera, a Congregatione Cardinalium Indicis librorum prohibitorum publicata, contumeliosissime scripserit: XIV, quod literas in Pontificem Romanum, Cardinales, Episcopos, Regem Galliarum, & eum, qui nunc Hispaniarum Regnum usurpat, nimium quantum injurias ad alios dederit, & ab aliis accepit; qua in re Procurator admodum prolixè versatur: XV, quod Senatam Regium Montensem, ob prohibitos publico Decreto (quod p. 392 integrum datur) libros Jansenianos, indignis modis tractarit: XVI, quod proscriptos a Pontificibus Gerberonii libros laudaverit, auctoremque multis modis adjuverit: XVII, quod se

tiosa Ernesti Ruth d' Ans, amici sui, scripta limaverit : XVIII, quod acriter invecus sit in eos, qui quadraginta Doctores Sorbonicos, propter notissimam ad Casum Conscientiæ Jansenianum responsionem, (quæ una cum Brevibus ea de causa a Pontifice scriptis, & plerorumque ex his palinodia, p. 404 seq. inseritur) damnarunt, iisque qui a pristina sententia discessere, perfidiam exprobravit : XIX, quod Archiepiscopum Parisiensem, Cardinalem Noallium, versus quem summam publice professus fuerit venerationem, privatim cavillis variis perstrinxerit : XX, quod varia scripta prohibita hactenus ediderit, vel recudi curaverit. Adscribuntur autem Quesnello auctori, & hic & aliis locis, sequentes potissimum anonymi aut pseudonymi libri : *Novum Testamentum cum Notis Moralibus, Testamentum spirituale Arnaldi, Fides & Innocentia Cleri Hollandici, Causa Arnaldina, Defensio duorum Brevium, Status Academia Lovaniensis, Traditio Ecclesie Romane de Gratia, Apologia Historica Censuræ Lovaniensis & Duacene, Disciplina Ecclesie, Buhursius convictus, Justificatio Arnaldi.* Accusatio XXI ingeminat, multa Quesnelli scripta Romæ proscripserit esse, v. gr. *Observationes in Leonem, Apologiam Censurarum, Causam Arnaldinam, quædam etiam tortoris infami manu combusta esse : XXII* arguet, Historiam Congregationis de Auxiliis, cujus embryonem, ut ait, Serrius Dominicanus conceperat, a Quesnello expolitam, invitoque Senatu Regio publicatam esse : XXIII, eundem, dum in carcerem redigeretur, edendis aliquot libris prohibitis operam navasse : XXIV, Quesnellum edendi voluminis magni CLVI scriptorum Jansenianorum, consilium cepisse : XXV, eundem Arnaldo morienti Sacramenta secreto administrasse : XXVI, eum privata auctoritate in ædibus suis sacra fecisse : XXVII, eum contempsisse excommunicationem, aliosque, ut eandem temnerent, docuisse : XXVIII, eum Decreta Pontificis contra libros novaturientes multoties sugillasse : denique XXIX, eum varia scriptis suis inseruisse, quæ Pontificum Bullis e diametro opposita sunt.

Atque hæc singula potissimam partem ex schedis epistolisque in Quesnelli museo, cum caperetur, inventis, & mira copia hic eluctis, nec non ex amplissimis librorum ejus excerptis proban-

tur. Subnectitur Archiepiscopi lata A. 1704, die 10 Novembr. contra Quesnellum sententia; in qua, repudiata ejus protestatione, reus criminum hætenus recensitorum, & in excommunicationem delapsus pronuntiatur, jubeturque, ut in monasterium aliquod Gallicum, agenda pœnitentiæ causa, se conferat, atque ab omni in Dioecesin Mechliniensem reditu excluditur.

IDEÆ GENERALE, &c.

i. e.

*IDEA UNIVERSALIS LIBELLI, QUI SUB TITULO MOTI-
vi Juris Procuratoris Curia Ecclesie Mechliniensis con-
tra P. Quesnellum editus est, auctore PA-
SCHASIO QUESNELLO.*

. . . . 1705, plag. 7, in 12 maj.

Audito Quesnelli accusatore, fas est eundem causam suam non deserentem, sed pro virili se defendentem, non prorsus negligere. Pollicetur ille prolixam ad Causam Quesnellianam Respon- sionem, cujus prodromum esse *Ideam* hanc vult, questus ante omnia in Præfatione, se nequaquam jure ut fugitivum tractari, cum injuste captus sit, forum Archiepiscopi legitimis rationibus recusaverit, Divinoque auxilio, cujus multa indicia recenset, sit libera- tus. Inde in opella ipsa, testatus animum forte sua contentum, adversariisque plane non inimicum, XIX enumerat Artificia, qui- bus accusationem istam niti, detectisque istis omnino everti opi- natur. Nam I reticeri prorsus ait protestationem suam (cujus summam repetit) legitime contra forum Archiepiscopi, quippe sibi inimicissimi, factam, quæ cum ab arbitris repudiata sublataque non sit, ipso jure nullum esse ait, quicquid contra se Archiepiscopi no- mine agatur. II dissimulari a Procuratore ait, quod sine antegressa facti informatione in carcerem redactus sit. III Romani Pontificis mandatum falso prætendi, neque per istud excusari Archiepiscopum posse docet, qui recusatus licet, & inimicitia erga se convictus, sen- tentiam tamen ferre non destiterit. IV Adversarii sui probationes plerasque ex epistolis aliisque schedis vi sibi ereptis, truncatisque & Jesuitarum manibus (professisque adeo inimicis suis) traditis pe-
ti-

titas esse monet, easdemque V maximam partem rejectaneas esse, & per plures adeo annos neglectas in scriniis delituisse, privatas denique & animi interdum causa aut sub fide amicissimi silentii scriptas; posse hoc pacto vel innocentissimum quemvis, si privata secretissimaque ejus scrinia expilare liceret, criminibus obrui; talia vero, cum cogitationum jure utantur, puniri non posse, nec ad humanam jurisdictionem pertinere. VI admonet, adversarium suum schedas istas sæpenumero male intellexisse, v. gr. quando voces jocosas in Gratiam a Nicolio recens inventam dictas, in Gratiam universalem, quam Jesuitæ defendunt, vibratas esse contendit; ubi VII addit, exemplisque probat, eundem ficta in schedis istis nomina interdum male interpretatum esse, atque inter alia Stephanum & Michaellem le Vassor confudisse. VIII & IX urget, quam plurima prorsus aliena, augendi voluminis seque vel mole ista opprimendi studio, Causæ Quesnellianæ inserta esse, ac præterea se suosque velut professos Ecclesiæ hostes, erga quam sint inviolabili reverentia, depingi, excitandi solum odii gratia. X eodem consilio seditiosas sibi voces imputari scribit, cum summa ubivis cum veneratione, Galliæ præsertim Regi, causas rerum exposuerit, inque præpotentium adversariorum præventiones, & ministrorum artes, culpam omnem rejecerit; falli sane vel optimos Principes, neque tamen ægre ferre, si ex errore revocentur. Addit XI ea, quæ inter Regem Gallicum & Vicarios Apamienses, jussu arbitrataque Pontificis, gesta sint, malitia cum insigni sibi & Jansenianis imputari; nec non XII Auctorem Causæ Quesnellianæ ipsum Regem Ecclesiamque Gallicanam, ejusque de auctoritate Pontificis doctrinam, audacter cavillari, damnatam seditiosamque nominare; quo loco Quesnellus infallibilitatem, quam vocant, Pontificis dudum ab Ecclesia, interque alios a Jac. Masenio Jesuita, repudiatam esse probat. XIII falso sibi imputatum affirmat, quod Paulum per omnia, & sine ulla subordinatione, Petro æqualem esse statuerit, atque hujus farinae alia. XIV ad Cleri Hollandici causam se confert, maleque turbas istas sibi imputari contendit. Consilium, quod rogatus secreto dederit, se non nisi maxima cum circumspectione, planeque non ea intentione, ut sibi obscurarent Clerici, qui Sebasteno Archiepiscopo adhærent, dedisse;

consilium vero, quod citra fraudulentum animum detur, consulenti damnosum esse non posse, quippe cum vel sanctissimorum consilia, (v. gr. Augustini, cum Bonifacio Comiti ingressum in monasterium dissuaderet) interdum male cadant. XV factionem sibi aliisque Arnaldi amicis injuste tribui affirmat; non alio se consilio, quam defendendi Augustiniani de gratia dogmatis causa unitos esse, parique jure Augustino, Prospero eorumque amicis factionis crimen inuri posse. XVI Brigodæum, quem male Secretarium suum vocari ait, excusat; XVII autem summa sibi injustitia adscribi dicit libellos quosdam, ad quos manu sua nonnulla corrigens aut ludens adscripserit, maxime vero postrema Ant. Arnaldi scripta, qui tertio vel quarto ante obitum die adhuc scribendis libris operam dederit. XVIII Vaucelii acta sibi inepte etiam imputari ait, eique ipsi multa injuste vitio dari, exemplis docet. Denique XIX adversarium loca quædam suarum in Novum Testamentum Notarum in sensum minus orthodoxum rapuisse conqueritur.

*TRACTATUS DE JURE PRIMARIARUM PRECIUM,
Autore JOHANNE EHRENFRIED MAYERO U. J. D.*

*Sacr. Reg. Majestatis Dan. Norweg. nec non Reverendiss. Sereniss. Abbatissæ Quedlinburgensis
Consiliario.*

Quedlinburgi, apud Th. Ph. Calvisium, 1704 in 4. Constat 14 pl.

Consultissimus Autor, a prima origine Jus primariarum precum repetiturus, initio rei Christianæ penes clerum & populum constitutionem ministrorum Ecclesiæ, neglectis summarum Potestatum suffragiis, fuisse, eumque constituendi modum adeo postmodum placuisse censet, ut Divinæ & Apostolicæ traditioni, i. e. eodem interprete, legi universali & immutabili, Cyprianus eum adscribere non dubitaverit. Ex quo autem Principes Christo nomen dederunt, cum universa rei Ecclesiasticæ cura, istam etiam juris sacrorum partem, jure quodam regulari eos sibi vindicasse; id quod exemplis nonnullis, ex Historia Romana, Francica, Germanicaque desumptis, Noster illustrat. Sed infelicibus Henricorum

temporibus, jura Imperatorum, per Pontifices Romanos, fuisse imminuta, ut tamen illi reliquias aliquas, ex priori jure Regio circa sacra, quasi e communi naufragio, servarint, ad quas etiam pertineat Jus Primariarum Precum. Hujus igitur tum nomen, tum indolem, allata definitione, explicat Consultissimus Autor, illudque ex jure patronatus Regio, seu jure sacrorum repetit, adductis etiam aliis titulis minus principalibus, quales esse censentur jus patronatus vulgare, antiqua consuetudo, & advocatia seu protectio Ecclesiarum universalis. Postea rejicit titulos falsos, inter quos primo loco comparet privilegium Papale, ex quo Curia Romanæ asseclæ jus primariarum precum repetunt, quodque quatuor potissimum argumentis, a suprema Pontificis circa sacra potestate, Concordatis nationis Germanicæ, propria Imperatorum confessione, ac bulla quadam Pontificia, a Speculatore, ut ferunt, visa desumptis suffulciunt; quæ singula Noster diluit. Alii existimarunt, Imperatoribus primarias preces ex eo competere, quod olim fuerint Cathedralium Ecclesiarum Canonici; sed nec hæc sententia calculum Nostri meretur: quemadmodum ipsi nec illi probantur, qui superioritatis territorialis titulo jus hoc Imperatoribus vindicant; virtute tamen Regalium his illud attribui posse, amplius idem existimat, modo terminus ille recte accipiatur. Exposita Juris primariarum precum origine, Doctissimus Autor ad universam Germaniam, i. e. regiones, quæ adhuc Imperio Romano-Germanico subsunt, illud vim suam extendere docet, eamque doctrinam variis quæstionibus, in specie ea, an in Episcopatu Metensi, Tullensi & Verdunensi, idem adhuc effectum fortiat? illustrat; cumque jus illud in quolibet collegio Clericorum, ubi antecessores hæcenus id exercuerunt, Cæsari competat, ideo illud præscribi posse censet: non obstante vero hoc, vel simili impedimento, in Capitulis etiam Protestantibus Cæsarem illud obtinere, ostendit. Quibus ad liquidum deductis, cætera capita enarrat, adeoque de idoneitate Precistarum, de beneficiis Ecclesiasticis, Canonicatibus, Præbendis earumque varietate, de mensibus ordinariis & extraordinariis, de primariarum precum effectu, Cæsaris præsentatione, de communicatione hujus juris Cæsarei, adeoque de primariis precibus Imperatricis, Regis Romani, Electorum

horumque Conjugum, nec non Vicariorum, fufe satis, infperfis etiam, pro re nata, documentis publicis, differit.

*MANUALE PROCESSUS IMPERIALIS, SIVE
Compendiosa Introductio ad Praxin Augustissimi Judicii Cæsa-
reo-Imperialis Aulici, in gratiam Studiosorum Juris, animum
ad praxin Imperialem applicantium, revisa, variis addita-
mentis, præfatione atque indice aucta, nunc pri-
mum prelo commissa a J. F. C. J. U. L.*

Norimbergæ, apud W. Michaelem & J. Adolphum, 1704. 8.

Constat 17½ plag.

CONSTAT hæc Introductio duabus sectionibus, quarum prior causas Justitiæ, posterior Gratia exhibet. In illa ergo, præmissis generalibus quibusdam, de Processu tam Ordinario quam Summario, de Processu Appellationis, Materia Attentatorum & Mandatis eorum Revocatoriis, Relatione Actorum & Processu Expenfarum, Protracta vel Denegata Justitia, & Remediis eam promoventibus, de Querela Nullitatis, Processu Mandatorum tam cum quam sine clausula, nec non de causis Pignorationum, Arrestorum & Fractæ Pacis publicæ, de Rescriptis, Processu Citationis, sive Simplicis Querelæ, & Citationem ex L. diffamari, Processu Summario, Commissionis scilicet tam Aulicæ, quam Austregalis, nec non Processu Informativo, de Remediis contra Sententias a Consilio Imperiali Aulico latis, Restitutione in integrum, & Revisione sive Supplicatione, ac tandem de Sententiarum Executione differitur. In hac vero Requisitio Feudorum Imperii majorum & minorum, ut & Confirmatio Tutorum & Curatorum exponitur. Rei isti paululum illustrandæ, nonnulla adjiciemus. *Sect. I, c. 3* de attentatis agitur, quæ ex doctrina Nostri sunt, quando Judex aut pars appellata, post interpositam rite appellationem, ulterius in cognoscendo, decernendo, exequendo aut turbando progreditur. Quodsi igitur attentata ab appellante legitime probentur, tum Judex appellationis, per mandatum attentatorum revocatorium, eadem nulla declarat, simulque attentanti eorum, in certo termino, revocationem ac redintegrationem poenaliter injungit. Hoc facto, si intra terminum excipiendo comparuerit attentans,

&

& mandatum sub & obreptitie obtentum esse monstraverit, tunc hic punctus (sit venia termino forensi) attentatorum per replicas & duplicas, ut alius processus, ventilatur, & desuper eodem tempore, quo in puncto principali, sententia fertur. Si vero attentans nec attentata revocaverit, nec jus suum probabiliter deduxerit, tum Judex appellationis ulterius, & tandem etiam arctius mandatum attentatorum revocatorium sub poena dupli, cum citatione ad videndum, se incidisse in poenam prioribus mandatis insertam, decernere solet, & si nec huic paruerit, tum declaratio poenæ, & paritoria, cum comminatione banni, subsequitur, & fiscus suum officium interponit. Aliquando ipse appellans attentatum committit, quo casu appellationem deseruisse, eique in totum renunciassè censetur. Quæ omnia quo eo magis intelligantur, Noster duplicem formulam, qua tam mandatum attentatorum revocatorium, quam mandatum arctius, cum reproductione mandati prioris, peti solet, subjicit. *Sect. I, cap. 5* exponitur appellatio ob protractam vel denegatam justitiam interposita. Quod si adeo justitia denegetur, solet decerni citatio contra partem ream, ut ad assumendam litem, in Judicio Imperiali Aulico, intra spatium bimestre, compareat, & si id negligat, sententia in contumaciam, uti in aliis processibus, pronunciat. Ob protractam vero justitiam decernuntur promotoriales, quibus judici moroso tempus, ordinarie unius mensis, quandoque tamen, ob circumstantias relevantes, longius, ad justitiam administrandam præscribitur; quæ formulis necessariis Noster iterum illustrat.

THE HISTORY OF MAN.

i. e.

HISTORIA HUMANI GENERIS, SEU MIRACULA naturæ humanæ, respectu virtutum & vitiorum atque defectuum, variis exemplis tum antiquis tum modernis explicata.

Londini, apud R. Basset & W. Turner, 1704. 8. Alph. 1, pl. 14.

Non est ut de hoc libello multis agamus. Saltem significamus; locos communes, seu, ut Naudæus loqui amat, tapantia illo contineri, exempla scilicet memorabilia, ad varia capita relata, & fide dignis veterum & recentiorum auctorum testimoniis roborata. Ne

p. 14.

tamen nullum plane specimen e libro exhibeamus, pauca admodum inde delibare nobis visum est. Elegans & lectu jucundum est, quod de Waltero Rawleigh, cujus celebre apud Anglos nomen est, refertur, quod eo primum gratiam Reginae Elisabethae fuerit promeritus, quod cum spatiantem forte, & ob coenum in via objectum, gradum jam in aliam partem dirigentem observasset, confestim vestem splendidissimam humeris detractam in coenum projecit, ut recto tramite incedere commode Regina posset. Inde cum illi ad aulam accessus parviusset, fertur in loco quodam, ubi saepius commorari Elisabetha consueverat, fenestrae hunc versiculum inscripsisse:

Fain would I climb, but that I fear to fall,
hoc est, *quam cupiam ad majora adniti, sed timeo, ne labar;*
quibus lectis Regina illico rithmum adjecit:

If thy Heart fail thee, don't climb at all,
id est, *si nihil audes, nusquam connitere.* Quae verba animum illi addidisse putantur, ut inde facile ad altiora pervenerit.

p. 31.

32.

124.

128.

337.

345.

348.

434.

Inter humilitatis & modestiae exempla praeter alios recensetur Josephus Hall, Episcopus Norvicensis, de quo refert, eum nunquam cuiquam aegre fecisse, & dicere solitum, *stultum esse cum superioribus, dubium cum aequalibus, & abjectum ac sordidum cum inferioribus contendere.* Ad historiam Leopoldi Imperatoris, nuper defuncti, pertinet, quod A. 1672 missus ex Anglia Viennam fuerit legatus Bernardus Gascoign, qui Jacobo Duci tum Eboracensi uxorem peteret Claudiam Felicitatem, Archi-Ducem Austriae: at cum rebus omnibus jam perfectis, & Legato reditum meditante, ipsa Augustissima Imperatrix Margareta Theresia decederet, immutatam fuisse Caesaris voluntatem, Legatoque indicatum traditur, aliam quaerendam Duci sponsam esse, quod ipse eam ducere uxorem constituisset. Eidem Jacobo id dedit consilii frater Carolus II Rex, ne Pontificiam religionem in Angliam invehere aliquando tentaret; rem enim eam periculo plenam & plane impossibilem futuram. Quanti intersit circumspicere in omnibus rebus agere, vel ex eo intelligitur, quod celebris Angliae poeta V Vilmot, Comes Roffensis, cum a Rege Carolo II admonitus, ut sibi satyram adversus virgines aulicas compositam communicaret, per nimiam festinationem, satyram aliam, qua Regem ipsum petebat, ei obtulisset, prorsus gratia Regis exciderit. Singulari humanitate conspicuus fuit Thomas Cranmerus, Archi-Ep. Cantuariensis, quippe in proverbium abiit: *si huic injuriam inferas, certus esse poteris, te ex eo statim tempore per omnem vitam habiturum fabentissimum.* Caeterum quae hic de genio nationum suis locis habentur, digna forent, quae a nobis transcriberentur, si locos communes colligere & ipsi cupereinus: etsi nec ipsa chartae angustia, ut plura addamus, permittit.

* * * * *

A C T A ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Octobris, Anno M D C C V.

JOHANNIS HENRICI BERGERI, JURISCO-
 N-
 sulti, Regis Polon. & Elector. Sax. in Summo Provocationum Senatu
 Consiliarii & Antecessoris Vitembergensis, Enarratio L. 10. ff. de
 Jur. fisci & L. 2. C. qui & adv. quos in integr. rest. Acces-
 serunt ejusdem operæ Academiæ
 novissime.

Lipsiæ, sumtibus Hæredum Lanckisii, 1705, in 4to.

Constant i Alph. 17 plag.

Duplici nomine se commendat eruditissima hæc Excellentissimi
 Autoris Commentatio, & argumenti dignitate, & tractatio-
 nis præstantia. Leges enim, quas nobis exhibet, adeo gravium
 causarum momenta continent, ut vix in digniore opera Celeber-
 rimi Viri occupari potuisset industria, & ipse in iis enarrandis
 tam erudite versatus est, ut feliciorum leges, quas commemora-
 vimus, interpretem nancisci nequeant, cum & ingenii sublime acu-
 men, & accuratam omnis Jurisprudentiæ scientiam, & assiduum
 rerum forensium usum, singuli fere ostendant paragraphi. Pri-
 mum locum occupat Dissertatio de Jure Fisci in dubiis quæstioni-
 bus *ad L. X Pand. de Jur. fisci*, quam Autor A. 1694 publice de-
 fendit. In hac cum nihil occurrat, quod non notatu sit dignissi-
 mum, tum imprimis juvabit ipsum de discrimine Steuræ & Came-
 ræ §. 3 & 4, de dubio, ambiguo & obscuro, nec non de interpre-
 tatione quæstionum dubiarum §. 9 *seqq.* elegantissime differentem
 audire. Sequuntur Casus varii, de quibus eas proposuit Excellen-
 tissimus Autor regulas: contra fiscum esse pronuntiandum, si pri-

vatus de damno vitando & fiscus de lucro captando sit sollicitus §. 14, pro fisco contra privatum, quoties is damnum averfatur, privatus lucro inhiat §. 17, si uterque lucrum intendat aut damnum fugiat, æquali fiscum cum privatis jure uti oportere §. 20 & 21; quas singulas & exemplis confirmat & legibus corroborat, hasque solcite, quoties thesibus obstare videri poterant, explicare, & in speciem pugnantes subtiliter conciliare studet. Ostendit deinde, qua ratione Modestinus in *d. l. X* debeat intelligi, variasque Doctorum, imprimis Fr. Duareni, Ant. Merendæ & Antonii Augustini rejicit expositiones §. 26 *seqq.* Postea regulas antea propositas confirmat, & quartam imprimis contra Baldum ejusque asseclas, fisco nimium faventes, strenue tuetur, ac L. L. obstantibus 38 & 35 *ff. d. Re Jud. l. un. C. de sent. adv. fisc.* solide respondet. Unde nec a jure dotium, nec ab Ecclesia aut a minoribus, quæ ad fiscum deducantur, argumenta valida esse monet *th. 31 - 41.* Exempla quoque elegantissima suppeditat, quibus contra fiscum, tam in quæstionibus juris, quam facti dubii, pronunciandum monet. Ad causas juris controversi refert quæstiones: utrum filio hæreditate materna, quam adiit, per restitutionem in integrum iterum abstinente, ad proximos successores hæreditas, an ad fiscum, pertineat? item de superfluo ex cessione actionis contra L. Anastasianam facta, quod alii fisco, alii debitori vindicant, cum Excellentissimus Autor utroque casu contra fiscum pronunciandum esse censeat. Quæstiones vero facti dubii quam plures attulit, ex materia delictorum & contractuum, probationum, testamentorum & aliis, quas singulas juvabit expendisse. Tandem an hæcenus dicta ad vectigalium ac domaniorum causas quoque pertineant, dispicit, ac utrumque addita distinctione feliciter expedit. Jam ad alteram Dissertationem pervenimus, quæ *ad L. 2 C. quæ & adv. quos* conscripta est; verum cum eam jam in Actis Anno 1696 M. Nov. p. 518 L. B. exhibuerimus, paucis saltem monendum erit, non *Thesi 38* tantum egregium supplementum, quo *Nov. 255 c. 1* explicatur, accessisse, sed integram quoque Dissertationem de restitutione in integrum ob reverentiam denegata, quam sub Autoris præsidio Leistenius Anno *XCV* defendit, esse additam. Restant Autoris nostri *Novissima Academica i. e. Sermo solennis a*

Decanum ordinis Philosophici in congressu Candidatorum adornatus, & Oratio de Jureconsultis Academiae Vitenbergensis, qui proximo superiore seculo vixerunt, recitata Anno 1703, cum tertium Consulatu Academico abiret. Continet ea memorias omnium Jureconsultorum, qui ex eo tempore, quo primi secularis Academici instructa sunt solennia, per integrum seculum floruerunt. Exhibet uno intuitu elogia, vitas & scripta celeberrimorum Virorum, Zangeri, Lud. Personæ, Bartholomæi Reusneri, Luc. Beckmanni, Hirsbachii, Franzii, Ben. Carpzovii, Erasmi Unruh, Val. Guilelmi Fœrsteri, Conr. Carpzovii, Jer. Reusneri, Gothofr. Reuteri, Grossii, Jo. Strauchii, Christiani Taubmanni, Crullii, Prætorii, Augustini Strauchii, Vackii, Godofr. Suevi, Coselii, Ritteri, Ziegleri, Klengelii, Lyseri, Nergeri, Martini, Ledereri, & qui nuper in vivis esse desiit, Ge. Mich. Heberi &c. Sed & ex Facultatis Juridicæ Assessoribus aliquos commemorat, quos inter Ritterum, Schulzium, ac Excellentissimum Lenziium Ser. Princip. Sax. Weissenfelsensis Vice - Cancellarium imprimis meritis extollit encomiis. Interjectæ sunt passim observationes eruditissimæ, ex quibus unam ac alteram saltem adjecisse juvabit. Ita p. 183 docet, *Henning. Wittium* falli, qui *Jo. Dauthium* inter Jurisconsultos Witenbergenses retulerit, cum is Lipsiæ quidem, non autem Witenbergæ, publica auctoritate Jura professus fuerit. Hirschbachii sub præsidio, Conradum & Benedictum Carpzovios Dissertationes de Regalibus, copiose ac erudite conscriptas defendisse, p. 186 annotat, dumque in laudibus Augustini Strauchii occupatus est, felicitatem Jurisconsultorum Brandenburgicorum extollit, qui Academicis exercitationibus subacti in Aulas evocentur, & difficillima negotia feliciter procurent, quod Fuchsiorum, Rhetiorum, Spanheimiorum ac Coccejorum illustria satis ostendant exempla, eademque fortuna, quem diximus, Strauchium usum fuisse commemorat, cum Serenissimus Sax. Elector non modo gravissimis quibusque negotiis eum adhibuerit, sed & Ordinarii Præsidis munere in Academia Witenbergensi defunctum, sanctioris Senatus Assessorem esse voluerit. Sed quis singula in tanta rerum ubertate persequetur? Nos avidis reliqua Lectoribus relinquimus & ad aliud Excellentissimi Autoris opus, quod selectarum Observationum Forensium amplissimam exhibet copiam, accedimus.

JOH. HENR. BERGERI JURISCONSULTI ETC.

Electa Processus Executivi, Possessorii, Provocatorii & Matrimonialis.

Lipsiæ, sumtibus Hæredum Fried. Lankisch, 1705. in 4.

Constat 2 Alph. ii pl.

Junctim nunc prodeunt in lucem Dissertationes quatuor elegantissimæ, quas proximis annis Illustris Autor proposuit, sed insignibus auctæ incrementis. Prior continet *Electa Processus Executivi*, in qua Autor primo diversitatem processus ordinarii & extraordinarii seu summarii evolvit, ac utilissimam §. 4 causarum patronis cautelam suppeditat, qua ratione in causis, ut vocant, summariis adversæ parti interrogatoria exhibendi occasionem præcideri valeant. Dein processus summarii duas constituit species, regularem & irregularem, monetque actionem hypothecariam, imo injuriarum æstimatoriam & recantatoriam etiam executivo, si res ita ferat, processu posse institui; cautelam tamen suppeditat actoribus, ne salutarem sibi semper credant summariam hanc experiendi rationem, cum in executivo processu nec probationi per testes, nec jurisjurandi delationi locus relinquatur. Postea requisita instrumenti guarentigiati tradit, negatque pro tali haberi posse obligationem impersonalem, in qua creditoris nomen haud sit expressum, aut quæ causam debendi, licet inter mercatores agatur, haud contineat, cuive addita sit clausula, *solvam quam primum potero*, cum ea id operetur, ut quis ad celerem solutionem adstringi nequeat. Ex instrumento tamen a tutore subscripto pupillum, debitoremque principalem a fidejussore, actione mandati executive conveniri posse docet. De obligatione mulieris sine curatore contracta, aut cui curator ex intervallo demum accessit, §. 12 seqq. differit; mulieremque & sine curatoris auxilio ex mutuo obligari, & apocham conficere, ac ex omni contractu, cui curator ex post facto consensum præstitit, teneri existimat *dd. §§.* Instrumentum autem guarentigiatum quandoque posse subsistere, licet nec ab ipso debitore subscriptum subsignatumve sit, nec clausula *manu propria* ei adjiciatur, §. 20 & 21 addit. Hinc ad rationem tractandi causas executivas pergit, ac advocatum actoris jubet

bet esse cautum, ne responsionem aut litis contestationem ab adversa parte petat; reis vero suppeditat exceptiones, quæ adversus instrumenta guarentigiata locum habeant, ubi inprimis quæ de exceptione chartæ blancæ & implementi non secuti, compensationis item ac non numeratæ pecuniæ tradit, evolvi merentur. Denique de *processu cambiâli* notabilia quam plurima affert, sententiamque *Mandati Electoralis de exceptione solutionis compensationisve adversus cessionarium cambi non competente* explicat. Subjicitur *programma*, quo Excellentissimus Autor ostendit, ad evitanda perjuria quandoque in processu executivo recognitionem per testes, contra Juris regulas admitti; quam sententiam summi Provocationum Judicii præjudicio corroborat. Altera Dissertatio exhibet *Electa Processus Possessorii*, ac observationum practicarum plenissima est. Pragmaticorum initio notat errorem, qui in possessorio, quod vocant, ordinario, summario processui locum esse negant, cum ipse, ratione processus, omne judicium possessorium censeat esse summarium, etiam in materia servitutum, licet Celeberrimus Schilterus eam exceperit, cujus rationibus Autor respondet §. 1. Summarium ergo possessorium tantum ratione causæ dici, in eoque tantum de possessione præsentis & momentanea retinenda, non de adipiscenda vel recuperanda agi, contra Carpzovium defendit §. 4. Dein modum procedendi in possessorio summarissimo explicat, ac in casu necessitatis summique periculi, citationem posse omitti monet §. 5. Cumque in eo vel per modum actionis in factum, vel per inhibitionem procedatur, varia circa hanc monita suppeditat, ac inprimis inhibitione pœnali ex pluribus capitibus decreta, si ea ex parte cassetur, ex parte confirmetur, integram tamen mulctam dictari, nec transactionem cum adversario inhibitum a pœna liberare monet, & utrumque summi Provocationum Senatus præjudiciis confirmat §. 6. Hinc qua ratione possessio præsentanea in rebus corporalibus & incorporalibus acquiratur, inquirat, ac possessionem libertatis naturalis quoque probatione indigere contendit; quam sententiam dudum placuisse Excell. Autori, ex Resolutionibus ejus Lauterbachianis potest constare. Sequitur elegantissima de Jure Cerevisiario digressio, ubi de jure coquendi, ven-

dendi, cogendi & prohibendi civitatum, de dimensione milliaris, de jure hospitalitatis, de poena eorum, qui cerevisiam illicite vendunt, quam plurimas congeffit observationes. *vid.* §. 12-19. Postea observat, possessionem contra singulos acquisitam, non nocere universitati §. 20; in summario possessorio naturalem possessionem sufficere, etiamsi non sit annua, licet ipse non diffiteatur annuam possessionem & a Lipsiensibus Jurisconsultis requiri, & eorum sententiam in summo Appellationum Judicio fuisse aliquando comprobata, §. 21 *sqq.* Actus possessorii requisita tradit §. 24. Contra Principem non valere possessorium summarium, nec eorum satis certam esse sententiam, qui decennalem possessionem subditos tutos reddere credant, indicat §. 26. Ubi ad modos probandi progreditur, ostendit in summarissimo possessorio rotulos Notariorum, non tamen depositionem generalem sufficere §. 30. Jurisjurandi autem delationi æque, ac super exceptione spolii, locum esse tuetur §. 31. Cæterum ex sententia Autoris remedium possessorii momentanei non competit ei, qui a possessione dejectus est, nec hæredibus, cum ad eos possessio ipso jure haud transeat *th.* 33-34, quibus possessorium ordinarium ac Paulianam actionem dari concedit *th.* 35. Tandem ad sententias definitivas processus summarii accedit, ac quo modo eæ rite concipi debeant, docet §. 38; cumque monuisset, qua ratione victoria in possessorio a restitutione fructuum in petitorio liberet, contra sententiam de possessione in summarissimo judicio latam, nec leutationi, nec appellationi aut supplicationi relinquit locum, additis tamen quibusdam limitationibus, quæ §. 45 continentur. Accessit, ne quicquam deesset operi, huic Dissertationi Exercitatio paraphrastica, quæ XII Leges priores *Tituli Pand. de Acquirenda vel amittenda possessione*, erudite interpretatur, ac singularum sensum, satis quandoque obscurum, feliciter eruit. Facile ex hæctenus dictis L. B. poterit intelligere, qua ratione reliquæ Dissertationes, quæ *Processus Provocatorii & Matrimonialis Electa* continent, conscriptæ sint. Quare sufficiet nobis saltim aliquas observationes selectas ex iis excerpere, quarum uberrima se ubique offert copia. In *Dissertatione* igitur *III* docet, provocationem ex *L. diffamari*, ob injurias verbales simplices frustra ab imperitis Advocatis suscipi, multo mi-

nus eam cum actione injuriarum cumulari posse *th. 12. 13.* Remedium dictæ Legis coram quolibet iudice posse institui, diffamantis vero arbitrio relinqui, quo in foro actionem principalem velit movere, *th. 20 & 22. In Th. 31* Carpzovii, Ziegleri aliorumque rejicit sententiam, qui diffamante per contumaciam emanante in primo termino, saltem responsionem simpliciter *bey Straffe Ungehorsams* injungendam censent, monetque eam statim sub poena perpetui silentii posse imponi. Quæ de termino duplicato, intra quem actio principalis institui debeat, Doctores vulgo tradunt, ea sine Lege dici, adeoque a Iudice negligi posse asserit *th. 35.* De provocatione ex *L. si contendat*, rite instituenda legi merentur, quæ *§. 48* Autor differit, qui itidem monuit, contra eum, qui instrumentum guarentigiatum habet, dictam provocationem non admitti. Ex *Electis Processus Matrimonialis* observare licet, eum qui consobrinam stupravit, non teneri ad eam alendam, cum ipsa stupratoris uxor fieri nequeat, *th. 9.* Consistoria Ecclesiastica partes litigantes, quæ sub civitatum aut nobilium jurisdictione sunt, mediate, suppressa tamen clausula in subsidium, in præfecturis autem immediate in jus vocare, *th. 13 & 14.* Minorem & mulierem, in causis matrimonialibus, personam standi habere in iudicio, hanc quoque, si ob stuprum actionem ad matrimonium ineundum aut dotem constituendam moveat, non vero si alimenta infantis nomine petat *th. 17 sq.* Oblationem ad jurandum non esse necessariam, sive juramentum contra matrimonium, sive pro matrimonio sit præstandum, *th. 37* ostendit. De jurisjurandi delatione in actione matrimoniali, prolixè agit *th. 23 seqq.* Processum vero desertorium accurate describit *th. 50 seqq.* Sed nos pluribus hisce non immorabimur, cum selectarum Quæstionum ac Observationum Practicarum tantam ubique deprehendamus copiam, ut, si potissimas tantum persequi ac commemorare velimus, verendum foret, ne nimium excresceret ac instituti nostri metam excederet oratio. Quare ad ipsum opus præstantissimum B. L. ablegamus, ac paucis tantum monemus, adjectam esse *Electis his Processus Executivi, Possessorii, Provocatorii & Matrimonialis, Disquisitionem Quousque Actori Reove in foro Sax. Elect. liceat deferre Jusjurandum?* In hac Autor actori etiam super replica ac articulis elisivis, & post

litem a reo non recte aut eventualiter tantum contestatam, potestatem facit reo deferendi jusjurandum, huic vero, si negative litem contestatus sit, omni tempore licentiam utendi delatione juramenti largitur, etiam postquam articulos reprobatorios obtulit in ipso termino productionis aut recognitionis, sin affirmative litem fuerit contestatus, usque dum ei injuncta fuerit exceptionum probatio, aut ad eas probandas ipse se obtulerit, potestatem hanc ipsi esse salvam existimat. Quæ omnia plenius est persecutus, variisque ampliacionibus & limitationibus, observationibus, cautelis ac consiliis exornavit illustravitque. Quod reliquum est, cum præsentis commentationes satis ostendant, quam dextre, accurate ac feliciter Excellentissimus Autor, in discutiendis dijudicandisque causis forensibus versetur, *Electa Processus Ordinarii*, quorum in præfatione spem fecit, cum iis, qui eruditissimos ipsius labores suo pretio æstimare norunt, avide expectamus.

CONFORMITE' DE LA FOY AVEC LA RAISON.

h. e.

FIDEI ET RATIONIS CONSENSUS, VEL RELIGIO DEFENSA CONTRA PRÆCIPUAS OBJECTIONES IN LEXICO HISTORICO-CRITICO PETRI BÆLII SPARSIM OBVIAS. Auctore J. J. A-QUELOTO.

Amstelæd. apud H. Desbordes & D. Pain, 1705. 8.

Constant Alphab. 1 plag. 5.

IN duas partes abit hoc opus Autoris de Religione Christiana. Optime meriti, cujus alia quoque ejus generis scripta in Actis nostris recensita inveniuntur. In primæ partis limine, statim brevis repetitio instituitur argumentorum, alibi ab ipso Viro clarissimo ad demonstrandam existentiam Dei, fuse magis deductorum. Inde de natura Religionis in genere agit, quam fœdus Dei cum homine definit, quo bonis præmia, pœnas improbis, ex infirmitatibus lapsis per poenitentiam remissionem criminum polliceatur. Utque ejus indoles clarius patefcat, primo Deum ab hominibus exigere obsequium, illudque ipsas promissiones Dei supponere, probat; inde Deum peccata infirmitatis tantum condonare, majora punire, resipiscentibus dare veniam. Porro quid Scriptura c.

De

Deo nos doceat, ostendit, & quæ revelatio ad religionem pertinentia alia suppeditet, de fide nempe, de merito & efficacia mortis Christi, de Divinitate ejus, & denique de S. S. Trinitate. Quibus fundamentis religionis Christianæ breviter repetitis & variis observationibus illustratis, ad id jam accedit, ob quod cum maxime ille scriptionis labor ei fuerat susceptus. Atque primo quidem difficultates examinat, quas in historia creationis deprehendisse sibi videntur ei, quos impugnandos sibi sumsit. Monet hic ante omnia, stabilita semel revelationis veritate, scrupulos hujusmodi neminem jure ad Pyrrhonismum sollicitare debere. Deum item non Philosophorum vel oblectandis vel instruendis ingeniis, sed salutis avidorum, qui simplices magnam partem sint & indocti, animis informandis historiam illam consignari voluisse. Indeque I. neminem offendere debere colligit divisionem Mosis rerum conditarum in cœlum & terram, quæ similis visa antagonistis divisioni maris in guttara aquæ & oceani, cum vulgares nonnisi conceptus, sensus maxime ferientes, hic sequi voluerit. II. Nec mirum esse, terræ creationem imprimis describi, quæ sensibus usuique nostro maxime sit obnoxia; magnorum corporum cœlestium obiter, & in tantum, in quantum terræ huic ministrant, mentionem fieri. III. Nec illud absolum, quod mane & vespere, dierumque adeo mentio fiat, antequam luminaria cœli condita essent: vel enim spatium tantum temporis intelligi, ei, quod inter Solis ortum & occasum intercedere solet, æquale; vel uti Mosen tantum ista *Φράσεις*, ut realem distinctionem & *διάστημα* inter creationem diversorum operum indicaret; vel denique Mosen ita tantum opus creationis per sex dies distribuisse, ut ad legalem dierum Heptadem aliquam relationem haberet. Difficultates porro succedunt contra œconomiam veteris Testamenti & leges rituum, foedusque unicæ familiæ concessum. Quod inconueniens non videtur Autori propterea, quod Deus creaturam rationalem & liberam male viribus suis naturalibus usam, libertati suæ inde permittere potuerit. Nec inde ullam vel injuriam in ceteros homines redundare, vel aliquid a ratione alienum committi, quod nobilioris finis causa cum Abrahamo & posteris foedus Deus iniverit. Ceremonialem vero cultum Deo non indignum esse, cum ille totum mundum occupaverit, memoriam beneficio-

c. VI.

c. VII. VIII.

P. II. c. I.

c. II.

rum Dei conservaverit, & cum *Spiritu*, h. e. arcano mysteriorum
 c. III. IV. V. Novi Fœderis sensu fuerit conjunctus. De libertate hominis in
 V. sequentibus diligenter agit, putatque pugnam rationis & affectuum
 luculenter probare arbitrii libertatem; sine ea enim affectum,
 semel occupato animo, libere dominio suo fruiturum. Sed nescio
 an attenderit, motui etiam mechanico motum contrarium dari
 posse, vincereque denique alterum, sed non sine alterius nisu in
 contrarium. Sic arbor a vento concussa naturali tamen inclina-
 c. VII. tione contrarias petit partes, motui motu contrario, sine omni
 tamen libertate. Dubii circa origines mali moralis solutio eo redit,
 quod abusus perfectionis maximæ, qualis est libertas, Deum
 jure impedire non potuerit, quo minus creaturam perfectione
 tanta gaudentem conderet. Difficultatibus circa malum physicum,
 afflictionesque hominibus innocentibus, infantibus, ipsis quoque
 brutis animantibus ægre haud raro facientes, itemque circa æter-
 nitatem poenarum, quæ post vitam subeundæ sint, ex communibus
 c. VIII. IX. fere fontibus solutiones petuntur. Inde vero imprimis quæ in
 c. X. favorem Manichæorum a Cl. Bælio prolata fuere, item quæ ad
 c. XI. demonstrandam fidei & rationis pugnam attulit, & de necessitatis
 cum libertate convenientia, nec non de prædestinatione, sub exa-
 men revocantur. Ex illis deligamus controversiam de rationis &
 fidei pugna, ut eo specimine indoles hujus scripti rectius inno-
 scat. Hic itaque primo summum Autor exaggerat periculum do-
 ctrinæ rationem fidei contrariam statuentis, atque adeo naturæ hu-
 manæ fidem amplexuros renunciare cupientis; quod absurdum
 pariter atque impossibile esse ostendit. Inde de omnibus dubi-
 tari nec posse nec debere ostendit: esse enim res, in quibus ratio
 clare & sine metu erroris pronunciet: esse alias, quæ assensum ejus
 suspendant: alias denique, quas certo sese ignorare noverit. Ut
 absolum itaque est præcipiti iudicio ferri, ubi vel dubites vel igno-
 res, ita non minus esse inconveniens Pyrrhonismum sequi in omni-
 bus. Mirum porro esset, & indignum plane, velle Pyrrhoni-
 smum religionis superstruere principiis, atque istis illum stabilire:
 quasi quæ rationi evidentia sint, religio tollat, atque omni in re-
 bus certitudini destruendæ inserviat: cum tamen summa harmo-
 nia sibi invicem religio & ratio respondeant, seque mutuo susti-
 neant.

neant. Primo nempe rationem infervire cognitioni argumentorum, quibus veritas religionis demonstratur, ut disponatur mens humana ad obsequium auctoritati Divinæ præstandum, quod gratia sine ratione nunquam persuadeat. Neque secundo rationem, stabilita Scripturæ auctoritate, penitus cessare: quæ verosimilitudinem difficultatemque rerum revelatarum apprehendat, & cui istud exercitium circa veritatem verosimilitudinemve rerum revelatarum, nec adimat-auctoritas Divina, nec ejus natura adimi patiatur. Tertio aliis etiam in rebus, quæ a ratione unice dependent, id quod semel verum est & evidenter probatum, veritatem suam retinere, licet consequentiarum series ad res incomprehensibiles nos deducat. Sic enim materiæ divisibilitatem in infinitum, rem summæ evidentiae & certissimæ veritatis esse, quamvis concipi non possit, partes arenulæ numero æquare partes totius universi. Quarto perceptionibus nostris attendendum esse, ut gradum certitudinis in iis recte cognoscamus. Unicam vero regulam, ex qua certi de nostris perceptionibus reddamur, esse claritatem earum. Cum vero sæpe pro claris habeamus, quæ clara non sunt, videndum esse, an superficiem tantum rei, an interiora quoque cognoscamus, & an aliquid in iis ignotum tanquam notum supponamus: porro item an illud, quod incertum est in re & ignotum, id, quod certo de ea nobis innotescere videtur, destruat, an minus. Quod si non faciat, relinqui alteri illi suam certitudinem, neque ad Pyrrhonis castra esse fugiendum. Porro dari res ita differentes, ut nihil invicem habeant commune, quas *diversas* dixeris simpliciter, quarumque differentiae causa nulla alia sit, quam quod una non sit altera: sicuti soni v. g. & coloris diversitas aliter explicari non possit. Alias *contrarias* esse & sibi *oppositas* invicem, quarum contrarietatis ratio ex indole earum reddi possit: qua ratione lineæ rectæ curva opposita sit, quod hæc non, sicut illa, a puncto ad punctum per brevissimum, quod interjicitur, spatium procurrat. Denique claritatem idearum nostrarum ex eo cognosci posse, si aliis usu rationis pollentibus explicatæ, eodem ab illis modo, quo a nobis, apprehendantur. Hisce regulis jam putat Autor nos dirigi posse, quousque in dubitando procedere, quando in propositione tantum probabili acquiescere, quando denique certi plane

& convicti esse debeamus. - Quantum vero ad autoritatem infallibilem, sufficere, si clare sensus ejus percipiatur, ut penitus illi obsequamur, cum in eam nec error cadere possit, nec impostura.

Jam istam methodum potioribus capitibus religionis applicandam censet. Certis nempe nobis de sensu verborum Divinitus revelatorum, autoritatem Dei præcipuum persuasionis nostræ esse fundamentum, quæ nullum dubium possit admittere infallibili Spiritus Sancti testimonio nixa. Hoc tamen non impedire, quo minus ratio examinet, cognoscat, explicet veritatem decisionum fidei, non ut si comprehendere non possit, rejiciat, sed ut uniat se cum fide eique se jungat, verum esse experta, quod fides ipsi proponit. At credere clarissimum Bælium, atque in iis quæ de Pyrrhone differuit, & ad defendenda ea postea attulit, tueri, rationem ejusque evidentissima principia in tali examine revelationi semper adversa esse. Quod aliter se habere, inductione facta Autor monstrare conatur.

Primo Deum esse unum solum, colendum, atque fiducia profsequendum, docere Scripturas: ei vero rei rationem contradicere, ne ipsum quidem clarissimum Bælium affirmaturum. Revelationem mundum ex nihilo a Deo conditum nobis sistere: rationem ad assensum præbendum inclinari, tum quod verosimile hoc sit ipsi, tum quod a variis dubiis eam liberet; quorum utrumque fusius demonstratur. Animæ immortalitatem a revelatione adstrui: nec eam rationem destruere, quæ spirituales naturam ex partibus compositam non esse, nec adeo in eas resolvi, Dei vero sapientiæ, ut eam annihilaret, parum conveniens esse, agnoscat. Nec quidquam hic opponi posse, nisi dicamus, spirituales naturam rationem non admittere: id quod dici non posse, paulo fusius Autor probat, ostendendo ipsam rationem sibi non facile persuadere, ut vitam, motum, cogitationem materiæ tribuat, & pro iisdem habeat rem cogitantem & materiam, quæ diversorum generum esse deprehendat, inque iis omne, quod in talibus rebus exigi potest, diversitatis fundamentum, juxta superius dicta animadvertat. Parti morali religionis rationem non contradicere, quin potius hanc clarissime æquitatem præceptorum Divinitus allatorum confirmare.

Ab articulo de Trinitate non destrui rationem, maleque ex eo contra rationem inferri, quod *tria unum sint*: ut enim ista *contradictio in adjecto* ex articulo de S. Trinitate consequatur, necesse esse, ut vox *personæ* in hoc mysterio naturam unam & singularem notet, separatam & distinctam ab omnibus aliis, prout significat quando de creaturis usurpatur. Cum vero id sibi non velit in abstrusissima hac doctrina, dici etiam non posse, quod ex ea sequatur, *tria esse unum*. Mysterium porro incarnationis non destruere essentialem proprietatem corporis animique humani, quæ est componere unam personam, licet humana Christi natura propria, ut loquuntur Theologi, ὑποστάσει destituta, subsistat in ὑποστάσει τῆς Λόγου. Nempe clarissimo Bælio, contradictionem cum evidente rationis principio hic admittenti, solam vocem *personæ* offendiculo fuisse. Quod ut removeatur, observat Autor, quod si corpus fingamus exanime, mechanice tamen motum, omnesque functiones suas obiens; illud quidem *personam* non fore, intellectu quippe destitutum, bene tamen *suppositum*, ut quod ipsum sit *principium*, prout in scholis loquuntur, *activum*. Simili modo si fingamus animam corporis exortem, cogitantem; eam, ut quæ intelligat, *suppositum* fore *personale* sive *personam*, quippe quæ sit principium rationale. En igitur, pergit Autor, *duo supposita*, quæ Deus ita unit, ut *unum suppositum* vel *unam personam* constituent. Quid magis jam rationi adversum in unione hypostatica? Divina natura unitur humanæ, omniumque actionum humanarum & rationalium directionem suscipit, quæ pertinent ad exercitium mediatorii officii; quemadmodum anima humana *diversi suppositi*, corporis nempe, directionem suscipit ita, ut actiones illius voluntati ejus sint obnoxia. Atque adeo eodem jure, quo anima & corpus conjuncta, *unum suppositum* sunt, *una persona* etiam dicentur divina & humana natura, vinculo unionis invicem conjunctæ.

Verum jam satis speciminis. Hoc optandum, ut clarissimus Autor ipso clarissimi Bælii discursus κατὰ πόδα lectoribus suis præsentare, & accurata analysi instituta, quid imbecillitatis ratio eis ostendat, quid speciei ingenium & eloquentia ipsis conciliaverit, ostendisset. Verendum enim, ne lectores sic satis bene instructi a lectione hujus libri sibi visi discedere, ubi in ipsum opus

Bælianum inciderint, lumine ingenii ejus, & quæ pene singularis ipsi est, vi dicendi quasi attoniti, denuo constrictos se sentiant atque impeditos.

Appendicis loco huic opusculo breve *de anima & libertate* subjicitur systema, melius dilucidandis iis, quæ contra adversarium suum in ipso opere differuerat clarissimus Autor, inserviens. In eo primo adstruitur, quod anima se spiritualem esse sentiat, quodque cum iis, quibus aliter videtur, controversia de vocibus tantum sit, ut qui id, quod nos spiritum vocamus, corpus novæ plane atque ignotæ speciei adpellitent. Inde ostenditur, animam cognoscere seipsam atque existentiam suam, atque adeo aliquid a seipsa sine objectorum externorum percipere subsidio. Discrimen porro intellectus & voluntatis & ratio ad corpus explicatur, in quo organorum rectam dispositionem ad exercitium facultatum animæ requiri ostenditur. Animæ per rectam dispositionem corporis obfirmatæ quasdam propositiones occurrere insito suo quasi gaudente lumine; ut oculo occurrunt objecta quædam suum lumen habentia eoque ipsum illustrantia, quæ statim cognoscantur. Aliter se rem habere cum aliis, quæ obscuriores sint, & quibus lumen proinde ab animo quasi sit accendendum. Ad primum genus spectare v. g. omnes consequentias, quæ deducuntur ex conceptu existentia, quales sint, quod non ens agere non possit, quod impossibile sit idem simul esse & non esse, quod numerus binarius sumtus quaternarium conficiat, &c. Propositionum posterioris generis lapidem lydium esse regulam: *quicquid omnibus rite expensis clare & distincte percipitur, illud verum est.* Perceptiones dari posse sine omni corporum intercurfu, falsumque esse, quod nihil sit in intellectu, quod non prius in sensu fuerit. Animam non posse non desiderare, quæ pertinere ad felicitatem suam cognoverit, & averfari contraria, hancque esse voluntatem. Bona a felicitatem spectantia vel corpus respicere, vel animum, eaque sibi invicem subordinata esse ea proportione, quæ intercedit inter dignitatem corporis & animi. Virtutis esse, hanc subordinationem tueri & observare. In volitionibus concurrere cogitationem, quæ repræsentet aliquam propositionem, & imperium ad agendum determinans, in quo sit velle & non velle. In hoc jam esse libertatem

tem ; quæ ut rectius cognoscatur, observandum esse primo, quod cognitio, quam habemus de nobis ipsis, efficiat, ut amor proprius & emolumenta privata ordinarie voluntatem determinant, nihil inde detrimenti accipiente libertate; certe enim in talibus consensum animi absque controversia inveniri. In aliis cognitionem non esse æque claram, in iis cura opus esse & prudentia, quo recte utamur libertate. Controversiam, an libertas consistat in eo, ut faciamus, quod faciendum esse judicamus, an vero consistat in eo, ut faciamus quod volumus facere, de vocibus esse, non de re ipsa. Non autem consistere in indifferentia libertatem; hanc enim, cum rationalis sit homo, non nisi ex profunda posse procedere ignorantia: penitus vero ignorantem, vel plane non agere posse, vel non nisi stolide, actionemque ex mera ignorantia profectam esse nec humanam, nec liberam. Nec tamen etiam libertatem absolvere unice iudicium animæ, quo æquam esse justamque censeat actionis alicujus perpetrationem omissionemve. Si ita enim res se haberet, hominem in perpetuæ vacillationis statu fore, nunc hæc inchoantem actionem, nunc aliam, prout diversam ab objectis acceperit impressionem. Non necessario itaque hominem determinari a rationis iudiciis, sed libere secundum iudicia rationis, secundum quæ se ad actionem determinavit, procedere. Optime denique libertatem ejusque indolem monstrari, ex consideratione actionum quarundam hominis, imperiique animi in corpus. Evidens itaque esse, in rebus, ubi affectus & commodum privatum voluntatem non abripiunt, nos facultatem habere libere in mentem revocandi ideas, ad veritatem aliquam inquirendam pertinentes. Sentire nos eandem libertatem in approbando præjudicio quocunque contra rationis dictamen; libertate enim nisi frueremur, semper rationis dictamen prævalere necesse esse. Eandem nos experiri, ubi inter virtutem vitiumque mediū consistimus, atque vel illam vel hoc sequimur; & magis etiam in actionibus corporis indifferentibus, animi nutum sequentibus, v. g. brachii extensione, oculi occlusionem &c. Quod ipsum ut quomodo fiat explicetur, Autori nec illustri Leibnitii placet hypothesis, nec *causarum occasionalium* systema, sed optime hæc receptam magis in scholis do-

tri-

strinam explicare putat, quæ statuit Deum, qui essentiam existentiamque rebus largitus est, facultates quoque eis concessisse, per quas naturis suis convenienter valeant operari: animamque adeo etiam, ad animandum dirigendumque hoc corpus conditam, potentias quibus id præstare possit, nactam fuisse. Firmatur id aliquot rationibus, nec obstare dicitur, quod modum non assequamur, quo spiritus in corpus operetur: sufficere enim, quod de re constat. Cetera hanc hypothesin pluribus difficultatibus solvendis aptissimam esse, quibus nec illustris Leibnitijs, nec causarum occasionalium patroni se facile possint extricare.

AUGUSTI BUCHNERI ORATIONUM ACADEMICARUM Volumina tria. Quorum primum Panegyricas, secundum Festas, tertium nunc primum editum Literarias continet. Subiuncta est huic Editoris M. JOH. JAC. STÜBELII, Illustris Scholæ Misnensis jam Rectoris, Oratio de Exscensionibus nocturnis Alumnorum Electoralium, & Buchneri Autoris Vita per eundem descripta.

Frankofurti & Lipsiæ, apud Godofredum Leschium, 1705, in 8.

Constant Alphab. 2, & plag. 19.

Quomodo commendatus pridem a nobis fuerit meritissimus de politiore literatura vir, *Augustus Buchnerus*, inspicientibus annum Actorum Eruditorum 1683 p. 147 & seqq. patet; ubi cum recensendum fuerit Volumen II. Orationum, *Festas* continens, a *M. Joh. Jacobo Stübello*, Rectore tum designato Scholæ Annæberg. nunc Rectore constituto Illustris Afranci, ex arrosis fere chartis in lucem productum, hoc tempore occasio suppeditatur, cæteras etiam orationes Autoris illius incomparabilis enarrandi, dum idem Editor Clarissimus partes Orationum ejus tres in unum compegit volumen, in forma librorum octava, juventutis commode emissum. Earum Pars III nunc primum cura ipsius publico data, & dedicatione diserta Ephoris Generosissimis Illustris Afranci Lycei, Domino *Centurio a Miltiz*, & Domino *Joachimo Dieterico Bosen*, inscripta est. Quia vero parte prima comprehensas Panegyricas &

& funebres nondum indicavimus in Actis nostris, non alienum erit, eas nominare, antequam tertia ista inclusas ordine percurramus. Dicta Panegyrica I. est a Gustavo, *Gustavi Adolphi* Suecorum Regis filio, huic ipsi Suecorum Regi, ob partam A. MDCXXXI Lipsiensem victoriam. II. Ob eandem victoriam a Buchnero ipso recitata VII Idus Sept. A. MDCXXXIII. III. Electori Saxonico D. *Job. Georgio* I. dicta, ob ejus adventum A. MDCXLVI. IV. Eidem A. MDCXLIIX, cum climactericum magnum feliciter superasset. V. Eidem, ipsis exequiarum solennibus A. MDCLVII. VI. Ejusdem Viduæ, Dominae *Magdalene Sibyllæ*, ipso exequiarum die, A. MDC LIX. VII. Ad D. *Job. Georgium III*, cum Parentem Serenissimum lugeret, ac novum Principatum auspicaretur. VIII. Ad eundem Electorem, cum a Comitibus Ratisbonensibus rediisset. IX. In excessum *Henrici* Sen. L. Bar. a *Frisen*, Elect. Sax. in sanctiore Senatu Consilarii, cancellorumque ac in Appellat. Curia Præsidis A. MDC LX. X. *Friderico Metschio*, S. Rom. Imp. Thesaurario, & Saxoniae Electori a Consiliis sanctioribus, nec non in Appellationum Curia Præsidi, A. MDC LVI. XI. Memoriae *Pauli Roberi*, SS. Th. D. nec non Ecclesiae Wittebergensis & cæterarum Circuli Elector. Saxonici Superintendentis A. MDC LI. XII. Memoriae *Dan. Sennerti*, Medici A. MDCXXXIX. XIII est Allocutio alterius nomine scripta A. MDCXLIX ad Imperatorem *Ferdinandum III*. Sequuntur has funebres orationes numero XXIX breviores, e quibus potiores tantum referemus, quales sunt I. dicta in funere D. Balthasaris *Meisneri*, II. in fun. D. *Friderici Balduini*, III. in fun. D. *Wolffgangi Franzii*, IV. in fun. D. *Benedicti Carpzovii*, V. in fun. D. *Johannis Strauchii* J. U. P. VI. in fun. D. *Godofredi Reuteri*, VII. in fun. D. *Tob. Mevii*, VIII. in fun. *Joh. Blumii* J. U. D. IX. in fun. *Mauritii Blumii* Med. D. X. in fun. D. *Danielis Sennerti*, XI. in fun. *Ambrosii Rhodii*, Mathes. P. P. Cæteræ pleræque in funeribus studiosorum aut foeminarum adolescentiumque ac puerorum sunt habitæ. Merentur tamen adhuc memorari XXIV, quæ est gratiarum actio dicta post funerationem *Leonh. Hutteri*, Theologi, & XXIX, qui sermo est ad exequiatores post funerationem *Erasmi Unruhii* Jurisconsulti habitus. *Festæ* reperiuntur loco a nobis supra citato. *Tertia Partis*

Orationes *Literarias* vocari placuit, quod pleræque rem literariam spectant. Prima quidem de *Eloquentia* egit, cum Buchnerus Johanni *Avenario* successisset. II. De *Papismo cum Ethnicismo comparato*, cum Rectoratus fasces D. *Franzio* traderet. III. De *Exercitatione Styli*, pronunciata a M. Keimanno. IV. *Ad præcedentem* ipsius Buchneri *responsoria*. V. *Knispelii* Magistri novi de *Catonis Distichis*. VI. De *iisdem* Buchneri. VII. De *Literarum Periodis*. VIII. De *Simplicitatis & Gravitatis vocabulo e Plinii Panegyrico*. IX. Læctioni *Annalium Taciti*, X. Prælectioni *Cornelii Nepotis* præmissa. XI. Est declamationi gemina, qua exponitur, *quid Carolus I Britannia Rex loqui potuerit, lata in se sententia ferali*. XII. Complectitur ea, quæ nobilissimus autor dixit, cum Decani Collegii Philosophici partes sustineret. His subjunxit *Stübelius* editor orationem quandam a se ipso compositam & recitatam, cum adhuc Conrectoris munere in Misnensi schola illustri fungeretur, qua *Exscensiones alumnorum nocturnas* reprehendit.

Totum opus ornatum addita *Augusti Buchneri Vita*, per eundem *uberius descripta*. Cujus recisam & arctatam, ut Priolus historiam suam vocat, epitomen hic dabimus. Nactus est ille Dresdam patriam, ubi natus prid. Kalend. Novembris A. MDXCI e familia nobili & antiqua, rei que militaris ac pyrotechnias peritia valde inclyta. Patre gavissus est *Paulo Buchnero*, Principibus maximis, Sabaudia Ducis, Daniarum Regi, ac Imperatori *Rudolpho II* æstumatissimo, & ab Electoribus Saxonis *Augusto, Christiano I & II* tormentariae rei ac fabricis præesse jussu, ab Imperatore *Rudolpho* vero torque ac diplomate scutoque condecorato, sibi posterisque servando: matre *Maria Cræsia* Consulis *Dresdensis* filia. In schola *Dresdensi*, ubi pueritia ejus formata, *Kunadus* dicit in *Programmate funebri*, eum inter medios Teutonas Græcum, inter *Dresdenses Romanum* apparuisse; ac *Schubartus* auctor est, jam tum eum in literarum osores & stultitiam eorum carmine lusisse. In *Portensis* vero ad *Salam* seminarii convictu, cui *Idibus Novembris* A. MDCIV adscriptus est, fulgor emicuit clarior, æqualibus cunctis in Latina Græcaque lingua præipientis palmam. Triennio hic acto, Patre orbatus est: sed alterum permanfit, demum A. MDCX in *Wittebergensem* Academiam missus; in cujus al-

um relatus est XIII Cal. Decembris, Pro-Rectore tum D. Leonh. Hut-
 tero, ac Rectore Duce Saxonico *Augusto*, Electoris Joh. Geor-
 gii I fratre. Cumque hanc ipsi aream nobiliorem ac palæstram
 assignaverit providentia Divina, in qua se probaret orbi, factum
 est, ut illico Jo. *Rhodenburgio* Antwerpiano successor in arte ac
 professione poetica suffectus fuerit, A. MDCXVI, virtute ac do-
 ctrina ipsius jam satis spectata: quo tempore quoque primus inter
 46 competitores lauream philosophicam accepit. Initio se Jurispru-
 dentiaë studiis mancipare decreverat: sed haud multo post, dulcedi-
 ne semel gustata Musarum mansuetiorum, & famæ nominis in-
 de capiendæ, mutavit consilium suum, & illis pro virili se appli-
 cuit firmiter. Per totos autem XL annos spartam Professoris Poe-
 seos ornavit, diciturque in Epitaphio suo humaniorum literarum
 summus vindex ac stator. Et a *Kunado* verissime affirmatur,
 ab *Augusto* isto augustissima literas bonas accepisse ornamenta.
 A *Stübelio*, *Malagonellio* illi Oratori Romano celebri longe præ-
 fertur, genere dicendi casto & æquabili, & instar limpidissimi a-
 mnis profluente, quo parem nesciverit. Nec tamen hic dissimulat, scri-
 bendo meliorem habitum quam dicendo, ubi timidior fuerit, nec
 expeditus omnino, unde proverbium etiam tunc frequentatum,
 esse Oratorem *Saxoni* loquendi non gnarum. Quod tamen lau-
 di ejus nil derogat. Quod oris volubilitati decessit, studiosa pen-
 savit & sollicita compositione, qua periodos omnes dimensus est
 artificii calamo. Vidisse se ille dicit unius ejusdemque orationis ali-
 quot exempla, ejusdem ipsius manu exarata, varieque hinc inde
 interpolata, & aliis aliisque coloribus expolita. Neque omittit id
 ei proprium ac singulare, quod, cum concinnanda fuit vel oratio
 quædam, vel epistola, vel alia scriptio, non roset unguis, ut vul-
 gus meditantium solet, sed icones argute pinxit in chartæ margi-
 ne. Industriæ illius & eruditionis præmia recenset, famam cele-
 brem, etiam apud exteros, laudes amplissimas ac dignitates spe-
 ctabiles. Præter Professionem Poeticam Oratoria ei etiam colla-
 ta fuit A. MDCXXXI, Joh. *Avenario* vivis exempto. A. MDCXVII,
 demandata jam ei erat Ephoria Electoralium alumnorum, quam
 per annos XXXIII obiit. Senior Collegio Philosophico uno præ-
 fuit anno diutius. Academia totius Senior A. M DC XLIX etiam

per XII annos hoc tenuit decus. Fasces Academiae ter, Decanum munus octies sine exemplo gessit. Optime vero de Academia, illi adhuc obligata, meritus est, non modo doctrinis, sed etiam consiliis publico salutaribus, & gravioribus in comitiis, & apud ipsum Patriae Patrem, negotiis curatis, cum ejus etiam opera multi facti fuerint idonei aulicis ministeriis cum gloria & ex utilitate communi obeundis. Nunquam in cassum abiire spes, ubi manum ille admovit, ac vix unquam nisi laetus nuntius reversus est, cum ablegatus ad orandam Academiae causam ivisset, quam periculosissimo tempore conservavit, suada illa & gratia sua, qua valebat apud Magnates. Pingitur ubique decorus torque aurea, cui appensa Electoris *Job. Georgii II* effigies adamantibus enitescens. Enumerantur virtutes ejus plurimae, sapientia, prudentia, humanitate temperata incredibili gravitas, candor eximius, pacis & concordiae amor, modestia, avaritiae fuga, cum nec lucrum privatis scholis quaesiverit, neminem cogendum ratus ut gratum se praestare vellet, comitas, sobrietas ac frugalis vita. Pietas ejus in primis praedicatur, etiam in carminibus sacris pangendis exhibita, & comprobata delectatione ac laetitia sancta, quam ex odis Davidis, quas Psalmos vulgo dicimus, petiit, & exquisitiore studio, quo sacra coluit publica, praeceteris auditus cantu Deum celebrans. Quo collimavit potissimum symbolum ab eo electum: *unum est necessarium*. Hoc excellentiae ipsius argumentum certum, quod poesin cum oratoria facultate nexu rarissimo copulavit. Quae laus ipsius Ciceronis & Virgilii non est. Nec in Latina tantum sed etiam Germanica Poesi excolenda, cum *Opitio* amico suo strenuum se ostendit, Dactylici praecipue carminis inventionem ad usum. Quare in Societatem sic dictam frugiferam allectus, & cognominatus fuit *Der Genossene*. Sicut & Germanica ejus, quae videre lucem, Poemata referuntur; nec silentur quotquot ejus prodire scripta, nominatis iis etiam, cum quibus amicitia ei intercessit, & qui eum ad se pertrahere voluerunt, inter quos primo loco Potentissimus Rex Suecorum & Gothorum *Gustavus Adolphus* reponitur, qui eum ad varias professiones in Academia sua Upsalienti clementissime invitavit. Id quoque non tacetur, quod Elector Saxoniae praeficere ipsum Illustri Portensi ludo cogitarit, licet

Collegis aliter visum fuerit. Significatur juxta, cum de suscipiendo Gymnasii Hamburgensis Rectōratu cum eo actum fuerit, amorem patriæ ac Academiæ Wittebergensis obtinuisse, ut maneret. Tum fortunæ ipsius rationes exponuntur, quæ non beatissima quidem, nec tenuissima tamen fuerit. Matrimonium inuit faustum cum virgine pudicissima Elisabetha, *Jacobi Crusii* Jurisconsulti filia, cum qua vixit feliciter 45 fere annos, & e qua filias quinque & sex filios procreavit, undecies pater factus, quamvis duo tantum filii, Martis castra secuti, totidemque filiæ superstites vixerint. Filius natus major *Christianus Augustus* apud Electorem Saxonicum rei tormentariæ & fabricarum præfectus fuit supremus. Gnatarum natus maxima Elisabetha conjugem sortita est D. *Hen. Coselium*, Pandect. P. P. & Curia Elect. Scabinatus & Fac. Jurid. Assessorem. Alteram Dorotheam duxit uxorem *Otho Prætorius* foceri optimi successor non indignus. Reliquum fuit, ut de valetudine his aliquid adjiceretur, annis prioribus jam non robustissima, servata tamen ultra naturæ leges, inter morbos, quibus tentata est, usibus publicis, Divino beneficio, usque ad annum ætatis septuagesimum, quo podagræ doloribus & calculi valde vexatus ac denique fractus, A. M DC LX d. XII Februarii exspiravit placide. Quam columnæ primariæ illius Academiæ prolapsionem orbis literarius lamentationibus justis prosequutus est. Exequiæ XI Cal. Martii paratæ. Concio funebris ab *Abrahamo Calovio*, parentatio ab *Ægidio Strauchio* habita. Corporis exuviæ in æde sacra, quæ arci contigua est, compositæ: ubi monumentum erectum visitur. Monetur denique, rariora manuscripta *Buchneri* reperiri apud *Samuelem Cnauthium* Wittebergæ, quorum partem etiam *Stübelius* & *Hübnerus* tenent, tempore suo evulgandam.

RAYMUNDI VIEUSSENS, DOCTORIS MEDICI
Monspeliensis, Regiæ Societatis Londinensis Socii,
Novum Vasorum Corporis Humani Systema.

Amstelodami, apud Paulum Marret, 1705. in 12. pl. 20.

Cum *Nobilissimus Autor*, cujus nomen aliquoties in nostris
 inclaruit Actis, in præsentis opusculo cum primis secretiorum

& excretoriorum corporis ductuum originem demonstrare con-
 stituerit, haud præpostere videbimur agere, si prius innuamus,
 quinam canaliculi secretoriorum & excretoriorum nomine ab *Au-*
tore insigniantur, & qualis utrorumque notetur discrepantia, quam
 tubulos recenseamus, qui conformationem *Uteri*, *Cotyledonum*,
Mammarum, *Vasorum sanguiferorum*, *Lienis*, *Hepatis*, *Renum*,
Pancreatis, variarumque *Capitis* partium, ingredi observentur.
 P. 90. Etenim ductus, excrementitios solummodo succos ex arterioso san-
 guine secernentes, musculorum videlicet & membranarum lymphati-
 ci, secretorii; humores vero excrementitios segregantes, more spon-
 gioso-urinosorum renum ac biliferorum hepatis tubulorum excre-
 torii appellantur: qui autem ductus nunc excrementitiorum, nunc
 excrementitiorum humorum secretioni vacant, uti vasa vesiculoso-
 lymphatica uteri; partim pro secretoriis, partim pro excretoriis ven-
 ditantur. 92. Ultriusque tamen generis canalium dum alii immediate,
 alii mediate succos secernendos aut excernendos ex arteriis depro-
 munt, illi primarii, hi secundarii cognominantur: sicque membra-
 narum vasa lymphatica & adiposa pro secretoriis primariis, atque
 ii tubuli, qui spongiosam uteri substantiam contexentes ex pro-
 pria illius membrana nascuntur, pro secretoriis secundariis habentur;
 prout renum ductus urinosi excretoriis primariis, & biliferi
 ductus internæ folliculi fellis superficiei appensi, excretoriis secun-
 dariis annumerantur. 93. Secretoriorum demum vasorum alia imme-
 diate, alia mediate, succos ex arterioso sanguine secretos in venas
 exonerare pariter atque excretoriorum ductuum alii immediate,
 94. alii mediate, humores excrementitios ex interioribus corporis eli-
 minare, indigitantur; vasis lymphatico-nerveis & adiposo-ner-
 veis titulum a nervulis mutuantibus iis, qui cum lymphaticis &
 95. adiposis vasis strictissime coalescunt eorumque cavitatibus inhiant.
 In hoc interim vasa lymphatica *Autoris* a *Bartholinianis* discernun-
 tur, quod priora ex arteriis emergant, & in venas partim, par-
 tim in spongiosam alicujus partis substantiam, desinant, posteriora
 vero ex venis orientur, numerosa v. g. lymphatica uteri muliebris
 98. ex venis membranæ propriæ, atque nunc in receptaculum lumbare,
 nunc in ductum thoracicum, nunc in venas alias terminen-
 tur. Sed ad partes ipsas deveniendum, quas ex tubulis ejusmodi

contextus, post præviam earundem in aqua coctionem vel mace-
 rationem, nec non exsiccationem, microscopii subsidio specialius
 Noſter annotat, initium ab *Utero*, cum humano, tum ovillo, fa-
 ciens, quod filius, Medicinæ Doctör, primam ipsi subministrasset
 ansam in utero mulieris, ex abortu denatæ, eorum vasorum vesi-
 culoso-lymphaticorum, quæ sub interna membranula porosa re-
 ticularem plexum efformant, principium in arteriis finemque in
 venis detegendi. Circa generaliore uteri virginei atque ovilli
 gravidi, in superficie itidem permultis lymphaticis *Bartholinianis*
 stipati, structuram ratione membranarum advertit, utrumque ute-
 rum ex tribus membranis, communi una & duabus propriis, coale-
 scere, quarum communis a peritonæo oriunda innumeris lymphaticis
 ac paucioribus sanguiferis interspersis, propriarum vero prima
 innumeris ductibus sanguiferis ac indefinitis lymphaticis, partim
 ab arteriis, partim a communi membrana prodeuntibus ac fibras
 musculosas mentientibus, præsertim in gravidis, quando eorum
 nonnulli ob nimiam ostiolorum aperturam tenuissimas simul
 sanguinis particulas admittunt, evidenter constat. Quoad
 specialiore vero texturam, uterum muliebrem ab ovillo
 distinguentem, in illo duabus membranis propriis spongiosam
 notat interjacere substantiam, intra poros suos irregulariter
 dispositos succum dictorum lymphaticorum recipientem, atque ex
 parte ad venas, ex parte ad uteri cavum, intervenientibus finibus
 subrotundis ac porosis deponentem: quæ, etsi vasorum retiformium
 præ se fert speciem, ob tunicarum tamen defectum vix verorum
 ductuum nomine insigniri mereatur, per quam vero apta, ut in
 gravidis succum simul lacteum a nonnullis vasculis dilatatis reci-
 piat, ad glanduloso-vesiculosam placentam uterinam transferen-
 dum, in non-gravidis autem singulis mensibus fæces transcolatæ
 lymphæ colligat, quæ successive aciescendo, incallescendo atque
 fermentescendo, sanguinis, per venas compressas remeare impe-
 diti, secretionem & excretionem menstruam per lymphatica
 expansa spongiosamque uteri substantiam sine ulla vasorum ruptione
 producant. E diverso in ovillo utero primam membranam pro-
 priam cum secunda partim immediate, partim intermediis cohæ-
 rere cotyledonibus, pocula quodammodo æmulantibus, quales aquæ
 fri-

p. 2.

7. 15.

16.

8.

9.

13.

14.

- p. 20. frigidæ immerſi hanc mox lacteam reddant, per triduum vero in ea macerati explicatis ſuis vasis lymphatico - nerveis, per innumeras propagines tenuiſſimas invicem communicantibus, exiguum aſpergillum, ſeu potius omnino evolutum acaciæ florem referant, ductibus ejuſmodi lymphatico - nerveis ex arteriis proficiſcentibus ac in venas deſinentibus, abſque eo, ut propagines emittant, utero ovillo æque ac muliebri inhiantes. Membranarum hinc foetus ovilli ſtructuram arctumque cum cotyledinibus & vena umbilicali nexum inveſtigaturus, ubi chorion & amnion duas membranas ſtriſtiſſime unitas, e vasis ſanguiferis & lactiferis contextas ad laticem, cui foetus innatat, ab hujus cutis tubulis lymphatico - nerveis recipientes & continentes, allantoidem vero ſero urinoſo turgidam ac e lymphaticis & ſanguiferis vasis conflata, monſtravit, prolixam ad primas vias inſtituit digreſſionem, ut cum viam ad renes breviffimam & latiffimam, quam acidulæ, ſpirituoſa, aliaque aſſumpta cito emetiantur, tum ventriculum primum ſimul alimentorum liquidorum eſſe colatorium, patefaciat. Viam ſcilicet iſtam, primum per ventriculi lymphatico - nervea vaſa, ex arteriis ortum ac in venis terminum obtinentia, venas gaſtricas & gaſtro - epiploicas, deinde per ſimiles inteſtinorum tenuium ductus lymphatico - nerveos, venas meſaraicas, innumeros venæ portæ ramos, ſuperiorem inferioris trunci venæ cavæ partem, dextrum cordis ſinum, arteriam & venam pulmonarem, ſiniſtram cordis cavitatem, ſuperiorem trunci inferioris aortæ partem & arterias emulgentes, haberi indigitat. Per tubulos autem ventriculi lymphatico - nerveos, æque ac inteſtinorum, aliquid liquidi ad venas tranſcolari, adjumento eſſentiæ croci, ventriculo poſt internam ſuperficiem aqua frigida deterſam infuſæ, atque intra bihorium non modo ſtomachi parietes, ſed & vaſa ſanguifera tam ventriculi quam omenti cum ductibus hujus adipolis, flavo colore inficientis, comprobatur, ſimulque obſervationibus eorum confirmatur, qui vitam aliquamdiu protraxerunt, etiamſi in cadaveribus ipſorum diſſectis omnis via, vel a ventriculo ad duodenum per præternaturalem pancreatis magnitudinem ac indurationem, vel ab inteſtinis ad vaſa lactea per horum defectum atque meſenterium gypſeum, penitus apparuerit intercepta. Eſſentia tamen croci quia pariter e-
- 22.
- 25.
- 30.
- 37.
- 40.
- 34.

ventriculi, semoto omento, inversi ac suspensi fundo sensibilibiter
 stillare soleat, aliquid pinguedinis quoque per omenti ductus adi-
 posos ad ventriculum deferri, adeoque fermentum ventriculi, ali-
 mentis coquendis dicatum, e miscella succi hujus adiposi, spiritu
 quodam acido volatili saturati, spiritus animalis nitrosi aeris par-
 ticulis imprægnati, atque laticis lymphatici, resultare colligit. Sed
 ad chorion rediens, modo hujus cum cotyledonibus uteri conne-
 xionem ope exiguorum corporum glanduloso-vasculosorum sub-
 rubrorum, tanquam totidem placentularum, mera vascula sangui-
 fera pluraque lymphatica involventium; modo cohæsiõnem
 membranarum foetus & placentæ uterinæ cum utero interceden-
 tibus atque coalescentibus lymphaticis, ita fieri tradit, ut in pro-
 ductione & accretione foetus ovilli atque humani, fusius explana-
 ta, non sanguis, sed succus lacteus a cotyledonibus per placentu-
 las & ab utero per placentam uterinam ad venam umbilicalem
 foetumque transcolari ac propagari intelligatur. Quemadmodum
 vero *mammis* insignis cum utero intercedit consensus, ita illarum
 porro similem cum hujus declarat conformationem, utpote ex
 membrana propria & substantia glanduloso-vesiculosa non aliter
 compositam, quam quod vasa sanguifera & lymphatico-nervea,
 ab arteriis enata & ad venas partim, partim ad substantiam vesi-
 culosam abeuntia, membranam compingant, textus autem spon-
 giosus laticem lymphaticum partim mediate, dictorum lymphati-
 corum medio, partim immediate ex arterioso sanguine derivet, ac
 per tubulos lactiferos ad papillas dispenset. Majorem solummo-
 do albedinem spongiosi mammarum corporis majori firmitati va-
 sorum lymphatico-nerveorum deberi, nonnisi lympham tenuio-
 rem atque a facibus depuratam admittentium, cum uteri lym-
 phatico-nervea molliora crassiorem faculentioemque lympham
 recipiant, sicque texturæ vesiculosæ cineritium inducant colorem.
 Quo luculentior nihilominus lymphatico-nerveorum vasculorum
 in utero, mammis, aliisque partibus exortus ex arteriis reddatur,
 in progressu tam in genere *vasorum sanguiferorum* exteriores &
 interiores glandulas vesiculosas, i. e. vesiculas pellucas, e tubu-
 lis diversi generis simul intextis resultantes, observationibus, expe-
 rimentis & rationibus demonstrare, quam in specie *aorta ac ve-*

p.32.

41.

44. 52. 54.

59. & seqq.

63.

73.

75. *ne cave* singulas tunicas una cum secretionis modo extricare annititur. Ex iis, quæ in cadavere alicujus a rupta pulmonum vomica mortui observavit, evidentissimus contextus glandularum vesiculosarum nimis dilatatarum in pericardii membranis propriis propriaque cordis & auricularum illius membrana, extrema demum superficie omnium vasorum cordis, una cum pericardii & cordis tubulis lymphatico - nerveis, nobis haud silendus videtur. Aortam vero, non minus atque arteriam pulmonalem, in quatuor dirimens tunicas, primam earum nerveam ex implicatione diversigenis vasorum, alteram vasculosam ex vasculis rubris, subflavis sive sanguiferis, ac cineritiis seu lymphaticis constructam, utramque vasculo - vesicularem, respectu vesiculosarum glandularum a vasorum diversis flexibus concinnatarum, tertiam spongiosam fluidum succum in poris suis irregularibus continentem ac radicem omnium ductuum constituentem, quartam denique interiorem fat validam, licet pia meninge tenuiorem, poris innumeris propter varios succos ex arterioso sanguine continuo secernendos instructam, pluribus explanat. Ne manca tamen ista tunicarum videatur evolutio, propagines nervorum prosequitur, quæ interiorum arteriarum texturam a primo sui ortu ad extremos usque fines subeant, statimque in exiguissimos abeant tubulos membranaceos, cum tenuissimis spongiosæ arteriarum tunicæ ductibus secretoriis coalescentes & una cum ipsis membranas constituentes, quatenus corporis membranæ non solum lymphaticis, vel adiposis vel lymphaticis & adiposis simul, sed & nerveis ductibus consistens spiritum animale in secretorios canales, pro liquorum fluiditate atque vi augenda, exonerantibus. Ne autem circa ductuum adiposorum ex arteriis originem dubium relinquatur, præterquam quod pinguedinem consideret, tanquam ramosas sanguinis arteriosi partes, tum ad omentum, quod in musæo siccum asservat, ductuum adiposorum perspicua foramina immediatumque ex arteriorum ortum ac finem in venis apertissime sistens, tum ad croci essentiam, a sinistro cordis ventriculo intra viginti quatuor horas ad truncum magnæ arteriæ truncum, binas arterias coronarias & superstratam ipsis pinguedinem penetrantem, hæcque cuncta colore croceo perfecte tingentem, provocat. Quemadmodum vascula lymphatica
- 82.
- 88.
- 83.
- 87.
- 91.
- 99.
- 108.
- 103.

phatica, quæ in membranis vesicularum succo crystallino gravidarum contextum repræsentent, dilatata nimis ipsum sanguinem recipere, exemplo portionis intestini coli inflammatae dat demonstratum. Eum præterea, qui hæsitat, num arteriæ capillares variis suis inflexionibus vesiculosa quadantenus vascula referant, tandemque in venas desinant, adeoque arteriæ & venæ continuos canales constituent, jubet intueri *lienem* humanum, post aliqualem membranæ communis a propria in parte convexa separationem, per mensem in aqua maceratum, certoque pollicetur, deprehensurum illum esse, viscus hoc non solummodo mirandum vasorum haberi plexum duplici membrana obvolutum, sed minores quoque ejusmodi plexus arteriosas propagines in venas minores abire, tenuissimis forsan nonnullis exceptis, quas ductuum lymphaticorum vires supplere, ac in venas terminari suspicatur, quod indefinita ejusmodi vascula tam in membrana communi splenis suilli, quam intra texturam interiorem ejus aliquamdiu in aqua macerati, propter crassiorem sanguinem copiosiori lymphâ diluendum, nudis oculis detexerit. Ad venas progrediens, in venæ cavæ ramis tunicas, ab arteriis mutuatas & minori vasculorum apparatu instructas, describit tres: communem ac mediam e vasis diversi generis varie intertextis conflatas, atque interiorem spongiosam, indefinitis foraminibus, partim sensibilibus sive ostiis ductuum venosorum, partim insensibilibus, seu spiraculis lymphaticorum & adiposorum tubulorum, pertusam. Venæ portæ ac venæ cavæ per totum *hepar* distributionem exhibet talem, qua innumeræ utriusque propagines in membranaceas cellulas ovales abeant, inque his pro hepatis glandulis diversimode convolvantur, per veramque anastomosis invicem jungantur. Quoties enim jecur suillum in tenues lamellas dividatur, atque hæ in frigida macerentur, toties utramque earum lamellarum superficiem cellulis membranosis instructam, interiori autem cujusque cellulae superficiei speciem quandam musci cinereo-ruffi, non nisi extremos fines propaginum venæ portæ eum capillaribus cavæ immediate unitos comprehendentis, ad nutum conspici. Circa venam denique pulmonarem non aliud addit, quam quod illa pro pulmonaris arteriæ sobole jamjam a *Malpighio* fuerit habita; quoniam po-

p. 110.

113.

114.

115.

116.

117.

119.

120.

121.

tiorem curam gerit rationem patefaciendi, qua omnium arteriarum conicarum parietes a sanguine e sinibus cordis propulso per totum sui tractum ab invicem diducantur, simulque a vasculorum ex spongiosa illarum tunica nascentium ostiis una dilatatis sive sensibilibus, sive insensibilibus, magnitudine, figura & situ discrepantibus, nunc sanguis, nunc alius succus proportionatus admittatur, totque humores diversi vi dictorum vasculorum elastica mox, dilatatione arteriarum cessante, ad venas pariter, atque secretorios & excretorios tubulos propellantur: quave virium celerissima fiat jactura, si v. g. in febribus malignis motus cordis ad brevissimum etiam tempus intermittat. Ast tædiosum Lectori haud dubie foret, si in iis ulterius commemorandis, quæ *Autor* de renibus, ductibus biliferis, pancreate, tandemque de pia crassaque meningē, cinerea cerebri substantia, quarto spinalis medullæ involucro, vasis sanguiferis cerebrum irrigantibus, glandula pineali, valvula cerebri majore, infundibulo & glandula pituitaria, fusius edocet, quibusque propria errata in *Neurographia* quoad ultimas partes commissa candide corrigit, tantæ insistere vellemus prolixitati: e omnibus proinde solam sufficiet *renum* structuram percurrere, e duabus membranis ac duplici substantia coagmentatam. Exterior renum membrana adiposa ductus, quos obtinet adiposos, immediate ex arteriis fertur adsciscere, atque exilissimas eorum productiones ad renum venas extimas per membranam propriam æque spargere ac propria membrana, nervulis, multis vasculis sanguiferis & indefinitis lymphaticis constans, tenerrima lymphatica filamentorum specie ad easdem venas demittat. Exterior vero renum substantia, glandulosa adhuc reputata, omnis vasculosa, i. e. ex arteriis, venis atque innumeris ductuum adiposorum & lymphaticorum utriusque membranæ productionibus coagmentata, non minus adstruitur, atque interior eorum compages ex triplici tubulorum genere, arteriis puta, venis & ductibus urinariis deducitur. Arteriarum videlicet emulgentium ramos cum nervis unitos, emissis propaginibus arteriosis & subalbis filamentis ad utramque membranam, modo versus renum pelvim tendendo sub hac alias atque alias e lateribus suis exiguissimas propagines, in exilissimas venas ubique socias abeuntes totamque pelvi subjacentem glandulosam substantiam constituentem exer

p. 123.

143.

144.

146.

148.

149.

155.

159.

161.




FIG. III.






FIG. I.

$$d(xy) = xdy + ydx [+dxdy]$$

$$- ABCD + AEFG = CDGH + BCIE [+CHFI]$$



exerere, & quidem tot, quot membranaceæ sint fistulæ, ex elongato pelvis margine conflatae; modo cum venis versus extimam renum substantiam excurrente in plures facessere arcus majores, minores alios intra & extra se comprehendentes, ac interiorum renum compagem in duo veluti hemisphæria dividentes, a quorum antica & concava parte ad interiorum, a convexa vero & postica parte ad exteriorum renum substantiam indefiniti furculi, venulis ubique stipati, propagentur. Ex antica pariter & concava arteriosorum arcuum parte, ut & ex antica facie vasculosorum plexuum renalium atque ex arteriis concomitantibus spongiosos ductus urinarios, urinam transcolantes & in nonnullis animalibus unum corpus cinereo-albo-spongiosum, in aliis plures carunculas sive papillas concinnantes, primam nancisci originem, ratione, experimentis ac observationibus, uberius evincitur. Antequam tamen explicatione Figuræ finiamus transcriptæ, qua in rene vervecino, secundum longitudinem a parte convexa ad pelvim usque secto, arcus omnes arteriosi una cum membranaceis suis fulcimentis interiorque facies vasculosorum plexuum renalium, exempta substantia vasculo-spongiosa, repræsentantur, *Experientissimo Autori* de Systemate hoc vasorum corporis humani non possumus non applaudere, eatenus omnino novo, quatenus ante eum vasorum *Bartholinianorum* lymphaticorum principium a venis, cunctorum vero reliquorum tubulorum secretoriorum & excretoriorum exitum præcise ab arteriarum tunica spongiosa, & nonnullorum finem in venis, nondum, quantum novimus, asseruit ullus, etiam si arteriarum cum venis continuationem *Svammerdammius*, *Leuwenhæckius*, *Craanius*, *Listerius* aliique, aut saltem conjunctionem intercedentibus vesiculis *Mayow*, immediatamque simpliciorum organorum fecernentium ex arteriis originem *Nuckius*, *Ruy-schius*, *Cowperus*, &c. jamjam divulgaverint.

162.

163.

171.

175.

198.

Explicatio Figuræ I Renem vervecinum exhibentis.

TAB. X.
Fig. I.

A A A A Extima, seu glandulosa renis vervecini substantia.

B Arcus arteriosi minimi paulo super majores arcus constituti.

M m m 3

C. Ar-

- C Arteriæ venas comites habentes, quæ e superna & postica arcuum arteriosorum majorum facie nascuntur, & extremæ renis substantiæ convexam illius partem occupanti efformandæ impenduntur.
- D Arcus arteriosi majores.
- E Ea vasculosorum plexuum renalium pars, quæ arcubus majoribus & minoribus arteriosis circumscribitur.
- F Arcus minores arteriosi.
- G Hæc vasculosorum plexuum renalium pars, quæ a margine pelvis ad minores usque arteriosos arcus protenditur.
- H Cavitas pelvis.
- I Membranaceæ fistulæ e margine pelvis elongato conflatae, seu membranacea arcuum arteriosorum fulcimenta, quorum parietes tenuissimi evadunt, dum in arcus arteriosos & venosos abeunt.
- K Ostium ureteris.
- XX Propagines arteriosæ ex arcubus arteriosis majoribus emergentes.

DE AURE HUMANA TRACTATUS, IN QUO integra ejusdem Auris Fabrica, multis novis Inventis, & Iconismis illustrata, describitur; omniumque ejus Partium usus indagantur. Quibus interposita est Musculorum Uvulae atque Pharyngis nova Descriptio & Delineatio, Auctore ANTONIO MARIA VALSALVA, Imolensi, Philosophiæ & Medicinæ Doctore, in Bononiensi Universitate ad Incisionem & Ostrationem Anatomicam Professore conducto, nec non Nosocomii Incurabilium Chirurgo.

Bononiæ, typis Constantini Pisarii A. 1705. in 4. Constat i. Alphabet. & Figurarum Tab. X.

Præfat.

Quamvis dexterrimum nostrum Anatomicum ii haud laterent, qui majorem in Auribus humanis scrutandis & delineandis posuerunt industriam, inter quos *Celeberrimum Dominum du Verney* cum primis extollit; quia valde nihilominus dubitaret, an tale organum, cujus partes exiguæ durissimo inclusæ habentur ossi, cujusque

vul

vulgatæ historiæ nec inter se, nec cum aure ipsa, in multis conveniunt, adhuc penitus perlustratum esset, proprias vires in admirando ejusmodi sensorio studiosius investigando experiri voluit, ut quæ in eodem aut illustrari, aut augeri, aut etiam inveniri labore & diligentia possent, in lucem protraheret. Neque indefessam *accuratissimi Autoris* sedulitatem, tantæ spei innixam, felicibus successibus caruisse, præsens tractatus, nitidissimis atque curiosissimis figuris ornatus, eo apertius loquitur, quo evidentius, cum circa *Auris humane structuram, tribus cavitatibus, exteriori videlicet sive auricula & meatu auditorio, media seu tympano, & interiori sive labyrintho* constantem, tum circa omnium ejus partium usus, plura nova sistit detecta, quæ vel sola cum Benevolo Lectore nunc imus communicatum. Ut ab *auricula vero & meatu auditorio* faciamus initium, varia hic, ab aliis neglecta, innuenda veniunt, *glandulæ nempe cutis sebaceæ, cartilaginis quidam processus, glandulæ tragi, auriculæ musculus anterior, musculi tragi & antitragi, novum auriculæ ligamentum, verum auditorii meatus incessum observandi ratio, glandularum meatus auditorii corpus reticulare, auriculæ & meatus auditorii rami venosi a peculiari vena occipitali oriundi, nonnulla basis cranii foramina, certior nervum in odontalgia adurendi locus, atque in parotide humana lymphatica seu conglobata glandula.* Cutis auriculæ glandulæ salutantur sebaceæ, quod humorem fecernant sebo similem, naturaliter post sui exsiccationem in furfureas abeuntem particulas, quales glandulæ in spina pariter & alis nasi, aliisque faciei partibus, potissimum sub palpebris, nec non in capillata capitis parte, atque circa collum & scapulas reperiantur. Præter notas auriculæ eminentias ac foveas, a cartilagine efformari solitas, exiguus & acutus in parte hujus anteriori, ubi helix immediate supra principium meatus auditorii concham claudit, ostenditur processus. Prout eæ parvæ glandulæ tragi vocantur, quæ ciceris exilis magnitudine super cartilagine ad tragum versus finem collocantur, cum glandulis lymphaticis inguinalibus & axillaribus convenientes, cum parotide autem non confundendæ. Externis auriculæ musculis quatuor, uni superiori & tribus posterioribus a *Casserio* inventis, quintus anterior adjungitur, a temporalis musculi membrana im-

C. I.

p. 3.

4.

5.

7.

me-

- mediate supra exortum processus zygomatici ab osse temporum enatus, &, antequam auriculam attingat, in duas divisus partes, quarum altera in partem anteriorem superioris conchæ cavitatis, altera vero paulo superius in partem anteriorem cavitatis scaphæ infigatur. Duobus autem auriculæ musculis internis, utrumque extremum intra illam obtinentibus, ac in capitibus potissimum macilentorum conspicuis, nomina a trago & antitrago ita imponuntur, ut musculus tragi, ambitu fere circulari circumscriptus, fibris carneis externam tragi faciem occupare, musculus vero antitragi basin ad posteriorem antitragi partem habere, & pyramidis in forma assurgentem in conchæ marginem, ubi antihelix definit, inferi perhibeatur; quibus musculis in auricula fibræ carneæ, a gibbo conchæ circa ejusdem dimidium recedentes & in anthelicem transversim extensæ non minus associantur, atque fibræ aliquando carneæ musculis externis a quadrato colli ad inferiorem auriculæ partem soleant accrescere. Auricula cum osse temporum non solum per musculos exteriores, sed & per nexus membranaceos, imprimis per ligamentum, cohærere asseritur, quod acutum illum processum in auriculæ cartilagine indicatum, itemque superiorem cartilagini meatus auditorii partem, cum temporali osse ibi colliget, ubi ab hoc zygomaticus processus erumpit.
9. Quo meatus auditorii, a coarctatione conchæ incipientis & usque ad tympani membranam per os temporum progredientis, tota cavitas cylindro quidem elliptico comparata, sed satis tortuosa atque serpentina exacte cognoscatur, cera vel alio liquato corpore jubetur repleri.
10. Membrana adiposa ad meatus auditorii solummodo medietatem dicitur elongari, statimque ab ingressu in fibras carneas abire reticulari ordine dispositas atque suis areis glandulas ceruminis, a *Domino du Verney* primum descriptas, fulciantes, cum e diverso auriculæ cutis eundem meatum investiat totum suaque expansione membranacea, in quam circa medium ejus gracilescit, ipsius membranæ tympani exteriorem faciem constituat.
12. Dum arteriæ ac venæ exteriores traduntur, mentio fit nonnullorum ramorum venosorum, qui sanguinem non in venam jugularem, sed singularem prorsus reducant, ex eo occipitalem appellandam, quod plures ramos alios ab occipitis partibus
14. acci-

accipiat, utrinque alias post mammillarem processum per novum foramen cranium subintrans, atque sanguinem in sinus laterales exonerans. Qui funiculus nerveus pone auriculam superiora capitis petit, & in odontalgia omnium certissime aduri potest, si ignitum ferramentum quatuor digitos longum tergo tragi, & quidem per transversum auriculæ applicetur, non tam a portione parisi septimi dura, quam ab eo potius nervo statuitur proficisci, qui inter primam & secundam colli vertebram emergit, atque deorsum primum vergens mox sursum reflectitur. Ex glandulis tragi similique majuscula, in parotide etiam humana sub auriculæ lobo multoties deprehensa, auriculæ pariter ac meatui auditorio vasa esse lymphatica, quamvis a nemine hucusque visa, haud frustra conjicitur. Sed *tympani* cavitationem ingrediamur, atque in hac *membrane tympani compositionem ex duabus laminis, modum processus mallei minoris muscolum a Casserio inventum detegendi, demonstrationem ejus membrane mobilis, cujus interventu basis stapedis cum fenestra ovali connectitur, foramina tympani cum cavitate cranii communicantia, nec non tube Eustachiane muscolum, tanquam nova, una cum nova muscolum uvula & pharyngis descriptione, perlustremus.* Tympani membranam, elliptica peripheria stipatam similisque figuræ (nisi quod ex una parte interrumpitur) osseo annulo stricte inclusam, ex duræ meningis partim, partim cutis meatus auditorii, expansione membranacea coalescere, sicque notabili robore pollere, in humano declaratur foetu. Antequam Autori de *Experientissimi nostri Rivini* hiatu membranæ tympani ex *Munnicks* libro de Re Anatomica constitit, circa interruptam annuli ossei partem indagando, aliquando ab eodem exiguum quoddam & sincerum foramen in tympani membranæ circumferentia, ubi mallei processus minor illam aliquantum versus meatum auditorium elevat, observatum fuisse exponitur, in quale tamen postmodum, cum soli setæ porcinae immisioni minus fideret, frustra sæpius inquisiverit, licet in statu præternaturali fluidorum a tympano ad meatum auditorium transitus variis observationibus confirmetur, simulque in ulcerum auris medela balsami Peruviani instillati usus certissimus commendetur. Ex tribus mallei musculis, hujus processibus, majori, minori

p. 16

C. 2.

18.

19.

20.

21.

25.

& minimo implantatis, ille præcipue, qui in minorem mallei pro-
 cessum definit, in lacertosis atque violenta morte defunctis inve-
 stigari atque tunc oculis usurpari promittitur, si, cavitate tympani
 aperta, incus a malleo separetur, & tympani membrana blande
 e vicinia removeatur, in quantum ille paucis constans fibris totus
 sub incudis corpore meatuque auditorio condatur. Stapedis ba-
 sin ellipticam, nullis pertusam foraminulis, fenestræ ovali, quam
 exacte claudit, per tenuem membranam, circa stapedis capitulum
 paulo firmiorem, ita cohærescere, ut sursum deorsumve, si opus,
 per eandem fenestram possit moveri, ex singulari surditatis specie,
 ab induratione hujus membranæ ossea dependente, satis evincitur.
 Relictis tamen quatuor officulis perioftio, non vero sanguiferis va-
 sis destitutis, ac in infantibus magis densitate minori quam magni-
 tudine ab adultorum discrepantibus, foramina potius commemo-
 remus, quæ viam sanguini aut ichori a cranii cavitate ad aurem
 concedunt, atque circa superiora in illo sinuositatis mastoideæ pa-
 riete occurrunt, quo ipsa a cranii cavitate distinguitur & sub quo
 malleus cum incude articulatur, etiamsi aliquando super ipsam
 quoque tympani cavitatem, nunc duo eorum, nunc tria, nunc
 saltem unum reperiantur, specillum plerumque ac liquorem per
 tubam Eustachianam in cavum cranii injectum admittentia. Ta-
 lia siquidem, quæ per aures soleant excerni, subinde revera a ca-
 vitate cranii promanare, observationibus diversis adstruitur; sicuti
 ortus humoris, quo tympanum irrigatur, vel a membrana, qua
 investitur, vel interstitiis, cranium & duram matrem interjacen-
 tibus, reputatur. Canali a tympani cavitate supra palati extrema
 dimisso, & ab inventore tuba Eustachiana vocando, muscu-
 lus attribuitur, qui & hanc tubam, & foraminum nasi interno-
 rum extremitatem dilatet, quatenus fibræ carneæ ex latere ante-
 riori tubæ Eustachianæ, a parte ejusdem membranacea, nec non
 a contiguo extremo margine partis cartilagineæ per totum illud
 spatium, quod inter tubæ finem ejusque osseam partem interpo-
 nitur, deprehendantur progredi, atque, postquam oblique descen-
 dendo tendinem efformarunt, per inferiorem partem internæ alæ
 processus pterygoidis excurrere, donec rursus circa inferiorem
 marginem foraminum nasi internorum diffundantur atque in ho-
 rum

um membrana terminentur. Quoniam vero tubæ isti cum musculis uvulæ & hisce cum pharyngis musculis continuas intercedit, ususque tubæ Eustachianæ absque certis uvulæ motibus præstari nequit, tanto magis historia musculorum uvulæ & pharyngis subnectitur, quanto longius etiam vulgares eorundem descriptiones & iconismi a vero abesse videantur. Uvulæ quippe tria musculorum ostenduntur paria: quorum primum, aptius salpingo-staphylinum, quam pterygo-staphylinum internum, appellandum, ab inferiori tubæ Eustachianæ parte ossea emergat, hincque ab inferiori membranacea parte ejusdem tubæ oblique ad uvulæ basin descendat, ibique cum fibris comparis muscoli quasi continuetur; secundum vero par glosso-staphylinum a lateribus linguæ in parte ejusdem inferiori paucis fibris erumpat iisque reliquantum restrictis ad latera versus uvulæ medium infigatur; tertium denique pharyngo-staphylinum amplam originem ab inferiori pharyngis habeat parte, ubi in œsophagum incipiat restringi, & per anteriorem pharyngis partem lateralem assurgens, cum ad ipsius superiora pervenit, fibras suas instar arcus inflectat, sub tonsillis protensus atque parti inferiori & laterali uvulæ connexus. Pharyngis autem, veluti superioris œsophagi partis, membrana glandulosa, musculis ac tribus orificiis instructæ, quinque musculorum paria cum uno impari exhibentur, suisque nominibus insigniuntur. Primum par, quod vulgo cephalo-pharyngæum audit, idem innuitur, quod pharyngo-staphylinum jam nominatum fuit, staphylo-pharyngæum etiam salutandum, quia pharyngem non minus ac uvulam valeat movere. Alterum par, glosso-pharyngæum potius, quam sphæno-pharyngæum vocatur, quod a lateribus linguæ in parte hujus inferiori confusam cum musculo glosso-staphylyno sortiatur originem, hinc per superiorem pharyngis partem circulari quasi incessu ita pergens, ut fibræ unius muscoli cum fibris alterius, interposita tamen lineola veluti tendinosa, concurrant. Quæ admodum tertii paris stylo-pharyngæi principium in processu styliformi, atque finis in lateribus pharyngis jamjam constant, ita quartum par, omnino novum, hyo-pharyngæi titulo designatur, quod duplicem in osse hyoide obtineat insertionem, longiorem nimirum in appendicibus cartilagineis, breviorẽ vero

P. 43.

47.

48.

49.

- in processibus ejus cornutis, a quibus terminis fibræ aliquantulum oblique recedentes versus superiora pharyngis inclinent, & in hujus medium lata expansione desinant, cum oppositis rectam ibi lineam tendinosam componentes. A musculorum hujus paris violenta distensione peculiarem luxationis speciem inferri posse, notabili exemplo confirmatur. Quintum par thyro-pharyngæum nuncupatur, quia ab utroque latere thyroidis, per totam hujus altitudinem duas acutas productiones formando recedat, & suis fibris oblique ascendendo in partem posteriorem pharyngis ad ejus medium in rectam lineam tendinosam more antecedentis desinat, in quantum Casserius pharyngæum vulgo dictum ex duobus musculis compositum jamjam annotarit. Ultimus, qui restat musculus, crico-pharyngæus denominatur, ad sphincteris naturam magis accedens, dum fibræ ejus, sub inferiori paris thyro-pharyngæi productione ab eadem cum ista cricoidis parte recedente, transverse tendunt atque œsophagi principium cingunt.
- Tandem, ut auris conformationem absolvamus, indigitanda supersunt: *cavitas orbicularis ante canalium semicircularium majoris orificium proprium, canalium semicircularium proportiones, scala tympani & vestibuli differentia, quinque vestibuli foramina nervos transmittentia, tresque canalium semicircularium zona sonora*; ceu quæ in interiori auris cavitate sive *labyrintho*, vestibulum canales semicirculares, & cochleam involvente, fuerunt observata.
- Canalium semicircularium, cavitate elliptica, interdum cylindrica præditorum, major qui audit, altero orificio cum canali semicirculari minori gaudet communi, canalem quasi communem constituyente, altero autem proprio in orbicularem quandam cavitationem dilatatur, cum canalium semicircularium minimus per duo orificia, alterum latius, alterum angustius, videatur communicare.
- Quam proportionem autem tres isti canales semicirculares inter se observent, in multis quidem subjectis magna cura fuit indagatum; quia vero in diversis diversa apparuit, talisque etiam in Tabula peculiari adumbratur, exactam eorundem longitudinum proportionem vix determinari posse, merito colligitur. Dum cochlea per septum aliquod, partim durius, partim mollius sive zonam cochleæ, in duas dirimitur scalas, harum ea, quæ per fenestram

rotundam tympanum respicit, scala tympani, quæ autem vestibulum spectat, scala vestibuli salutatur, atque intuitu non solum situs, sed & capacitatis, figuræ & superficiei, utramque inter insignem haberi discrepantiam animadvertitur, in quantum scala tympani cavitatem latiore & irregulari figura donatam, asperamque superficiem, scala vero vestibuli cavitatem minorem & ellipticam atque superficiem levem, obtineat. Altera nervi acustici mollioris portio, quæ in sinuositates versus vestibulum excavatas sese insinuat, non per tria, sed quinque foramina eam vestibuli partem, quæ canalibus semicircularibus opponitur, supra orificium scalæ vestibuli traditur ingredi, atque totidem furculis in tenuissimam membranam uniri, modo in vestibulo medio suspensam, modo præsertim in auribus non recentibus propter exsiccationem, fornici ejus adnexam; a qua tamen vestibuli membrana aliæ membranæ ad tres canales semicirculares per horum quinque ostia distribuuntur, zonæ sonoræ appellandæ, quod strictioris teniolæ sive parvæ zonæ figuram referant, ac potissimum motibus sonoris excipiendis inserviant. Altera vero ejusdem nervi mollioris portio, sinuositatem versus cochleæ centrum excavatum intrans, per minima foramina cochleam dicitur subire, ibique partem septi membranaceam sive zonam cochleæ constituere. Neque vasa sanguifera, & fortassis etiam lymphatica, cum nervis versus labyrinthum a cerebro delabi ambigitur, cum in oculo bovis ad multos dies in aqua macerato, per nervum opticum non solummodo vasa sanguifera, sed & lymphatica insignia, apparuerint diffusa. Atque tot novis in tribus auris humanæ cavitatibus lustratis, progredi demum convenit ad ea, quæ circa cunctarum partium descriptarum usus singularia videntur. Quoniam scilicet motus sonori ab auricula validius repelli debent, ideo illa auriculæ pars, quam idem motus jamjam subituri contingunt, nempe concha, circumquaque dispositis musculis, in tonico perpetuo motu persistentibus, ex unaquaque ejus parte firmari putatur. De glandulis sebaceis, si per omnem fere cutem adessent, in universum ambigitur, annon quibusdam tumoribus cysticis, præsertim steatomati, originem præbeant, quod partim materia in steatomatis folliculo contenta, similis omnino illi sit, quæ in talibus glandulis reperitur,

p. 69.

72.

76.

77.

At. P. 2. C. 4.

84.

- tur, partim in nulla alia parte æque frequenter, ac in palpebris,
 p. 87. ejusmodi tumores observandi & secandi veniant. A cartilaginis in-
 cifuris, in meatus auditorii principio occurrentibus, sonoros mo-
 tus egregie corroborari, exemplo talis polyphonicæ declaratur
 tubæ, quæ ex pluribus conglutinatis chartarum stratis formata vo-
 ces tunc præ aliis intendit, quando interna strata hic illic laxato
 glutine, ab invicem paulo discedunt, vel studio etiam inter strata
 91. illa intercapedines relinquuntur. Circa venam occipitalem propo-
 nitur problema: cur Natura, quem sanguinem deorsum in jugula-
 rem venam expeditius demittere potuisset, pertusa peculiari fora-
 mine calvaria, intra hanc compellere in lateralem sinum ma-
 C. 5. luerit? In soni per quatuor ossiculorum motum mechanicum ab
 94. auditorio meatu ad labyrinthum propagatione ossicula ista prove-
 ctibus venditantur, ita sibi invicem adaptatis sive unitis suaque
 hypomochlia habentibus, ut manubrio mallei versus tympani ca-
 vitationem plus minus repulso, mox basis quoque stapedis sursum
 plus minus per ovalem fenestram moveatur, & illo versus mea-
 tum auditorium recedente, hæc itidem eodem momento versus
 98. tympanum relabatur. Hinc a stapedis musculo altiore hujus
 basis per fenestram cum membranæ ruptura ascensum non tan-
 tummodo impediri, sed & impulsorum ossiculorum restitutionem
 promoveri, aut saltem præcaveri, ne in validiori eorundem resti-
 tutione tenuis stapedis cum reliquis ossibus commissura dissolva-
 tur. Membranam tympani ruptam haud difficulter in integrum
 101. restitui posse, variis comprobatur observationibus; a sono
 autem omnino commoveri, exactiori scrutinio aliarum tympani
 106. partium in eundem usum conspirantium confirmatur. Per fora-
 mina in tympano detecta, fluida morbosa a cavitate cranii modo
 ad meatum auditorium, modo ad oris cavum, modo ad nares ex-
 112. pelli, itemque per eadem aerem externum in duram matrem im-
 mediate agere, atque odoramenta in affectibus apoplecticis insi-
 116. gnem virtutem exerere posse, uberius docetur; quemadmodum,
 si tuba Eustachiana claudatur, auditum illico amitti, observationi-
 bus demonstratur. Uvula cum musculis pharyngo-staphylinis &
 121. salpingo-staphylinis, aliquando ad exquisite audiendum eatenus
 usum præstare posse statuitur, quatenus orificium pharyngis, quod

erfus nares aperitur, a dictis musculis uvulam versus medium
 ujus orificii simul trahentibus obturetur, obturatumque minorem
 eris quantitatem transmittat. Et auditum a muscutorum salpin-
 o-staphylinorum erosione omnino graviolem reddi, per expe-
 entiam omni dubio liberatur. Tandem sonori motus, interve-
 iente membranæ tympani atque ossiculorum motu ad labyrinthi
 estibulum delati, eo ordine canales semicirculares atque cochleam
 ercurrere fusius indigitantur, ut ab eisdem intra vestibulum labyrin-
 hi commune canalis majoris & minoris orificium, nec non canalis
 minimi orificium augustius, utpote fenestræ ovali e directo opposita,
 rimum ingressis, hinc per tres canales ac tria reliqua orificia ad vesti-
 ulum, demumque ad scalam vestibuli in cochlea reflexis, potissimum
 res canalium zonas, zonamque cochleæ, latitudine & longitudine
 ropter diversorum tonorum perceptionem distinctas, tanquam
 rimarium auditus organum, affici distinctius constet. De cætero
 pem *industrius Autor* facit, se posthac, si otii peritique artificis copia
 appetat, naturalem hanc auris humanæ anatomen artificiali, du-
 lum desiderata, esse illustraturum. Ex Figurarum autem ele-
 rantissimarum Tabulis decem, Indici antepositis, eas inprimis
 ranscribere visum fuit, quæ Tabulam V, VI & X constituentes,
 ovæ muscutorum uvulæ & laryngis descriptioni lucem præ-
 erunt, omnesque auris partes, auditui maxime inservientes simul
 nctas, atque proprio situ & magnitudine exprimunt.

TAB. X. Fig. 2.

Uvulam exprimit, secundum partem anteriorem, cum suis muscu-
 lis juxta novam descriptionem delineatis.

A. Uvula.

BB. Musculi salpingo-staphylini.

CC. Musculi glosso-staphylini.

DD. Musculi pharyngo-staphylini.

e. Tonsillæ.

Figur. 3.

Pharyngem exhibet, secundum partem anteriorem, cum suis omni-
 bus juxta descriptionem datam orificiis & musculis; exceptis mu-
 sculis glosso-staphylinis, in præcedenti Figura lit. CC. sufficien-
 ter depictis.

FF. Mu-

p. 122.

C. 6.

126.

136.

140.

144.

TAB. X.

Fig. II.

Fig. III.

FF. Musculi salpingo-staphylini.

G. Uvula sua membrana, nec non parte glandulosa, denudata, ut appareant fibræ musculares in eandem se inferentes. Eadem vero uvula sursum aliquantum tracta, ut orificium pharyngis ad nares aliquatenus in conspectum veniat.

HH. Musculi pharyngo-staphylini, sive mavis staphylopharyngæi; a quorum dextro membrana investiens sublata est, ut fibrarum ejus * * integer processus manifestetur.

II Musculi glosso-pharyngæi: quorum progressus, ut ex toto appareret, pars superior membranæ pharyngis ablata fuit.

KK. Orificium ad nares.

LL. Musculi stylo-pharyngæi.

MMMM. Musculi hyo-pharyngæi.

NNNNnn. Musculi thyro-pharyngæi.

OO. Musculus crico-pharyngæus.

P. Oesophagi principium.

QQ. Orificium ad os.

rrrrrr. Glandulæ hic illic in pharyngis cavitate conspicuæ.

S. Orificium pharyngis ad oesophagum.

T A B. X.

Fig. IV.

Figur. 4.

Pharyngem sistit, omnesque ejus musculos secundum partem posteriorem.

AA. Musculi salpingo-staphylini.

BB. Glosso-pharyngæi.

CC. Glosso-staphylini.

* Uvula sua membrana, nec non parte glandulosa denudata; eademque sursum aliquantum retracta, ut orificium ad nares conspicatur.

DD. Orificium pharyngis ad nares.

22. Musculi pharyngo-staphylini.

EE. Stylo-pharyngæi.

FFFF. Hyo-pharyngæi.

GGGGgg. Thyro-pharyngæi.

HH. Crico-pharyngæus.

33. Linea tendinosa, quam concurrentes musculi glosso-pharyngæi, hyo-pharyngæi, thyro-pharyngæi componunt.

I. Oesophagus.

Fig. 5

Fig. 5.

Aurem exprimit ab anteriori parte, sive qua finem spectat, aliquantum tamen versus occiput inclinatum, ut distinctius quatuor ossicula in conspectum veniant.

- a. Extremitas aquæductus Fallopiiani, a qua auditorii nervorum paris portio dura erumpit.
- b. Portio ossea ex parte sinuositatis mastoideæ, illa nempe, cui alligatur processus brevior incudis, ideo relicta, ut de ejusdem incudis hypomochlio melius constet.
- c. Musculus minimi processus mallei. Musculus vero processus minoris huic oppositus observari non potest, quia totus sub incude & meatu auditorio reconditur.
- d. Musculus processus majoris, qui per totam tubæ Eustachianæ longitudinem extenditur, a canali suo osseo liberatus.
- e. Cartilaginis tubæ Eustachianæ anterioris latus, in quod præcedentis musculi fibræ carneæ inseruntur.
- ff. Musculus novus tubæ Eustachianæ.
- g. Musculus stapedis, liberatus a canali suo osseo.
1. Canalis semicircularis major.
2. Canalis semicircularis minor.
3. Canalis semicircularis minimus.
4. Vestibulum, in cujus secundum hanc partem inspecti fornice duo tantummodo foramina occurrunt ex quinque illis, quæ nerveos furculos in ejusdem cavitatem transmittunt. Tria, quæ supersunt foramina, in sequenti Figura sub oculos cadunt.
5. Canalis cochleæ.
6. Nervorum auditoriorum portio mollis, unam sui partem versus cochleam demittens, alteram vero, quæ in furculos quinque dividitur, in vestibulum protendens: ex quibus furculis duo abscissi, ne duo illa, per quæ ipsi ingrediebantur, modo indicata foramina obtegerent.

Fig. 6.

Aurem delineat, visam a parte posteriori, sive qua occiput spectat, eousque tamen versus anteriora inclinatum, ut fenestra rotunda, membrana tympani, & ex parte etiam ossicula in conspectum veniant.

- a. Aquæductus Fallopianus.
- b. Tubæ Eustachianæ principium.
- c. Cartilaginis ejusdem tubæ posterius latus.
- d. Tubæ finis.
1. Canalis semicircularis major.
2. Canalis semicircularis minor.
3. Canalis semicircularis minimus.
4. Vestibulum, in cujus, ab hac parte inspecti, fornice primo exigua tria foramina in conspectum veniunt ex quinque illis, quæ nerveos furculos in vestibulum transmittunt. Deinde sub iis foraminibus, aliud majus foramen occurrit: & hoc est fenestra rotunda.
5. Cochleæ canalis, intra cujus gyros relicta est sinuositas illa minimis foraminibus pertusa, ex qua ea pars portionis mollis, quæ cochleæ prospicit, eandem cochleam per indicata foramina ingreditur: quæ porro majoris perspicuitatis gratia paulo majuscula, quam naturaliter sunt, ostenduntur. Cætera ex præcedentis Figuræ explicatione perspicua sunt.

Fig. 7.

Exponit membranam vestibuli, item cochleæ & canalium semicircularium zonas, molli nervorum auditoriorum portioni annexas, magnitudine naturali & in eodem situ, in quo conspicerentur, si tota ista labyrinthi superficie, quæ in præcedenti Figura exhibetur, sublata, ipse labyrinthus aperiretur.

TRAITISE OF FLUXIONS, OR AN INTRODUCTION to Mathematical and Mechanical Philosophy, useful for those, that would apply Mathematicks to Nature, by Charles Hayes. Gent.

h. e.

TRACTATUS DE FLUXIONIBUS, SIVE INTRODUCTIO ad Philosophiam Mathematicam & Mechanicam, in eorum gratiam conscripta, qui Mathesin rebus naturalibus applicare cupiunt. Autore CAROLO HAYES.

Londini apud E. Midwinter, etc. 1704. fol.

Constat plagulis 315.

Autor Nobilissimus & in novo calculo infinitesimali probe ver-
fatus, quantitates, quæ partem quantitatis finitæ infini-
tesimam constituunt, seu differentias infinitesimales sive inassigna-
biles, cum nonnullis vocat Fluxiones, ad imitationem receptæ phra-
seos, qua ex fluxu puncti dicimus fieri lineam; quanquam id
revera nihil aliud significet, quam motu puncti lineam describi.
Voluit autem hanc doctrinam exponere post *Illustrissimum Mar-*
chionem Hospitalium, cujus præmaturum obitum adhuc lugemus, et si
in modis loquendi & notandi nonnihil ab eo recedat. Alia tamen
nonnulla alterius generis utilitatis causa adjungit, & in præmio
doctrinam Conicam compendiose proponit ex opere nuper edito
Clarissimi Milnes de Conicis Sectionibus.

Sect. 1 Naturam quantitatum infinitesimalium exponit.

Sect. 2 Algorithmum hujus calculi tradit, ab *Illustri Leibnitio* in
Actis nostris anni 1684 mense Octobri primum propositum, &
simul ostendit in multiplicationis Algorithmo, quomodo duorum
rectangulorum xy & $(x)(y)$ seu ABCD & AEFG differentia sit
 $x dy + y dx$. Quod adjectis litterarum notationibus ad ejus figu-

ram hoc modo designare visum est in fig. VIII, ubi AB est x , AD y
AE est (x) seu $x + dx$, AG est (y) seu $y + dy$ & ABCD est xy , & AEFG
est $(x)(y)$ & GDCH est $x dy$, & EBCI est $y dx$. Unde patet, inter

T A B. X.
Fig. VIII.

ABCD & AEFG differentiam esse GDCH & EBCI una cum
CIFH, seu $dx dy$, sed quod habetur pro nullo. *Sect. 3* agit de
modo per calculum ducendi Tangentes, incipiens a circulo, pa-
raboloidibus & hyperboloidibus: de ellipsis quoque & focus
tractat: calculum etiam Tangentium ex Curvarum æquationibus
ducere docet: deinde ad Curvas non Analyticas procedit. Non-
nulla etiam exempla exhibet pro methodo Tangentium inversa,
ubi ex valore Subtangens non difficulter reditur ad æquationem,
in qua nulla alia est indeterminata, quam abscissa & ordinata. *Sect. 4*

est de areis curvilinearum superficierum, quas, ubi opus, seriebus
infinitis exhibet. Agit & de Logarithmicæ, Cycloidis, Cissoïdis
& talium areis. *Sect. 5* de Maximis & Minimis, quam rem illu-
strat exemplo Dioptrico de facillima via radiorum lucis, & quæ
convenit cum linea brevissimi descensus, de quibus in his Actis.

Sect. 6 de punctis flexus contrarii & regressus in Curvis. *Sect. 7*

de solidorum dimensionibus & speciatim de iis, quæ rotatione generantur. *Seçt. 8* de curvarum in rectum extensionibus & evolutionibus. *Seçt. 9* de lineis, quæ concursu reflexarum formantur. *Seçt. 10* de iis, quæ formantur concursu refractarum; quas lineas quidam catacausticas & diacausticas vocant. Ubi & de focus vitrorum sphericorum succedaneorum. *Seçt. 11* de centrīs gravitatis linearum, superficierum & corporum. *Seçt. 12* de centrīs percussionis. *Seçt. 13* de centrīs oscillationis & de pendulis isochronis. *Seçt. 14* de infinitesimalium usu in Astronomia. Hic motus Planetarum in ellipsis explicantur, nec tantum *Newtoni* calculus exponitur per lineas trajectorias, sed & *Leibnitii* per circulationem harmonicam & paracentricas impressiones, ex Tentamine ejus de motuum coelestium causis his Actis inserto. *Seçt. 15* de tangentibus curvarum & differentialibus quantitatum exponentialium: cujus calculi fundamenta, ut multa alia hujus operis, ex his Actis transfumuntur, & subinde utiliter illustrantur.

*EPISTOLARUM B. PAULI APOSTOLI TRIPLEX
Expositio. Autore R. P. BERNARDINO A PICONIO,
Minorita Capucino, S. Theologiæ emerito Profes-
sore & antiquo provinciæ Pari-
siensis Definitore.*

Parisius, apud Jo. Anisson, 1703. in fol. Alph. 9.

Scriptorum Paulinorum egregia captus præstantia operis præsentis Autor, Senex venerandus, die eadem ac nocte meditari per longum satis temporis spatium studiose perrexit, & post exactam cujusque capitis discussionem, imo & post plerorumque versuum & verborum saltem obscuriorum explicationem in *Commentario* factam, brevem capitis instituit *Analysin*, in qua velut in speculo exhibetur statim ordo & connexio textus Apostolici, cui denique *paraphrasin* quandam superaddidit, quæ mentem illius fideliter exponeret. Singula autem hæc privatos primum in usus consignavit, nunc vero aliis etiam inservire meditationum suarum publica hac evulgatione laboravit, in qua tamen *Analysin* & *Paraphrasin*, utut natu utraque posterior sit, *Commentario* jure ante-

teposuit. In *Analysi* capitis cujusque habetur in suas partes resolutio, quæ tamen ordinem & connexionem simpliciter declarat. In *Paraphrasi* texenda sedulo cavit, ne plura diceret, quam cogitaverit Apostolus, indeque mentem cujusvis textus breviter & clare aperuit ipsiusmet Apostoli verbis, aut saltem æquivalentibus, paucis aliquando tantum additis, quæ ad plenioram intelligentiam visa fuere necessaria. In *Commentario* id egit, ne tricis Grammaticalibus aut quæstionibus mere curiosis animus distractus exsiccaretur. Istitis ergo sepositis, earum loco observationes ubique pias, morales & asceticas expositioni admiscuit. Triplicis hujus operæ dilucidationem hanc subministrat. *Analysin* designare ait in charta quasi Geographica provincias, urbes & oppida, per quæ iter faciendum sit; *Paraphrasin* easdem provincias, urbes & oppida in semetipsis exhibere notat, verum adhuc quoque summam quasi & in globo; at *Commentarium* uniuscujusque urbis templa, palatia, aliaque visu digna quæcunque sigillatim repræsentare innuit. In Prologo, Paulinis Epistolis omnibus generatim præmisso, de earum agit ordine, quem juxta Tillemontii mentem ita concipit, ut primam omnium priorem ad Thessalonicenses, ultimam vero posteriorem ad Timotheum constituat. Sed & singulis seorsim Epistolis peculiare addidit præfationes, in quibus de earum occasione, scopo, summaria idea aliisque ejuscemodi disseruit. Ex his autem ut vel unicum huc afferamus, notatu haud censemus indignum, quod anceps Auctor hæreat, dicendumne cum Theophylacto, quod Epistola ad Hebræos scripta quidem a Divo Paulo fuerit Hebraice, sed ab Interprete perito post in Græcam linguam traducta, sive Lucas ille, sive forsan alius censendus sit? an affirmandum cum Origene, quod cogitata quidem Pauli sint, dictio vero alicujus ex illius discipulis, qui ipsius scribam & interpretem una se gesserit? Quæ in *Commentario* occurrunt notæ atque observationes, paulo breviores sunt, & a recepta passim, Scriptores ad minimum inter Pontificios, interpretandi ratione vix unquam maximopere discrepant.

DESCRIPTIO VETERIS NOVÆQUE ROMÆ.

Amstelodami, apud Franc. Halma, & Lugduni Batavorum
apud Petrum van der Aa, 1704. in fol.

Constat decem fere alphabethis, & figurarum ænearum justis pla-
gulis circiter 90, præter minores quam plurimas ipsi
textui insertas.

Splendidissimum hoc opus, etsi Batavorum præcipue usibus de-
stinatum, dignissimum tamen est, quod ad notitiam omnium,
qui bonas literas & elegantius effictas imagines in deliciis ha-
bent, perveniat. Postquam nimirum magnum illud Thesauri An-
tiquitatum Romanarum Græviani opus Bibliopolæ celeberrimi in-
lucem edidissent, magno inter alia figurarum æri faberrime inci-
sarum numero ornatum illustratumque, ut ex sumtibus eam in-
rem factis fructus etiam aliquis ad nationalium suorum eos, qui
vel Latine nesciunt, vel Thesaurum ipsum comparare non pote-
rant, redundaret, id ceperunt consilii, ut Thesauri velut epito-
men quandam, seu breviorum Romæ descriptionem adornandam
curarent, sed iisdem figuris, & si quæ obviæ forent, aliis instru-
dam. Hæc agitantibus commodum in manus incidit Doctissimi
Viri *Francisci Deseine*, gente Parisiensis, sed qui fortunarum se-
dem Romæ constituit, *Descriptio Urbis Romæ*, quam hic Gallico
sermone in usum peregrinantium composuerat, Lugduni in Gal-
liis A. 1690 edita, & a nobis in Actis hisce Tomo II Supplemento-
rum Sectione VII p. 345 reconlita. Eam itaque instituto suo maxime
idoneam, ex Gallico sermone in Belgicum transfundi curarunt,
integram, cumque nossent, *Basilii Kenneti Antiquitates Romanas*,
Anglice antehac in usum Ducis Glocæstræ p. m. editas, in pretio
esse apud Eruditos, a Viro Clarissimo *Wilhelmo Sewel*, quem con-
stat Bibliothecam Orbis Eruditi (*De Boekzaal der geleerde Wer-
relt*) Belgico idiomate hoc tempore adornare, facile impetrarunt,
ut illas ex Anglico in Belgicum itidem sermonem traduceret. Ita
ex duobus illis scriptis nata nostris *Roma hæc Vetus & Nova*, tot
ico-

conismis exornata, quæ non potuit non, Belgis imprimis, longe esse gratissima. Unum est, quod addamus, Romæ Veteri *Picturas* quoque *Antiquas Sepulchri Nasoniorum*, a Petro Santi-Bartoli delineatas & a J. P. Bellorio illustratas, Romæque primum Italice A. 1680 editas, quas Latine a Ludolpho Neocoro conversas Tomo quoque XII Theauri Græviani inseruerant Editores, nunc Belgico sermone operi huic adjectas esse.

Algemeene Weereld-Beschryving &c.

Hoc est:

GEOGRAPHIA UNIVERSALIS AB A. PHER. DE LA CROIX Gallice primum conscripta, nunc vero in Belgicum sermonem translata a S. DE VRIES.

Amstelodami, apud Fr. Halma, 1705. in 4.

Constat Alph. 10, Plag. 13, Figuris æneis 100.

ET hunc librum Batavorum itidem usui præcipue dicatum, nobis indicare hic paucissimis suffecerit. De prima editione Geographiæ hujus Gallica, in Actis nostris A. 1693, p. 114 seq. diximus, additis etiam animadversionibus nonnullis. Secundæ Germanicæ, in hanc nempe linguam ab Hieronymo Dicelio nostro conversæ & hic illic auctæ, A. 1698, p. 169 meminimus. Tertia hæc Belgica est, quam Simoni de Vries, Viro multis nominibus de nationalibus suis bene merito debemus, qui non solum opus hoc amplificavit magis emendavitque, sed & celeberrimi Sansonis chartas Geographicas & præcipuarum urbium delineationes elegantes adjecit.

SPECIMEN LITHOGRAPHIÆ HELVETICÆ CURIOSÆ, QUO

Lapides ex Figuratis Helveticis selectissimi aeri incisi sistuntur &

describuntur a JOHANNE JACOBO SCHEUCH-

ZERO Med. D.

Tiguri typis Davidis Gesneri, 1702. in 8. Constat plag. 5. & fig. Tab. VII.

Quanta sit solertia Clariss. Authori, scientiam Physicam in altius evehendi fastigium, testatur abunde, quam ante paucos annos publici juris fecit, Physica Germanico idiomate conscripta. Helveticam in specie Historiam naturalem penitus ut pertexat, interdium atque noctu operam navat non exilem. Cujus testimonium præsens præbet fragmentum, ex quo de ingenti Fossilium figuratorum in Helvetia reperiendorum numero judicare quis facile potest. Historicum potius quam

quam Physicum agit in hoc Specimine Vir Clar. ab examine hypothesium & propriarum cogitationum de origine id genus mirandorum propalatione abstinens. Communicabit tamen easdem, majori observationum supellectile si fuerit instructus, in ampliori opere, cui collectanea inde ab aliquot annis se parasse, in præfamine enuntiat. Pro quo conatu suscipiendo & absolvendo ut Deus vires & sanitatem largiatur, omnes boni nobiscum exoptant. In præfenti Fossilia figurata maxime rara & curiosa nominasse sufficiat. Qualia sunt Concha fossilis tellinoides porosa & levis p. 21; Astacopodium binis articulis invicem junctis constans p. 27; Rajæ cauda fossilis p. 29; Lentæ lapideæ striatæ, utrinque convexæ, vitreis figura similes, in massa lapidea vario sub schemate conspicuæ p. 30; Cranioides, p. 45; Conchula fossilis echinata p. 49; Conchites ab uno cardinis latere brevissimus, ab altero longissime excurrens, striatus p. 54; auris marina fossilis, p. 58; Ceratoides articulatus striis transversis undatus, & ornamentis foliaceis insignitus p. 59; Echinometræ digitus fossilis stellulis undique exornatus p. 63; Cancri Moluccani fragmentum fossile pag. 65.

L I R I N O V I.

Suidæ Lexicon Græce & Latine. Textum Græcum cum manuscriptis codicibus collatum a quamplurimis mendis purgavit, Notisque perpetuis illustravit &c. Ludolphus Kusterus. Cantabrigiæ, typis Academicis, 1705, fol. Tomi tres.

Antiquæ Literaturæ Septentrionalis Libri duo. Quorum primus Georgii Hickesii S. T. P. Linguarum veterum Septentrionalium Thesaurum Grammatico-Criticum, & Andree Fontaine Equitis Aurati Numismata Saxonica & Dano-Saxonica: alter Humfredi Wanleii Librorum veterum Septentrionalium Catalogum Historico-Criticum complectitur. Oxoniæ e Theatro Sheldoniano, 1705, fol. Tomi tres.

Humfredi Hodii de Bibliorum Textibus Originalibus, Versionibus Græcis & Latina Vulgata Libri IV. Oxonii e Theatro Sheldoniano, 1705. fol.

D' Amboinsche Rariteitkamer, of Eene Beschryvinge van allerhande Schaaltvischen, benevens de voornaamste Hoornsties en Schulpen, als ook zommige Mineraalen, Gestenten &c. door Georgius Everhardus Rumphius. T' Amsterdam, by Franco Halma, 1705. fol. cum figuris multis æneis.

A C T A ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Novembris, Anno M D C C V.

*DESIDERII ERASMI OPERUM OMNIUM TOMI
V, VI & VII.*

Lugduni Batavorum, apud Petrum van der Aa, 1704.
1705. 1706. in folio.

Tomus V constat Alph. 7. plag. 16.

- - - VI - - - Alph. 6. plag. 22.

- - - VII - - - Alph. 6. plag. 13.

DE elegantissima, quæ in Hollandia hoc tempore magno studio sumptuque adornatur, Operum Erasmi editione, mense Augusto anni superioris p. 352 sq. diximus, cum primum, secundum ac quartum eorum tomos in his Actis recenseremus. Suffecerit itaque, nunc quidem solum indicasse tres tomos alios, qui ex illo tempore editi nuper admodum ad nos pervenere: ut eo certiori spe omnes, solidioris eruditionis, qualem Erasmi scripta nusquam non spirant, cupidi fruantur, opus integrum & certo & brevi in lucem publicam proditurum. Utique strenue rem urget solertissimus Bibliopola, neque hactenus aliam ob causam tomum tertium Epistolis destinatum premit, quam quod quotidie adhuc ad eum undique ex Bibliothecis illustribus epistolæ hactenus ineditæ perferuntur, quas una cum antea impressis Lectori benevolo communicare gestit: cujus rei jam aliquod indicium a nobis in Novis Literariis mensi nupero Majo subjunctis factum meminimus.

















Tomus ergo *Quintus* scripta Erasmi, quæ ad pietatem instituant, eaque numero triginta novem complectitur. In his Theologum Practicum se exhibuit Erasmus, ac doctissimi Editore,

ris, qui Præfationem præmisit, iudicio, dum salutaria monita Lectorum animis instillare nititur, ipse rerum Divinarum amorem, quo animus ejus arsit, abunde prodidit. Tametsi vero idem optet, ut quemadmodum olim pleraque opusculorum horum Galli, Angli, Belgæ, Hispani atque Poloni in linguas vernaculas translata habuerunt, ita & novæ, post tantam linguarum harum a temporibus Erasmi ad hanc usque ætatem mutationem, ad elegantiam seculi eorum versiones adornentur, ut etiam, qui Latine nesciunt, ad lectionem eorum alliciantur: ita non dissimulat tamen, esse in iis quædam, quæ nec sibi, nec aliis, sine ulla exceptione probentur; sed pauca ea ferenda esse monet, ob præstantiam doctrinæ ac salubritatem præceptorum in parte maxima obviam. Eminere autem præ cæteris idem censet *Enchiridion Militis Christiani* (cui Lovanii A. 1518 edito quæ præfixa ab Erasmo fuerat epistola, in nostra hac editione in volumen epistolarum amandata est, constituitque trecentesimo vigesimo nonam) *Opusculum de ratione veræ Theologiæ, Christiani Matrimonii Institutionem, & Viduam Christianam.*

Tomus Sextus Novum Testamentum, cum versione Erasmi Latina Græco textui e regione adjecta, ejusdemque Annotationes exhibet. Quæ quidem nova editio prioribus non uno nomine præferenda est. Nam primum cum in illis numeri commatum non essent additi, in hac & Græcis & Latinis diligenter addi curavit Bibliopola. Dein Annotationes Erasmi, quæ ad calcem subjectæ antea erant, ut facilius conferri cum textu ipso possint, singulis nunc paginis subjiciuntur. Eædem porro, ut commodius inveniantur, referuntur ad numeros versionis Erasmi, cum ipse olim non in suammet, sed vulgatam translationem eas scripsisset. Præterea summa totius Scripturæ & Index rerum, quæ in Novo Testamento leguntur, in editione autem Frobeniana Operum Erasmi A. 1540 non comparent, quod tamen in antiquiore alia Novi Testamenti editione invenirentur, probante haud dubie Erasmo adjecta, ea hic quoque adjecta deprehenduntur: perinde ac additamenta alia elegantia & frugifera, quæ in editione Basileensi anni 1522 leguntur, in secutis aliis dubium quam ob causam resecta. Ut adeo nihil omiserit Bibliopola eorum, quæ

TAB. XI. ad A. 1705. M. Nov. p. 483.

Solis
centrum





quæ novam hanc editionem quam perfectissimam reddere possent. In Præfatione eruditissimus Editor a suspitione Arianismi, in quam apud nonnullos Erasmus inciderat, quod loca quædam, quæ ad Divinitatem Christi, tot aliis argumentis abunde evictam, probandam præter necessitatem adduci vulgo consueverunt, labefactare in Annotationibus visus esset, breviter eundem vindicat.

Tomus Septimus Paraphrases Erasmi in Novum Testamentum continet, Opus, judicante Editore in Præfatione, quod inter omnes ejus lucubrationes multis maxime placuit, atque Auctori minimam invidiam creavit. Ne vero nec illæ ornatiores prodirent, commata primum diligenter numeris ad marginem notari Bibliopola curavit. Deinde textum quoque integrum Vulgatæ Novi Testamenti versionis in margine exhibuit, primis tantum octo Matthæi capitibus exceptis, quod hujus rei non statim ab initio impressionis in mentem venisset. Denique singulis capitibus summam contentorum complexa disticha præfiguntur, dudum nescio a quo edita, nec nulli tamen usui Lectori futura.

OBSERVATIONES MACULARUM SOLARIUM

*a R. P. JARTOUX Soc. Jes. Pekinomisæ
ad G. G. L.*

Die prima mensis Novembris anni 1701 hora circiter post meridiem $1\frac{3}{4}$ directis casu in Solem Telescopiis 6 pedum, visa est macula in disco Solis distans $\frac{1}{11}$ circiter a margine inter orientem & meridiem. Illius figura erat oblonga sed irregularis; mole exiguam muscam æquare visa est. Fig. 1.

TAB. XI.

Fig. 1.

Eadem die hora circiter tertia apparuit alia, sed multo minor, inter priorem & marginem Solis, paulo vicinior majori maculæ quam margini. vide Fig. 2.

Fig. 2.

Die secunda oriente Sole eadem visæ sunt maculæ, quæ prius, sed paulo a margine remotiores, & inter se magis distitæ. Tum alia tertia deprehensa est inter primam & secundam versus Astri meridiem; hæc erat minima, nec nisi telescopio duodecim pedibus longo videri potuit. Vide Fig. 3. Secunda longior apparuit quam hesternæ die, ita ut in Solis marginem prope orientem porrigeretur. Maxima seu prima macula visa est circumdata

Fig. 3.

crassiori aliquo quasi aere in modum atmosphærae, cujus extrema facile discerni possent. Multæ etiam passim illuxerunt faculæ tres illas complexæ maculas, & ad viciniorem Solis protractæ marginem. Hæc per duas horas ab ortu Solis distincte observare licuit.

Fig. 4. Eadem die ante occasum Solis secunda seu minor macula in duas divisa fuit, easque exiguas, sed distinctissimas. Tum non longe a tertia macula mane deprehensa, altera quarta conspecta fuit tenuior, Solisque versus orientem sita. vid. F. 4.

Fig. 5. Die tertia oriente Sole paulo major visa est prima macula una cum ampliori quasi atmosphæra. Secunda non amplius in duas divisa apparuit, sed vel utræque coaluerunt inter se, vel alterutra evanuit. Quæ superfuit tamen ex illis, erat rotundior quam prius. Tertia situm mutasse visa fuit, eandem rectam lineam cum prima & secunda occupabat. Quarta vero tenuior quæ hesternæ die primum apparuerat, magis ad meridiem accessit, fuitque semper minor qualibet altera & primæ ampliorique maculæ propior. vid. Fig. 5.

Fig. 6. Ex tot maculis sola constans fuit, quæ prima maximaque fuerat; nam cæteræ omnes una cum faculis evanuerant, etiam ante horam post meridiem secundam. Interea duæ aliæ (F. 6.) mole quidem exiguæ, sed obscuritate conspicuæ visæ sunt, inter centrum Solis & constantem priorem maculam æquo ferme intervallo. Tum inter extremas istas alia tertia, denique etiam quarta deprehensa fuit, ita ut duæ extremæ majores, duæ mediæ minores essent, vixque percipi possent. Fig. 7.

Fig. 7. Die quarta oriente Sole jam non amplius visæ sunt minores maculæ, quæ pridie apparuerant. Sola major illa, de qua prius, conspici potuit, sua semper circumdata quasi atmosphæra. Sed tamen hora post meridiem $2\frac{1}{4}$, eam ferme dixisses divisam in duas, quarum altera minor meridiem, altera major Solis orientem respiceret. Occidente deinde Sole, divisa etiam visa fuit, sed non certo, ita ut dubium adhuc esset, an perforata, an secta in duas foret macula; ea jam tum tertiam Solaris diametri partem percurrisse videbatur. Fig. 8.

Fig. 8.

Die quinta oriente Sole, quantum folius telescopii ope judicare potui, deprehendi maculam illam tunc sitam esse in diametro efficiente cum axe Solis angulum circiter viginti quinque gradus orientem inter & meridiem: eamque jam $\frac{2}{3}$ partibus diametri versus centrum processisse. Denique divisam esse in duas, certo compertum est. Quæ minor hesternæ die meridiem respicere videbatur, ea hodie versus proximum Solis marginem sita eandem omnino cum majori diametrum occupabat. Fig. 9.

Fig. 9.

Eadem die hora circiter post meridiem $3\frac{1}{4}$ divisæ superius maculæ intervallo majori distare ab invicem visæ sunt, ita tamen, ut eadem adhuc quasi atmosphæra concluderentur. Major Solisque centro vicinior juxta minorem in longum porrigebatur: minor vero prope triangularis erat. Cæterum jam tantæ molis non erant, quantæ fuerant altero abhinc die, priusquam divisæ apparerent. Ante Solis occasum magis semper ac magis ad Astri centrum occidere eadem maculæ visæ sunt. Fig. 10.

Fig. 10.

Die sexta duplex illa constansque macula Solis axem superasse deprehensa est centrum inter & meridiem, minorque ipsius a centro digressio videtur fuisse $\frac{1}{10}$ diametri. Situs utriusque is fuit, quem fig. 11. exhibet. Atmosphæra, quam dixi comprehendere maculas, jam etiam in duas dividi tenuiorque fieri visa est. Hæc Sol oriens Fig. 12.

Fig. 11.

Fig. 12.

Eadem die ante occasum Solis maculæ multum ad occidentem processerant.

Die septima Nov. oriente Sole utraque non parum minui macula visa est. Motus ad occidentem videtur fuisse celerior, circa axem Solis quam alibi. In ipso meridie transmissa per telescopium Solis imago, & plano perpendiculari excepta eum macularum situm exhibuit, quem ostendit Fig. 13.

Fig. 13.

Eadem die occidente Sole, maculæ mihi visæ sunt adeo vicinæ diametro conjungenti orientem & occidentem, ut semper dubitaverim, an illum jam superavissent, nec ne. Etsi minuantur indies plurimum, tamen illas ad extremum discum perventuras existimavi, imo & aliquamdiu postea duraturas, quanquam absoluto orbe recurrere non posse videantur.

Die octavo Sol tam oriens quam occidens, maculas minui & ad septentrionem jam declinare confirmavit: in ipso meridie ab occidente abesse visæ sunt $\frac{1}{5}$ parte diametri.

Fig. 14. Die nona orto jam Sole maculæ visæ sunt ab occidentali margine distare circiter $\frac{2}{3}$ diametri. Fig. 14 exhibet macularum situm ipso meridie observatum. Sol occidens eas multo minores & ad marginem eodem cursu procedentes ostendit.

Fig. 15. Die decima macularum situs e diametro respondebat ei loco, in quo primum deprehensæ fuerant, antequam in duas abirent. In ipso meridie atque occidente Sole illas quidem, sed non illarum atmosphæram per nubila videre licuit. Fig. 15.

Fig. 16. Die undecima orto jam Sole visa est macula instar puncti oblongi jamjam proxima margini occidentali. Fig. 16. Illi præibat punctum lucidum paulo maculæ quam margini vicinius, sed valde conspicuum. Aliud etiam punctum lucidum micabat in maculæ capite versus occidentem. Prope eandem versus centrum erant multæ aliæ longiores faculæ.

Fig. 17. Eadem die, hora circiter decima, deprehendi vix potuit macula, quæ non nisi instar lineolæ apparebat vicino Solis margini parallelæ. Micabant etiam duo, de quibus superius, puncta lucida. In ipso meridie eadem macula visa est declinare ab occidente versus septentrionem, viginti aut viginti quinque circiter gradibus. Hora circiter secunda, præter duo superiora puncta micantia, apparuit non longe a macula linea curva perlucida versus septentrionem, quam etiam mane deprehendisse mihi visus sum. Eadem vidi adhuc occidente Sole. Fig. 17.

Die duodecima oriente Sole frustra quæsi maculam, quæ in percurrendo Solis disco insumsisse mihi visa est duodecim circiter dies.

Atque ea sunt, quæ circa Solis maculas homini observare licuit omni ope destituto, tum quadrantis, tum horologii oscillatorii. Verum ea ipsa solum die, qua videri desierunt maculæ, in mentem venit mihi, potuisse me facile constantem illius maculæ locum in disco Solis sine ullo errore deprehendere, qualibet non solum die, sed etiam diei hora; atque ita ejus motum certo metiri, si

MENSIS NOVEMBRIS A. MDCCV. 487

si nempe telescopio aptassem duo, ut sit, ad angulos rectos se mutuo secantia reticula, tum directo ad Solem telescopio numerassem oscillationes alicujus globi e filo penduli, dum Sol mox unum, mox alterum simul percurrit reticulum, atque etiam notassem, cui oscillationi uterque per utrumque reticulum maculæ transitus responderet: nam tunc sive linearum sive numerorum ope habuissem, quonam in Solis loco sita esset macula.

Quod spectat ad faculas, cum meminissem *Christiano Eugenio* nunquam in Sole visas fuisse, eximiumque illum Astronomum sentire, in Sole nihil esse posse ipso Sole lucidius, majori adhibita diligentia, quicquid potui diu multumque observavi, idque præcipuum deprehendi, fuisse circum faculas quandam diffusam quasi fuliginem tenuiori fumo haud absimilem, ita ut faculæ nullo modo essent lucidiores iis Solis partibus, quæ nulla ejusmodi fuligine macularentur. Unde fieri posse putavi, ut materia, ex qua conflarentur, vel in quam resolverentur maculæ, diffusa per aliquam Solis partem sua hic densitate maculas, hic diaphaneitate faculas in Sole efficeret, præsertim cum non apparuerint faculæ, nisi crescentibus aut jam evanescentibus maculis.

UITLEGGINGE VAN DEN PROPHEET AMOS &c.

i. e.

EXPOSITIO PROPHETÆ AMOS, QUAVOCUM EMPHASIS, loquendi formulæ, priscarum gentium ritus, variaeque antiquitates & historiæ explicantur. Per THEODORUM van TOLL, apud Wudebergenses Ministrum.

Trajecti ad Rhenum, apud Ant. Schouten, 1705. in 4.

Constat alph. 3. plag. 3.

Qui edecumatis lucubrationibus suis, quibus tum jura Christi Regia ex Ps. LXXII, 1 (in Actis nostris A. 1687 mense Martio p. III. memorata) tum Prophetiam Joelis justo commentario illustravit, solidæ eruditionis laudem, publicumque meruit plausum Reverendus Autor, jam absolutum expositionis vaticiniorum Amosi opus erudito orbi sistit, nec auctoris indignum nomine, nec lectori poenitendum. Cujus in elaboratione eandem præf. *** 3. dem

p. 2. dem secutum se fatetur rationem ac methodum, qua in Joelle explicando usus, quamque in præfatione illius commentarii prolixè exposuit. Rem omnem vero ita aggreditur, ut universam Prophetiam in tria partiatur membra, quorum 1. gravissima complectitur judicia Dei ac pœnas Syriis, Philisthæis, Tyriis, Edomitis, Ammonitis & Moabitis infligendas: 2. Judaici extirpationem populi, sublatumque penitus a Juda & Israel regnum juxta ac sacerdotium memorat: 3. regnum Christi divinasque pollicetur benedictiones per Evangelii præconium in conversos Judæos pariter & gentes conferendas.

4. Cum quæ in præcognitis explicari solent, Propheta ipse v. 1 exponat, ad ipsam statim textus exegesin se accingit Autor, ante omnia observans, alium hunc & diversum a Patre Esaiæ, cujus 2. Reg. XIX, 2. 20. 2. Chron. XXVI, 22. Es. I, 1. fit mentio, esse Amosum: quod iste regio ortus sit sanguine, noster autem humili loco natus, & pastoritium vitæ genus secutus. Ubi quidem in significationem vocis נִקְרִי inquit, quæ cum ad radicem נִקְרַ σιζεν, signare, stigmatibus impressis notare, originem suam referat, ob notata ac signata pecora ad pastores translata est. Qua in derivanda origine, varia ex antiquitate lectu haud indigna inspergit.

5. Hinc ad Patriarcharum vitæ institutum pergit, eosque non ex ea, quam Aristoteles reddit, ratione pascendis pecoribus operam dedisse affirmat, quod otio fere diffluant, & sine labore victum parent pastores: sed quod id vitæ genus animum non adeo occupet, aut a divinarum rerum abstrahat contemplatione. Tum & pecorum perquam necessarium in sacris ipsorum usum fuisse quid quod & pastoritia vita egregia ad rite & sapienter ineundas rationes monita suppeditet, quibus, ex Philonis judicio, Mose etiam, Jethronis oves per quadraginta annos pascens, mansueto populi Israel regimini assuefactus fuerit? Tum porro in Ægyptiorum, quo pastores prosequerentur, odii causas paulo curatius inquit. Et has quidem alii, Manethonis apud Josephum testimonio nixi, in turbas conjiciunt, quas pastores olim Ægyptiis ingentes dederunt, ipsorumque in se animos, irasque hoc pacto concitarunt: alii in pecorum mactatione & cæde collocant, qua pastoribus frequens, Ægyptiis pecora ceu Numina colentibus, religio

6.

8.

gio

ligionis fuerit: *Nunquam fas fuit Aegyptiis*, inquit Macrobius l. i. Saturnal. c. 7. *pecudibus aut sanguine, sed precibus & ture solo placare Deos.* Quod & Juvenalis confirmat: quanquam minus bene huic sententiæ cum Scripturæ testimoniis, Gen. XLIII, 16. XLVII, 16. 17. Exod. IX, 19. convenire videatur. Cuiusmodi quæ circa hanc quæstionem mens sit, ex ipsius verbis l. i. de Republica Jud. c. 5. intelligi potest. Et huc quoque faciunt, quæ Jos. Scalliger Animadvers. ad Chronolog. Eusebii p. 18, Heidegger. Histor. Patriarch. Exercit. 1, Joh. van der Wayen Varior. Sacr. p. 298, & Burmannus *Wet en Getuygenisse* p. 298 observarunt. Jam ad Amosum redit Autor, c. VII, 14 se inter **נקרי** referentem: quam vocem cur per *ἀναρείμ* LXX Int. lectionis vitio decepti reddiderint, exponit. Thekoam, unde oriundum se ait Propheta, cuiusque crebra in sacris literis mentio fit, 2. Sam. XIV, 2. XXIII, 26 &c. Kimchi florentissimum dicit oppidum fuisse regionis Asser: Epiphanius in regionem Zabulon locat, uterque non adeo verisimilibus argumentis nifus. Ex communi sententia urbs Judææ habetur, sex circiter milliaribus, juxta Hieronymum, ab urbe Bethlehem distans, Hierosolymis versus meridiem sita, versus regionem Engeddi & desertum. Quæ licet arida esset & sterilis regio, ovibus tamen alendis sufficiebat, ideoque pastoribus frequens. Quorum e numero cum noster fuerit Propheta, occasionem nactus Autor, locum communem egregie illustrat, qui factum, ut eos sæpe ad obeunda ministeria sua vocarit Deus, qui nec autoritate, nec natalium splendore pollerent, sed in re tenui essent, vilesque ac contemti haberentur? Porro occasione verborum v. 1, **אשר הזה** cur Videntes olim dicti Prophetæ, & quot cœlestium visionum in usu fuerint genera, erudite exponit. Sed & ad alia progrediendum.

p. 9.
10.

11.

12.

13.

7.

Cum Cap. statim I, p. 37 sqq. poenas denunciât gentibus Propheta, in enumerandis ipsarum delictis solenne quasi ipsi est, ut tria quatuorve memoret peccata: quæ numeri restrictio in varias interpretes sententias traxit. Sunt, qui cum Vatablo, Clario, aliisque e Pontificiis, utroque in unum conflato numero, septenarium efficiunt: commenti præsidium in particulam **לע** singulis præmissam numeris collocantes; tum & quod septenarius multitudinis

p. 38.

39.

fit & perfectionis numerus, ut in Scripturis Gen. IV, 24, Lev. XXVI, 18, 21, 24 &c. sic apud prophanos, Callimachum, Philonem, alios, Dougtæo in Analect. Sacr. Excurs. 169 allegatos. His ergo ea Prophetæ mens est: bis terve si in me deliquisset Damascus, haud gravatim veniam darem; at cum septima etiam vice, i. e. creberrime, ad iram me provocarit, suæque impleverit iniquitatis mensuram, haud diutius parcam. Alii rursus non combinatos, sed singulos indefinite accipiendos numeros censent, velut pari dictionis valore apud Homerum τρις κει τετρακτις, & apud Virgilium ac Senecam, *o terque quaterque* dicitur. Quæ satis congrue conveniunt cum phrasi, sex & septem Job. V, 19. Prov. VI, 16; septem & octo Coh. XI, 2; duo & tria Job. XXXIII, 29; tria & quatuor Prov. XXX, 15. Unde sensus emergat talis: quod non tam ob tria delicta, quæ velut silentio involuta præteriri potuissent, quam ob quartum cumprimis, quod ferrea Gileadi trituratione fit, contra Syros & Damascum insurgens Dominus, debitas rebellionem, superbiæ & contumaciæ ab ipsis repetiturus sit poenas. Sed vero alii determinatum hunc numerum malunt, eo quod quatuor maxime vicibus Israelitis bellum intulerint Syri. 1) cum in gratiam Asæ regis Judæ, arma caperent contra Baasam regem Israel, qua in expeditione Syriacus Benhadadi exercitus ingentem regno Israel intulit cladem, 1 Reg. XV, 18. 19. 20. 2) regnante in Israel Achabo, quo tempore adverso bis pugnarunt Marte, cæsis ultimo in prælio centum hominum millibus, præter viginti septem millia, Aphekæ mœniorum ruinis oppressa, 1 Reg. XX. 3) cum Hazael & Benhadad reges Syriæ cum Joahas confingerent, ac universam fere Israelitarum gentem delerent, 2 Reg. XIII, 4) cum Rezin rex Syriæ & Pekah rex Israel Hierosolymas obsidione cingerent, Ahaso in Juda principatum tenente, 2 Reg. XVI. Quatuor ergo bella Israeli & Judæ Syri moverunt, quorum priora licet inulta, quartum tamen haud impune tulerunt, cum rex Assyriæ Tiglath-Pileser Rezino bellum faciens, ipso occiso Damascum expugnaret, civesque sub jugum mitteret. Sunt denique interpretum alii, maxime Pontificii, qui tria Damasci delicta de idololatria exponunt, incestu & cæde, quartum autem triturationem ferream dicunt. Quæ priora tamen cum non expresserit Amos, bene

Corn.

Corn. a Lapide *illa*, inquit, *ex cerebro interpretum conficta videntur*. Hæc itaque cum sine fundamento corruant, alii tritissimam ingressi viam, indeterminatum hunc numerum dicunt, de omni injuria Syriorum, Israeli, Judæ aliisque populis illata capiendum. Ita Cyrillus, Hieronymus, Vatablus, Drusius & alii multi, numerum certum pro incerto sumendum statuentes. Tandem ut suam quoque adjiciat symbolam Autor, tria priora non solum ignota, sed & inulta existimat delicta fuisse, ad tempora usque Amosi: quartum tamen triturationem esse ferream, scelerum gravissimum, quod divinam maturarit vindictam. Quæ autem hæc triturationis fuerit, ex iis vult peti, quæ in Joelem commentatus est p. 261 & 443. Hic paucis saltem observat, per Gilead non unam designari urbem, quæ Cyrilli & Theodoretii sententia fuit: sed integram regionem tribuum Gad, Ruben & Manassis hæreditariam. Tum & ad vocabulum *תרתין* notat, quod LXX per *περίοις* ferras reddant: Symmachus, Aquila & Theodotion *τροχῶς* rotas: Theodoretus *περινοειδῆς τροχῶς* falcatas rotas: Hieronymus currus, alii aliter. Ferreis itaque curribus seu rotis triturationi aptis Israelitas a Syris disseccatos ac ferratos fuisse: quod poenæ genus in Oriente haud infrequens, teste Jud. VIII, 7. 2. Sam. XII, 13. 1. Chron. XX, 3. Proverb. XX, 26. Nil itaque cogit, ut cum Mercero improprie de violenta sumatur oppressione. Sed ex his ceu ungue sufficiat agnovisse leonem; cætera B. L. industriæ relinquimus.

P. 40.

41.

*DE JURE PROEDRIÆ SEU PRÆCEDENTIÆ
variarum Questionum Decades duæ, Auctore, CASPARE HEIN-
RICO HORNIO J.C. & Antecessore Witte-
bergensi. Editio secunda
auctior.*

Wittebergæ apud Meyerum & Zimmermannum, 1705. 4.
Constat 14. plag.

PLerisque hominibus delicata sui innata est æstimatio, adeo ut non tantum contentum aliorum ferre non possint, sed & aliis sine causa postponi nolint: hinc non infrequentes, in vita civili, de præcedentia sunt contentiones. Ex hoc genere Excellen-

tissimus Autor duas decades exhibet, quarum syllabum breviter texemus. In prima decade primum occupat locum quaestio generalis, de moralitate controversiarum praecedentiae: deinde disquiritur, utrum Consiliarius Principis Imperii titularis praecedat Doctores & Licentiatos? tertia quaestio ostendit, quo loco Comes Sacri Palatii haberi debeat? in quarta disputatur, num is, qui prior licentiam adeptus est assumendi Doctorales honores, postea Doctor creatus, praefendus sit illi, qui medio tempore & Licentiatus & Doctor factus est? Quinta expendit, utrum Doctoris filia innupta mercatoris uxori sit praefenda? sexta rationem litis, inter biblioepi & lanionis uxores de praecedentia compositae, exhibet: septima de eo satagit, quis e duobus potior, qui unius ejusdemque temporis rescripta Principis, quibus munera publica conferuntur, insinuant? octava poligraphum municipii, cum fenatoribus vel decurionibus de loco certantem, sistit. In nona disceptatur de jure Collegii, quoad vindicandam aut defendendam Praefidis vel Collegae praecedentiam: decima tractat controversiam, utrum illi, qui in urbibus oppidisque, inter cives vexilliferorum munere funguntur, jus praecedentiae, intuitu aliorum civium habeant? In secunda decade Consultissimus Autor disceptat de praecedentia Doctorum, eorumque lite cum Consulibus civitatis municipalis: postea praecedentiam substituti Scholae Rectoris explicat: inde pergit ad quaestionem, utrum actus praecedentiae, quem antecessor exercuit, in possessorio profit successori? huic subjungit praediam Doctorum, intuitu Superintendentium & Praefectorum, hoc etiam addito, quod Collegia Juridica de jure praecedentiae omnino respondere possint. His adductis, praecedentiam respectivam enucleat, ac quis praedria potior sit, si plures in exercitio jurisdictionis simultaneo concurrant, ostendit: tum praecedentiam Advocatorum, ut & bibliopolae & mercatoris explanat, atque, evoluta actuum publicorum & privatorum, praecedentiae intuitu distinctione, castratoribus suum, qui oenopolis, ex quadam rubrica, ab ipsis non allegata, praeferrere cupiebant, ultimum locum cedit. Illustrando Consultissimi Autoris labori, vel unius quaestionis rationes specialius nonnihil recensebimus. In decadis primae quaestione tertia, ut antea indicavimus, de Comite

Palatino sermo est. Vivebat ille in civitate quadam municipali, in qua Senatorius ordo eo jure utebatur, ut singuli Doctores & Licentiatos præcederent. Quem ergo locum ipse ambire posset, edoceri voluit, ac id responsi a Facultate Juridica Wittenbergen- si accepit, quod Consuli regenti locum honoratiorem cedere debeat, cum velut incola jurisdictioni magistratus oppidani sub sit. Hac occa- sione non tam quæsitum, quam potius pro certo suppositum fuit, quod Comitiva superet dignitatem Doctorum, cum Comites Pa- latini plerumque a Cæsare accipiant facultatem creandi Doctores; hi etiam, post exactos in Academiis legendo docendoque viginti annos, ex communi sententia, Comitivam nanciscantur; non mi- nus Comites Palatini Nobilibus pares habeantur, in multis quo- que iis præferantur, Illustres, Nobiles, Spectabiles & Clarissimi, nec non Consilarii ac Consistoriales Imperatoris audiant; Comiti- va etiam titulis Consiliariorum Cæsareorum, in Capitulat. Leopoldi art. 44 præponatur, ac involvat communicationem exercitii Re- servatorum Imperatoris, quæ ne ipsis quidem Statibus Imperii, præcipue extra territoria sua, facta sit. In eandem sententiam, in casu simili, pronunciavit Facultas Juridica Hallensis, & licet pro Doctoribus, contra Comites Palatinos, suffragium tulerit Col- legium Juridicum Jenense, attamen quid ejus rationibus repo- nendum sit, alio Responso Hallensi ostenditur.

*JOHANNIS VOET, JURISCONSULTI ET AN-
tecessoris in Academia Lugduno-Batava, Commentarius ad Pan-
dectas, in quo præter Romani Juris principia ac controversias
illustriores, Jus etiam hodiernum, & præcipue fori quæstiones
excutiuntur. Pars hæc posterior continet octo &
viginti libros posteriores.*

Hagæ Comitum, apud Abrahamum de Hondt, 1704. in fol.

Continet Alfab. 12.

PRimam egregii hujus operis partem recensuimus in Actis anni 1699, mens. Novembr. ibique de laudabili Celeberrimi Autoris in- stituto, de ordine quem sequendum sibi duxit, de elegantia sermo- nis ipsius, deque singulari ejus eruditione, candore, industria ni-

hil diximus, quod non idem ad partem hanc posteriorem jure merito sit trahendum. Tardius a se impleri fidem, in primi voluminis præfatione datam, de hoc altero tomo edendo, non in sequiorem partem acceptum iri sperat Noster, si se, quotidianis professionis publicæ negotiis districtum, horas tantum subcisivas laboris hujus absolutioni impendere potuisse, cogitaverint Lectores, atque insuper materiæ partis hujus posterioris amplitudinem, respexerint ac difficultates. Quamvis autem haud grave sibi futurum fuisse dicit, apparatu majore de pluribus differere, verbis tamen parcendum censuit, rebusque potissimum, compendiose quidem, nec tamen eo minus pro dignitate explicandis, incumbendum; quarum etiam copia tantum non obrutus, evitare haud potuit, quin pars hæc secunda in longe majorem, quam prima, excreverit quantitatem, ne alioquin, quod quibusdam accidit, posteriora minore videretur diligentia, quam priora, tractasse. Cæterum, cum Virorum doctissimorum lucubrationes, de nonnullis ulterius cogitandi ansam præbuerint, calci totius operis quædam adjecit, quæ non solum iis, quæ in parte priori, sed & his, quæ in hujus secundi voluminis ea parte, quam ante biennium excusam dicit, illustrandis & limitandis inserviunt. Si quid verò tum in hac, tum in priore commentarii hujus parte affectaverit, id unum fuisse declarat, ne quenquam offenderet, neque tumidiore inflatoque scribendi genere uteretur, sed æquabili atque perspicuo; eo excepto, quod in *titulo de questionibus*, pro moderato in criminibus indagandis tormentorum usu pluribus agens, aliam quodammodo dicendi rationem adhibuerit, oratione ante annos plurimos publice recitata, nunc typis ibidem descripta.

Ex tanta, quæ nobis offertur, rerum selectissimarum copia, visum fuit, speciminis loco, excerpere sequentia. In titulo de *Sponsalibus* asserit, quod si liberi sub conditione, *si parens in nuptias consenserit*, sponsalia contraxerint, & pater rogatus primo consentire noluerit, deinde verò, sæpius aliis intercedentibus, in nuptias consentiat, filius aut filia ex primo illo dissensu a vinculo sponsaliorum non liberetur (secus ac statuit Brouwerus) sed potius ex consensu paterno post interposito, etiamnum ad nuptias compelli possit. In hujus asserti fidem allegat *arg. L. 12. §. 2. ff.*

rem ratam haberi; ex *Lege* autem 89. §. 1. ff. *Verb. d. Sign.* cum decisionem casus plane diversi contineat, nihil in contrarium concludi posse contendit, proque sua sententia facere dicit placitum Ordinum Ultrajectinorum de matrimonio 6. Octobr. 1584. art. 10. Contra eundem Brouwerum, qui existimat, conditionem illam, *si abortum procuraveris*, sponsalibus adjectam pro non adjecta habendam, hanc vero, *si copulam admiseris*, esse re ipsa adimplendam, nisi mulier pudicitiae studens, velit matrimonii futuri spe decidere, variis argumentis ostendit, quod ex sponsalibus sub utraque conditione contractis ad nuptias juvenis compelli debeat, siue conditio impleta fuerit, siue implementum ejus sponsa, famiorem secuta rationem, facere aut pati recuset; ne alioquin melioris sit conditionis, quæ turpe factum adimplet, quam quæ mature poenitens a probro abstinet, & virtutem sceleri anteponit. Sponsalia de præsentis vulgo dicta, a sponsalibus de futuro, quantum ad effectus juridicos, apud Belgas diversa non esse affirmat, licet aliud jure Canonico scripto placuerit; adeoque sponsalia posteriora, verbis præsentis temporis contracta, non debere obesse prioribus, per temporis futuri verba initis, concludit. Non tamen cum Simone van Leeuwen existimandum esse monet, sponsalia posteriora, ab initio in præjudicium priorum haud recte inita, ex eorum genere esse, quæ tractu temporis vires haud assumunt, sed potius firmari eadem, si sponsa, quæ jure potiori nitebatur, mortua sit, aut desistat sponte, ita ut altera tunc sponsum ad nuptias cogere possit. In titulo *de Nuptiis*, polygamiam a Deo in patribus V. T. per quandam conniventiam toleratam, vel saltem non notabilibus poenis coercitam, revera præceptis Divinis adversam fuisse, remissive asseverat. Edicto Caroli V. de A. 1540. constitutum fuisse docet, eum, qui puellam annis viginti minorem duxerit, quæve adolescenti minori annis viginti quinque nupserit, non impetrato consensu patris aut matris talium minorennium, aut majoris partis proximiorum cognatorum, si parentes deficient, aut denique ipsius magistratus, cujus jurisdictioni minores tales subjecti sunt, nihil lucrari posse ex bonis talis minorennis seducti vel seductæ, siue donationis, siue dotalitii, siue institutionis, siue legati, siue statutariæ aut pactitiæ communionis titulo. Has

p. 5. n. 8.

p. 11. n. 20.

n. 21.

p. 17. n. 1.

p. 21. n. 11.

pœnas deinde edicto publico Ordinum Hollandiæ anno 1580. art. 3.
 & 13. non modo confirmatas ait, sed & matrimonia sine paren-
 tum aut alterutrius adhuc superstitis consensu inita, ipso jure nul-
 la renunciata esse; cui consequens sit, ut & ad parentum, qui ri-
 gido jure uti velint, desiderium tales conjunctiones, licet con-
 p. 22. n. 14. cubitu jam confirmatæ, dissolvi debeant. Patri, qui ob mores
 prodigos curatorem a magistratu accepit, cum arbitrium remit-
 tendæ injuriæ filio suo honesto illatæ relictum non sit, per *L. 17.*
§. 13. ff. d. injur. nec concedendum esse putat, ut liberorum suo-
 rum nuptias ad suam metiatur vel utilitatem vel vilitatem, atque
 in eandem sententiam itum fuisse a Parisiensi Senatu, ex Antonio
 p. 41. n. 65. d' Espeiffes & Abr. a Wesel commemorat. Jure civili per nu-
 p. 199. ptias non inductam fuisse universalem bonorum inter conjuges
 communionem allatis in medium argumentis, probat, & his, qui
 contrarium ex *L. 1. ff. d. act. rer. amot.* nec non ex *L. 4. C. d. crim.*
expil. hered. evincere volunt, respondet. Moribus vero Hollan-
 diæ, & aliarum multarum gentium, statutariam esse asserit facul-
 tatum omnium inter maritum & uxorem communionem, in cu-
 jus origine, objecto, effectu, aliisque circumstantiis exponendis,
 p. 38. n. 52. haud vulgarem operam adhibuisse deprehenditur. Ex hac com-
 munionem descendere dicit, ut & viri contractibus, stante matrimo-
 nio celebratis, uxor in Hollandia pro parte dimidia conveniri pos-
 sit soluto matrimonio, sicut & hæredes ejus, etiamsi non utiliter,
 sed per mariti temeritatem, aut prodigalitatem dissolutamque vi-
 vendi rationem, æs alienum contractum doceatur: ubi tamen in-
 dicat, quod uxor nolens, ex continuata mariti prodigalitate ma-
 nifesta, quæ scortis, alea, similibusque exercetur, diutius obligari,
 petere possit bonorum separationem, (vulgo *bædelscheydinge*)
 qua impetrata publiceque significata, maritus nec ipsam, nec bo-
 p. 134. n. 2. na ejus obligare possit. In titulo *de Divoritiis* asserit, licentiam
 illorum toleratam magis, velut malum necessarium, quam proba-
 tam fuisse apud Romanos, idque tum ex eo evincit, quod secun-
 dum Plutarchum & Sigonium, Romuli lege mulieri maritum re-
 linquendi potestas adempta fuerit, viro autem ejicere uxorem ex
 paucis tantum causis concessum, si scilicet veneficio circa prolem
 usa fuisset, aut alienam pro sua subdidisset, aut adulterium com-
 mi-

misisset, tum & inde, quod (secundum Gellium) nominatim, cautum fuerit, matrimonium Flamini Diali non nisi morte dissolvendum esse, quasi ab eo, tanquam summi Jovis Sacerdote, exactior vitæ ratio ac sanctitas observanda fuerit, adeoque minus in eo tolerari debuerit, quicquid a recti tramite videbatur deflectere, quam quidem in aliis, quibus ea virtutis ac integritatis gloria non ita peculiariter commendata erat. Eandem ob causam factum dicit, ut inter probrosas conditiones numerata fuerit illa, qua mater filiam instituerat, si a viro divertisset, ex insigni rescripto Imperatorio in *L. 5. C. d. instit. & substit.* Ad titulum *de Tutelis* statuit, non esse demandandam Judæis tutoriam in liberos Christianos potestatem, idque non quidem Juri Digestorum ob *L. 15. §. 6. ff. d. excus. tut.* bene tamen Juri, quod est in Codice, conveniens esse probat, cum homines isti secundum *tit. ne Christian. mancip.* propter seductionis periculum, ne mancipium quidem Christianum in potestate dominica habere potuerint aut possidere. In Belgio cautum esse ait edicto Ordinum Generalium d. 30. Aug. 1640. ut, si parentum alteruter Reformatæ religionis fuerit, tutela Pontificio non debeat demandari. Universitatis Lugduno-Batavæ studiosis fori quidem peculiaris privilegium indultum esse, attamen & ipsis studiosis minorennibus & studiosorum liberis tutores dare Cameram pupillarem civitatis Leydenensis, notat. Quod a nonnullis asseritur, tutores ob levem culpam haud fuisse remotos, sed tantum ob dolum vel latam culpam, adeoque per *culpam* propositam in *§. 6. I. d. suspect. tut.* non nisi latam potuisse videri designatam, id gratis subsumi, sed nulla lege evinci contendit: patere enim ex *L. f. C. dict. tit. & L. 3. §. f. it. L. 4. ff. eod.* tutores ob negligentiam, segnitiam, rusticitatem, inertiam, simplicitatem, ineptiam removeri potuisse; ineptum vero esse, rusticitatem & segnitiam, ineptiam ac simplicitatem præcise latæ velle adscribere culpæ, cum & in levi, imo etiam levissima culpa segnitias, negligentia atque inertia deprehendatur; eoque respicere Juris Consultum, quando ait, magnam negligentiam culpam esse, magnam culpam dolum esse *L. 226. ff. d. V. S.* Exemplo militum in expeditione occupatorum, etiam legatos ad exteras gentes missos, eorumque

p. 182. n. 6.

p. 191. n. 5.

p. 211. n. 7.

p. 271. n. 14.

comites ac ministros non inutiliter testari, durante absentia & in locis peregrinis commoratione, secundum simplicem Juris gentium solennitatem, neglectis solennibus tum loci, in quo morantur, tum domicilii, unde absunt legationis causa, existimat Noster, inque eam sententiam etiam responsum esse ait ab Hug.

p. 296. n. 8. Grotio in Resp. Juris C. Holl. part. 3. vol. 2. consil. 241. Moribus hodiernis non ambigendum esse dicit, quin unusquisque sive miles sit sive paganus, pluribus testamentis relictis mori possit, sic, ut in dubio omnia in priore & posteriore voluntate disposita exitum habere debeant, nisi quatenus contraria continent, quippe quorum intuitu suprema voluntas testatoris potior foret.

p. 365. n. II. An testamenta illorum, qui in Indias navigant, aut inde redeant, in navi condi recte possint coram duobus testibus, jurato de voluntate defuncti deponentibus, antea disputatum fuisse docet inter Hollandiæ pragmaticos, quorum alii militum privilegia ejusmodi peregrinantibus tribuerint, alii vero denegarint; sed postea constitutum esse probat placito Ordinum Generalium, testamenta navigantium in Indias, aut redeuntium, debere in scripturam redigi in libro ei rei destinato, & subscriptione ejus, qui illud scripsit, nec non duorum testium, confirma-

p. 426. n. 61. ri. De jure accrescendi ubi agit, sententiam illorum qui inter legatarios verbis tantum conjunctos locum illud invenire negant, jure meliori ac rationibus firmioribus niti contendit,

p. 606. n. 30. objectisque dubiis solidissime respondet. Jus Albinatus, vi cujus in Gallia fiscus succedit peregrinis in isto regno decedentibus, uti contra naturalem æquitatem & juris Romani principia inductum Nostro videtur, ita quoque ratione eorum, qui Ordinum Generalium subditi sunt, conventionibus inter Galliarum Reges & Foederati Belgii Ordines identidem aboliturum fuisse, idem significat. Parciores antiqui juris civilis circa successiones tractationem supplere volens, inter librum XXXVIII & XXXIX de Feudis dissertationem inseruit, inque ea hujus quoque Juris elegantem at-

p. 624. n. 20. que perspicuum interpretem se præstitit. Multiplicatam illam vassallorum subordinationem, (qua jure feudali Longobardico a Capitaneis seu valvasoribus majoribus feuda accipiebant valvasores minores, & ab his iterum valvasores minimi vel valvasini) secundum

dum usum Hollandiæ & vicinarum gentium, ignotam esse docet, ac tantum vasallum, qui a Comitatu Hollandiæ feudum tenet, subfeudum dare posse, ulteriorem vero subinfeudationum progressum non admitti, teste Hugone Grotio. Ab hoc tamen p. 646. n. 73. in eo dissentit, quod feuda Hollandica ad dominum directum reverti statuat, si decimum cognationis gradum deficere contingat. Istam enim sententiam ostendit falso niti fundamento, quasi & allodialium successio ad eum gradum coarctata sit; quam successio- nis intra gradum decimum restrictionem neque juri civili, neque moribus Hollandiæ respondere, post titulum *ad Senatus C. Ter-* p. 602. n. 22. *tull.* probaverat. Totum jus successionis feudorum hæreditario- p. 648. n. 79. rum in Hollandia eo videtur ipsi redire, ut primo lineæ, dein gradus, tertio sexus, quarto ætatis ratio habeatur. Cui consequens esse dicit, ut filius secundogenitus potior sit nepote ex filio pri- p. 647. n. 76. mogenito, sed & nepos ex filio secundogenito natu major, veluti viginti annorum, præferatur in avi defuncti feudo nepoti ex filio primogenito natu minori, veluti annorum decem; denique filius natu major sororis anteponeendus sit filio fratris natu minori, licet, quod ad hoc ultimum attinet, contra placuerit Ultrajectinis. Ex usu hodierno, usque adeo necessariam esse tradit in feudis Hol- p. 656. n. 98. landicis investituræ renovationem, ut nullus de feudo litigare possit, nisi petita investitura, quam & ideo dominus directus & actori & reo indulgere soleat, salvo tertii cujuscunque & suo jure. Ratione laudimiorum, quæ in recognitionem domini directi, per va- p. 659. n. 106. fallos investituram obtinentes, pendi solent domino, nec non curialium, quæ solvuntur ministris curiæ investituræ vacantibus, talem in Hollandia consuetudinem esse refert, ut feudum magnum aut medium per renovationem accipiatur, præstitis laudimiorum nomine decem florenis, parvum vero præstita unius anni pensione; quod autem ad curialia sive curiæ jura attinet, debeantur pro feudo magno floreni viginti duo cum stufero (*stuyver*) pro medio floreni decem, pro parvo quinque. Quænam vero feuda dicantur magna, quænam media, quænam parva, fusius eodem in loco exponit. Etsi olim in Hollandia & vicinis regionibus, feu- p. 661. n. 109. dis quoque obligatio ad servitia militiamque adjuncta fuerit, tamen temporibus Caroli V. feuda magis allodiis hac in parte cœ-

p. 998. n. 14. pisse adæquari commemorat, adeo, ut servitia aut militia jam a longissimo tempore non inveniantur vasallis feudorum intuitu indicta fuisse, ac proinde negari haud posse, quod, si non expressa dicti Imperatoris constitutione, usu certe inveterato, ab illo servitiorum onere jam sint immunes. Furti actionem pœnalem contra furis hæredes competere statuit, non solum, si ex dolo defuncti aliquid ad ipsos pervenit, & si lis cum defuncto sit contestata, sed & si tutor res pupilli surripuerit; tunc enim mortuo tutore, uti cæteras actiones, ita & furti actionem, contra hæredes tutoris datas fuisse, contendit, quia a seipso tutor exigere debuisset, sibi que solvere, *L. 9. §. f. L. 10. ff. d. tut. & ration. distrab.* Ad titulum *de Questionibus* graviter de illarum justitia atque æquitate differit, multisque rationibus ostendit, quod, si circumspectius, si tardius, si non nisi pene probato crimine, ac reo gravissimis præsumptionibus onerato, judex tormenta decreverit adhibenda, nihil profus in illis deprehendi possit iniqui, quod non in carceribus, in testibus, in instrumentis, in jurejurando, in sententia ferenda, in ipsa confessione liberrime emissa, aliisque extra omnem injustitiæ & iniquitatis controversiam constitutis, æque locum sibi vindicet; ac proinde nullam satis urgentem rationem suppeteret, cur confessioni per hujusmodi tormenta, cum moderamine adhibita, primitus extortæ, deinceps vero citra cruciatus renovatæ, magis, quam aliis legitimis probandi modis, fides esset deroganda. Atque hæc ex tomo undecimo operis hujus excellentissimi speciminis loco recensita suffecerint.

Medaillen-Cabinet Ernestinischer Haupt-Linie &c.

hoc est

SAXONIA NUMISMATICA LINEÆ ERNESTINE Pars Prima, Autore WILHELMO ERNESTO TENTZELIO.

Sumtibus Christiani Wermuthii numismatum Sculptoris. Prostat Francofurti ad Moenum apud Knochium, & Lipsiæ apud Stockium, 1705. in 4.

Constat Alphab. 1. plag. 9. & tab. æneis. 15.

PRimam partem Saxoniae Numismaticae ab Amplissimo Tentzelio nuper admodum evulgatam, & a nobis in his Actis superiori mense Julio p. 289. f. recensitam, prima nunc Lineae Ernestinae pars excipit, in cujus prooemio quaestionem Autor tractat curiosam, *quenam vetustissima sint numismata Saxonica?* Ubi aliter respondendum esse dicit, quando numismata sensu nominentur arctiori, quae iconibus elegantioribus aliisque scitissimis figuris puro auro argentoque expressa sint; aliter ampliori, cum quicquid est nummorum mnemonicorum subintelligatur. Illa vix reperiri perhibet Ernesto Albertoque antiquiora: haec autem, si Spangenbergio fides, longe majorem omnino vetustatem sapere, & eorundem primordia a braectatorum, qui vocantur, nummorum usu derivanda venire statuit, quos inter plures olim ad facti alicujus publici, structuraeque, cum primis Ecclesiasticae, similiumque rerum memoriam pertinuerint. Cujusmodi nummum & recentioribus temporibus inter solidos Saxonicos sub grossi forma reperiamus, una parte scutum Saxonicum praeferentem, cum inscriptione, HILF SANCT ANNA, h. e. *Adjuva Sancta Anna*; altera Electorale, cum inscriptione: MATER. DEI. MISERERE. MEI. Existimat igitur, grossum illum Fribergae cusum, consecratumque sive in genere cultui S. Annae matris Mariae, Christique aviae, sub seculi XV finem in Saxoniam inducto, sive in specie aedificio capellae S. Annae Fribergensi, ubi pentaclivio virili rhythmus integer ligno incisus conspiciatur, cujus initium nummo impressum sit: *Hilf S. Anna du Gerechte, Mit allen deinem Geschlechte, Amen*, h. e. *Adjuva S. Anna justa cum omni tua cognatione, Amen*. Quod si forte quis opponat elegantissimum aureum argenteumque numisma, cujus antica sistat S. Elisabethae effigiem cum corona peploque, & inscriptione: ELISABETA. FILIA. ANDREAE. REGIS. HUNGARIAE. OBIIT. MARBURGI. ANNO. M. CC. XXXI. postica Hospitalis Marburgensis Ecclesiam ab ea fundatam, & in circuitu verba Psalmi CXII: DISPERSIT. DEDIT. PAUPERIBUS. JUSTITIA. EJUS. MANET. IN. SECLUM. SECLI. respondet, falsum esse hoc numisma, neque ducentos adhuc annos superare, quoniam alia ejusdem scripturae, modi & typi, in Maximilianum I. & Carolum V.

retroque in Carolum M. aliosque Imperatores & Reges facta fuerint, omnia ab uno Judæo aurifabro elaborata, & alio forsan tempore occasionem datum iri sperat, qua singularem hanc fraudem ulterius possit detegere. Cæterum ad calcem subnectitur Caroli Gustavi Heræi, Consilarii Aulici Schwartzburgici, epistola, qua is primæ partis Lineæ Albertinæ numismata annotationibus quibusdam illustrat, eque nummophylacio suo sex alia cum Tentzelio communicat, in supplementum aliquando proditurum differenda. Spondet insuper Amplissimus Tentzelius, quod opere hoc Numismatico absoluto, omnes tam Ecclesiasticos quam Politicos Ministros Saxonicos, quotquot numismatibus innotuerunt, singulari fasciculo velit comprehendere, adeoque rogat præcipuos in Aulis Saxonis Status Ministros aliosque ex antiquioribus Nobilium Familiis oriundos, ut, quicquid de Parentum Avorumque vita ac numismatibus fervent, sibi ad describendum formandumque gratiose & benevole concedant, ne debita operi perfectio curaque desideretur.

Sed ut ad rem ipsam deveniamus, quatuor hæc pars Electorum numismata repræsentat, ERNESTI puta, FRIDERICI III, JOHANNIS & JOHANNIS FRIDERICI, in cujus sorore, MARIA, fratreque JOANNE ERNESTO, clausulam facit. ERNESTI duo tantum affert numismata, alterum quod ejus effigiem ex una, & ex altera Alberti faciem refert, idque in fraternæ divisionis memoriam excusum fuisse conjicit, quanquam & cuilibet liberum relinquat, ut, cum nomina adjecta non legantur, effigies has Friderico Electori Ducique Johanni tribuat. Secundum Ernesti iconem, habitu Electorali splendentem, exhibet, aversa vero pars vitæ curriculum paucis comprehendit, istudque ex Wermuthianis numismatibus petatum est. FRIDERICI III, qui Sapientis cognomen merito tulit, numismata viginti quatuor recenset Tentzelius, e quorum numero prima & primaria illa sunt, in quibus se *Sacri Romani Imperii Locumtenentem Generalem* Elector nuncupat, quem titulum nonnisi ab A. 1507, quo eundem hoc ipso axiome Maximilianus I. Imperator in Comitibus Ratisbonensibus mactaverit, ad annum usque 1519, quo Imperator modo laudatus obierit, gessisse eum monet, atque illos accurate

refutat, qui ad vitæ usque finem hunc ab ipso fuisse adhibitum contendant. Carolum certe V. Imperatorem hoc eum elogio nunquam dignatum esse, ostendit. Notatu dignum illud quoque numisma videtur, in quo ejus collari insculptum cernitur nomen IHS. MARIA, quod tamen illo tantum tempore, quo Pontificiæ adhuc Ecclesiæ addictissimus fuerit Fridericus, non autem postea, cum ad Evangelicæ veritatis agnitionem pervenisset, ipsi arripisse observat. Ab A. 1522. nummos Fridericianos ambiisse ait hanc inscriptionem: VERBUM. DOMINI. MANET. IN. ÆTERNUM, eodemque anno verba memorata, vel potius eorum literas initiales, manicis quoque primum innexas fuisse addit. Literas C. C. N. S. quæ passim in nummorum, tunc temporis cuforum, angulis compareant, more consueto sic exponit: *Cruce Christi Nostra Salus*. JOHANNI Electori septem tribuit numismata, e quibus ullum, & memoriale quidem, ante annum 1530. cufum fuisse negat. Licet enim aliqui huc referant aurea illa vel argentea, quæ pestem, ut velint, Wittebergæ anno 1527 & 1528 grassantem, respiciant, unoque latere serpentem æneum, altero Christum crucifixum exponant, cum dictis Biblicis illuc spectantibus; nihilominus tamen, quoniam nec Joannis Electoris nomen, nec illius insignia ibi conspiciantur, omittere eadem consultius duxit; cum sine dubio pertineant ad alia sacra profanaque numismata, quæ isto tempore a sculptoribus proprios in usus elaborata, magno adhuc numero hinc inde asserventur. E gentinis vero Johanneis istud imprimis notari meretur, quod peculiariter respicere censet speratam quidem & ab Imperatore promissam, dehinc vero negatam feudorum concessionem, quod Tab. V. num. 3. delineatur, & p. 56. f. declaratur. Circa nummos, in quibus effigies Electoris Ducisque Johannis Friderici appareant, in superiori vero aversæ parte epulum Herodis proponatur, & in inferiori Johannis decollatio, cum perigraphæ: *Johannes strafft den Ehebruch Herodis, drum must er sterben, Marci VI*, quod est: *Joannes reprehendit Herodis adulterium, propterea morti traditur, Marci VI*, hoc observat, quod Joannes Elector, ex Comitibus Augustanis reversus, hanc posticam iconibus istis addi forte curaverit, in memoriam tam frustra speratæ investituræ, aliarumque ob religionem illata-

rum afflictionum, quam colloquii præsertim memorabilis, die decollationis Joannis, Augustæ cœnando cum Henrico Brunsvicensi alisque magnæ dignitatis convivis habiti. At insuper tamen aliis expendendum altius relinquit, annon fama jam tum inter homines clanculum sparsa fuerit de furtivis Henrici, Ducis Brunsvicensis, amoribus cum Eva Trotina, ut Johannes Elector illum familiariter in cœna supra dicta monuerit. Cum enim isti magis posthac erumpentes in publicam vergerent criminationem, non septem solum infantes nominabantur, quos Dux cum Eva post fides illi habitas exequias genuerit, sed is etiam accusabatur, quod antea, illa adhuc in Gynecæo inter virgines versante, aliquot infantes ex eadem susceperit. Quos si quis computaverit, facile hujus rei initium in annum 1530, imo citius, poni posse innuit. In ultimo Johannis Electoris numismate, inscriptionem hanc, tanquam memoratu dignissimam, observari jubet, in qua JOHANNES. PATER. ET. JOANNES. FRIDERICUS. Filius. EVANGELII. CONFESSORES. INVICTISSIMI vocantur. In postica summus Pontifex Hannas throno insidet, ante quem Petrus Apostolus cum tribus aliis personis stat, pons quos clypeolus numero 32 signatus jacet. Perigraphæ ex Actis Apostolicis desumitur: ET. LOQUEBANTUR. SERMONEM DEI. CUM. FIDUCIA. ACTOR. 4. Re diligentius expensa, non adeo absurdum reputat, si quis numero illo breviato 32, tantum annum, quam Evangelicorum Confessorum numerum notari dixerit. Quid? si Episcopus in throno sedens Archiepiscopum Moguntinum, tanquam mediatorem præcipuum, & qui ante ipsum stant Confessores, quadruplices ex Electorum, Principum, Comitum, Civitatumque numero Protestantes significant? Ad Apostolos enim applicationem commode fieri non posse censet, cum, testibus Actis Apostolicis, non quatuor, sed bini tantum Petrus & Joannes, qui claudum sanaverant, ante summum Pontificem Synedriumque Judæorum constituti fuerint.

Sed partem Tomi hujus secundi potissimam conficiunt numismata JOHANNIS FRIDERICI Electoris, quorum omnino sexaginta numerantur. Singula autem commemorare uti nostrum haud est, sic aliqua dedisse e præcipuis suffecerit. Vulgari-

ris quidem thalerus est, quem sub Tab. VIII. finem num. 3. Noster affert, una ex parte Johannis Friderici Electoris, altera Georgii Ducis imaginibus, titulis insigniumque scutulis signatum. Noluit tamen eundem silentio prorsus involvere, quia mysterium malumque omen nonnulli in eo quærunt, quod gladius Electoris quasi fractus videatur. Equidem qui novit, quanta facilitate inferiendis monetis fiat, ut ferrum paulisper dimoveatur, eum nulla heic admiratione digna judicaturum autumat. Si quis autem, quæ olim cum Imperialibus Cromwellianis, & cum Hannoveranis monetis, quæ duas thaleri tertias seu sedecim grossos valent, aliisque ejusmodi monetis vulgata sint, huc conferre voluerit, eum sensu suo abundare permittit, majoris momenti reputans, quod A. 1695 Electoris hujus imagini, quæ picta in tabula lignea reperitur in conclavi Ecclesiastico Ducali Vinariæ, acciderit. Eam quippe die conversionis Pauli, durante concione, subito fragore totam perruptam fuisse refert, gladio Electorali illæso manente, prout ipse viderit, & Müllerus in Annalibus suis prolixè exposuerit. Tab. X. num. 4. 5. 6. 7. quatuor affert ejusdem magnitudinis numismata, quorum lemma unum est: GOT. STRAFT. DAS. UBEL, *Deus punit malum*; in postica vero modo hæc comparet inscriptio: DRVM. BIN. ICH. Herzog. HENRICH. Von. Braunschweig. VERDRIBN, i. e. *Propterea ego, Henricus Dux Brunsvicensis, ejectus fui*; modo ista: DRVM. HAT. MEIN. HAVS. EIN. BOSEN. GIBEL, i. e. *Propterea domus mea fastigium habet malum*; modo quatuor inter scuta hæc leguntur: GOT. HILFT. AVS. NOT, *Deus ex periculo eripit*; modo sequentia: NOLI. PECCARE. DEVS. VIDET. Singula hæc respicere observat felicissimam illam expeditionem, qua Elector cum Hassiæ Landgravio Henricum, Ducem Brunsvicensem, invadens, totum ejus Ducatum duorum mensium spatio occupaverit. Numisma, quo A. 1545 ante expeditionem Henrici Ducis, Pontificii elatum suum animum publice significarint, & quem sub anni finem Lutherus in literis ad Electorem Saxoniam, Landgraviumque datis, ac Tomo VIII Altenburgensi fol. 465 relegendis descripsit, nunquam se suis usurpasse oculis fatetur, at varia tamen occasione belli Smalcaldici cusa indicare haud omittit. Neque in allegandis iis

uspianam defecit, quæ Joannis Friderici Electoris captivitatem pariter ac subsecutam tandem e custodia liberationem, pro fundamento agnoscunt. Quâ occasione commentum istud perridiculum explodit, dum insignem Hispani ostendent ocream, Johanni Friderico in captivitatem abducto exutam, in qua eques cum toto corpore locum inveniatur, quamque aliqui in Cimeliarchium Electorale Bavaricum Monachium translata somniant. Cæterum si quis curiosus fuerit sciendi, quorsum altera Electoris ocrea pervenerit, eum ad Cimeliarchium Gothanum ablegat, ubi illa monstratur, inusitatae quidem amplitudinis, non tantæ tamen, quantam Hispani jactent, ut totus eques, sed puer tantum quinque vel sex annorum illa se abscondere queat. Tenui eam constare innuit corio fusco, ut facile complicari condique possit, unica tantum solea, non calcaneorum, quali hodie utamur, fulcimento. Electoris in maxilla sinistra cicatricem, e pugna Mühlbergensi reportatam, & post in diversis numismatibus expressam, p. 189 seqq. considerat. Titulum *nati Electoris*, quo ultimo vitæ tempore Johannes Fridericus usus fuerit, non Electorem nude se appellans, p. 200 seq. probe attendi cupit, & quid ob eundem monuerit statueritque Elector Augustus, p. 209 enarrat.

His aliisque latius deductis, sub finem nonnulla differit, primum de MARIA, Joannis Friderici Electoris sorore, eodem patre genita Johanne Electore, sed matre diversa e domo Anhaltina, Philippo inde Duci Pomeraniæ conjugio sociata. Hujus effigiem in nummo A. 1545 cuso apparentem sistit, istumque summi gaudii testandi causa, ob auctam tunc tertio filio Principe familiam, prodiisse conjicit. Copulationem Mariæ hujus cum Philippo Duce Lutherum peregrisse, unoque ex annulis sponsalibus e manu sua excidente, ipsum paulo commotiorem dixisse refert: *Hörstu Teufel, es gebet dich nicht an, du wirst nichts ausrichten! Heus Satana, hac nihil ad Te, ne quidquam efficies!* ad Sponsos vero conversum: *Wachset, und euer Same müsse nicht untergeben! Crescite, & semen vestrum non deficiat!* Ast eventum nihilominus docuisse animadvertit, centum annis post, Ducum Pomeraniæ familiam plane exaruisse. Sorori Joannis Friderici ejusdem fratrem associat, JOHANNEM ERNESTUM, Coburgensem, cujus diem

emortualem, de quo hactenus disceptatum fuit, in octavum Februarii collocandum venire demonstrat.

HUMFREDI HODII LINGUÆ GRÆCÆ PROFESSORIS Regii & Archidiaconi Oxon. de Bibliorum Textibus Originalibus, Versionibus Græcis, & Latina Vulgata, Libri IV. Præmittitur Aristeæ Historia Græcæ, & Latine.

Oxonii e theatro Sheldoniano, 1705. fol.

Constant Alphab. 8.

Viginti anni sunt, ex quo Autor Reverendus, quem plurima alia scripta celeberrimum reddidere dudum, edita contra Historiam Aristeæ Dissertatione, a nobis in Actis nostris A. 1686 p. 205 recensita, in republica litteraria nomen sibi primum parare cœpit. In libri istius præfatione, tres alios libros de versione LXXviri promiserat, quorum tamen editionem varia, quibus inde distractus fuit, negotia ad hoc usque tempus distulere. Factum interea est, ut vir magnus Isaacus Vossius, in appendice Observationum ad Pomponium Melam, paulo acerbius Aristeæ fidem contra doctissimum Hodium defenderet: quod tanto magis accendere debere videbatur eum, ad maturandam editionem librorum cæterorum, & vindicias parandas. Verum impediri se variis studiorum vicissitudinibus hoc facilius passus est, quod, utcumque Vossio visum fuisset, viros tamen passim doctissimos allatorum a se argumentorum vim sentientes invenerit, Menagios, Pagios, Allixios, Pikios, & Dupinium imprimis, qui omnia argumenta sua contra Aristeam Dissertationi præliminari in S. Scripturas inseruerit, suppresso licet, quod paulo ægrius ferre videtur, Hodiano nomine. Equidem in operis de Scriptoribus rerum Ægyptiarum libro IV, ante annos non adeo multos, Vossio satisfacere ipsi quoque fuerat constitutum, idque aperte præ se tulerat in Prolegomenis ad Malalam §. 13. Sed tamen istud quoque institutum nova impedimenta denuo interverterunt, id agentibus fatis, ut hæ ipsæ vindiciæ suo denique loco, hoc est in diutissime expectato opere, quod nunc ob oculos habemus, conspicerentur.

In eo primo loco ipsa Historia Aristeæ comparet, ad fidem

nuperrimæ editionis Oxoniensis impressa, cum vel lectiones diversas vel notas confarcinare, ad Scriptorem supposititium & nullius pretii, supervacaneum doctissimo Autori visum fuerit. Insequitur Dissertatio contra Historiam Aristæ, quæ primum operis hujus librum absolvit, in paucissimis ab editione Oxoniensi anni 1684 dissidens. Nempe prima duo capita, demtis nonnullis, ut breviora evaderent, in unum contracta sunt; quædam etiam in sequentibus in epitomen fuere redacta, pauculis quibusdam locis textui inspersis; plura in sequentibus capitibus textui subjiciuntur, quæ tum illustrandis olim dictis, tum imprimis Is. Vossii exceptionibus dispellendis inserviunt. Quod enim Vossius v. g. ad argumentum allatum ex *Hermippo*, dicente post *Cassandri* excessum, *Demetrium Phalereum* in Ægyptum demum adventasse, excipit; licet verum hoc esse concedatur, nihil inde tamen confici posse, nisi id solum, quod tempus, quo in Ægypto *Demetrius* fuit, non XXIV, sed XIV vel XV annorum fuerit: ad id respondet clarissimus Autor, imo & hoc, si verum id esse concedatur, inde confici, quod *Hermippus* non erraverit, cujus auctoritatem erroribus imputatis convellere nifus fuerat Vossius. Quod *Antigonus*, cujus metu *Demetrius* ad *Ptolemaum* confugit, fuerit *Antipater*, *Cassandri* filius, qui & ipse *Antigonus* dictus sit, ut visum Hodio, eo impugnat Vossius; quoniam *Antipater* ille *Cassander* potius fuerit dicendus, si binomius extitisset, cum Græci cognomina vel a parentibus vel a præceptoribus acceperint, nec parens autem, nec præceptor *Antipatri Antigonus* fuerit appellatus: id levissimum clarissimo Autori videtur; indita enim a majoribus quoque Græcis nomina fuisse. Sic *Hermodamantis*, qui a majorum uno *Creophilus* appellatus sit, meminisse Jamblichum in Vita Pythagoræ: obstare quoque Vossio nomina *Alexandri Antiochi*, & *Demetrii Seleuci*, qui in Syria, & *Ptolemæi Alexandri*, qui in Ægypto regnarunt. Frequens autem in *Cassandri* familia nomen *Antigoni* extitisse, patere ex eo, quod filia quædam *Cassandri*, fratris *Antipatri*, vocetur *Antigone* apud Schol. Theocriti. Imo & nomen ipsi posse fuisse *Antigoni*, cognomen *Antipatri*, quod habere potuerit ab avo suo *Antipatro*, patre *Cassandri*. Ad argumentum Hodii contra *Aristeam* ex eo desumptum, quod nulla patris *Ptolemæi Lagi* apud

eum sit mentio, responderat Vossius, factum id ideo, quod ille regno se eo tempore abdicaverit penitus: verum & falsum hoc esse observat clarissimus ejus antagonista (eum enim nunquam regnum deposuisse, Dexippi, Eusebii, Africani testimoniis, & aliis quoque argumentis quamplurimis probari) & si verum sit, nullam tamen rationem reddi posse, cur & *Eleazarus* in epistola, & e Senioribus unus viva voce bene precetur *Ptolemao Philadelpho*, & uxori ejus, & sorori, & liberis, & amicis, patris ne verbo quidem facta mentione. Indignum *Demetrio* Bibliothecarii munus non fuisse, Hodio persuadere conatus eo fuerat Vossius, quod in Galliis quoque Archiepiscopus Remensis, Romæ ex Cardinalibus aliquis, isto officio fungatur: respondet iste, a Vossio quidem allegatos Bibliothecarios honorarios esse, nudo insignitos titulo, quales nulli apud veteres fuerint reperti; custodes saltem Alexandrinæ Bibliothecæ ejusdem conditionis cum ordinariis Bibliothecarum præfectis fuisse, a se exemplis compluribus esse demonstratum. Sed omnia percurrere nimis longum; ad partes itaque sequentes, quæ novæ penitus, nobis potius erit festinandum.

In libro itaque secundo de versionis Græcæ, quæ LXX vivalis vulgo dicitur, ætate atque auctoribus prolixa instituitur disputatio. Confectam eam fuisse intra illud biennium, quo cum patre *Ptolemao Lagi* simul Ægypto præerat filius *Ptolemaus Philadelphus*, probabile esse ex eo, quod veterum alii *Ptolemai Lagi*, alii *Philadelphi* regno hanc versionem adscribant, qui hac ratione optime concilientur, ut necesse non sit, cum Junio atque Weemsio statuere, duas diversas sub duobus Regibus istis versiones sacri codicis fuisse confectas: firmare id præterea disertum *Anatolii Alexandrini* testimonium, & ex recentioribus, plerisque & gravissimis scriptoribus, quorum loca adducuntur, hoc placuisse. Petrum Trecensem vero, Eutyrium Patr. Alex. Philonem, Athanasium, autorem Seder Olam, Præfationem Pentateuchi Arabici, Justinum Martyrem, in designanda ætate hujus versionis, multos gravissimos errores commisisse. Versionem hanc neque *Ptolemaorum* autoritate, nec *Demetrii Phalerei* studio esse confectam, sed a Judæis, qui sub *Alexandro M.* & *Ptolemao Lago* magno numero, sive sponte, sive coacti, in Ægyptum de-

c. I.

c. II.

c. III.

venerant, (quod ex Hecatæo & Josepho discimus,) proprio metu, & in proprios usus. Augumenta, quibus *Ptolemæorum* auspicia & *Demetrii* autoritas versioni huic eripiuntur, hæc sunt. 1. quod sola Pentateuchus conversa fuerit; probabile autem non sit, illos historica populi & prophetica oracula, quæ maxime illorum poterant curiositatem allicere, fuisse prætermitturos: quod versio hæc neglecta & ignota semper fuerit ante Christianismum natum Gentilibus, quod pateat ex omnibus illius ætatis scriptoribus profanis, apud quos summa rerum Judaicarum ignorantia; ignotam autem adeo eam manere non potuisse, si tantorum Regum autoritate confecta, ab iis in tanto pretio habitus fuisset. Demetrio & Ptolemæis tribuentes hujus versionis adorationem veteres & recentiores, vel dubiæ fidei esse & suppositivos, vel credulos nimis scriptores. Inter illos etiam ipsius comparat Imperatoris *Alexandri Severi* nomen, in oratione quadam apud *Encolpium*: cujus rei non meminisse non possumus, quod inter nostros non ignotum quidem *Encolpii* nomen, ignotam tamen *Historiam* ejus esse, satis sciamus. — *Encolpium* enim quidem scripsisse illius Imperatoris *Historiam*, ex Lampridio novimus, sed quis nostrum illam vidit unquam? Extat vero inter Anglos versio ex Græco, ut titulus habet, vernacula illius *Historiæ*, a *Thoma Elyoto*, Medico, A. 1549 edita: quam tamen, iudice clarissimo Hodio, non est cur multum Britannia invidiamus. Spurium enim illum foetum manifesta prodere ait indicia. Certissimum saltem esse, orationes, quæ in eo multæ habeantur, ab ipso *Elyoto* esse confictas; ejus enim ingenium & orationes confingendi consuetudinem ex aliis ejus scriptis sibi satis esse exploratam. Sed ad versionem nostram redeundum. Eam jam porro confectam docet non ab Hierosolymitanis, sed Alexandrinis Judæis. Certe enim opus non fuisse, ut Hierosolymis exemplaria & legis interpretes accerferentur, quorum inter tot millia Judæorum Alexandrinorum insignem copiam fuisse, necesse sit. Præterea dialectum hujus versionis esse Alexandrinam, quod fateatur Lexicographus Græcus Parisius A. 1532 a Mich. Vascosano editus. Siculum Hebræorum eos didrachmum vertere, non Atticum intelligentes, sed Alexandrinum, quod ex Josepho Ant. III, 9. & Hieronymo

c. IV.

nymo

onymo ad Ezech. IV pateat. Vocem Ebraicam **תִּמְמִין** more Ægyptiorum **Θιϕι** proferre. *Thummim ἀλήθειαν* vertere; id enim Ægyptium quoque esse, ut dudum monstravit Spencerus de Urim & Thummim c. 4 §. 12. *Josephi* nomen a *Pharaone* ipsi datum **Ψουδοϕανήχ** efferre, inflexo nomine ad usum Ægyptiorum, qui tum obtinebat. Ægyptium quoque esse, quod **Ρεϕαν** Amos. V, 26 ponitur pro Ebr. **רִפְּיָן**. *Ciun* enim, h. e. *Saturnum*, Ægyptiis *Rephan* dictum, idque patere ex Coptica Tabula Planetarum in Prodromi Copti c. 5 p. 147. Taceo cætera a doctissimo Autore observata linguæ Ægyptiæ vestigia. Id quoque, quod tanta fuerit Judæorum hujus versionis averfio, ut jejuno infauftam ejus confectæ declaraverint memoriam, argumento esse, a Judæis Hierosolymitanis eam profectam non esse. Quin & diferta loca Talmudica eam Alexandrinis tribuere. Nec Aquilam Judæum novam versionem Græcam fuisse moliturum, si istam ab Hierosolymitanis Presbyteris esse credidisset. Numero LXXII fuisse, plane absolum videri; quid enim eum numerum suafisset? esse hoc commentum ex affectatione Judæorum illius numeri, in aliis quoque rebus conspicua. Nec fuisse eos, qui in Synedrio confidebant: quid enim incredibilius, quam toto Senatu suo gentem fuisse spoliatam, in Ægyptum scilicet commigrante? Nec LXXII fuisse **συνέδρους**, verum LXX tantum. Quin & esse ex antiquioribus & recentioribus, qui a paucioribus versionem factam dicant, Talmudistas Hierosolymitanos in Mafsecheth Sopherim, Leusdenium, Simoniam. De Judæis quibusdam celebrioribus, qui in isto numero interpretum fuisse dicuntur, Eusebio, Aristobulo, Simone Justo, Jesu Siracida, Daniele Propheta, Philone, Ezechiele Tragico, incerta esse omnia, & maximam partem manifeste falsa. Judæos Alexandrinos ægre ferentes, discrepantias suæ versionis ab Hebraizantibus passim notari, XL circiter ante Christum natum annis, Divino afflatu eam confectam esse, fingere cœpisse, idque Philoni jam fuisse persuasum, ut pateat ex Lib. 2. de Vita Mosis p. 510. Inde paulo post Philonis tempora, fabulam aliam de LXXII cellulis natales suos accepisse. Hanc triplici argumento destrui, primo autoritate adversa Aristoteli, cujus fidem alias agnoscant adversarii: secundo ex dissen-

c. V.

c. VI.

su

p. 156.

c. VII.

c. VIII.

c. IX.

su veterum, quorum alii LXXII cellulis singulos interpretes, alii XXXVI binos semper incluso tradant: tertio ex Philonis Judæi silentio: & quarto ex Prologo Ecclesiastici, ubi affirmetur, Scripturarum interpretationem eodem modo, quo aliæ versiones solent, a textus originalis excellentia defecisse. Heinsii conjecturam circa originem fabulæ de LXXII interpretum totidem cellulis selectorum consensu, propositam in Aristarcho I, 10, minime esse probabilem: tametsi eam & Rivetus, & Weemsius, (qui eam quidem non Heinsio, sed Josepho Scaligero perperam adscribat) Fridericus insuper Spanhemius, nec non Hottingerus, velut sagacissimam ac admodum plausibilem commendent. Supponere enim eam perperam, quod fabula de afflatu Divino interpretibus Græcis præstito, & de numero interpretum septuagenario, & de cellulis diversis, uno tempore orta sit, & alia absurda minimeque probabilia continere. Unice igitur hanc fabulam natales debere eorum studio, qui Divinam hanc versionem credi cupiebant. Simile quid vero de Poëmatum Homericorum correctoribus finxisse Græcos, eamque in rem fragmentum ineditum Stephani Grammatici adducitur. Non totam autem sacram Scripturam a primis illis interpretibus fuisse translata, sed *Pentateuchum* tantum, idque ipsius Pseudo-Aristeæ, Josephi, Philonis, Aristobuli, Rabinorum, Hieronymi &c. constare testimoniis, quæ prolixè contra dissentientes vindicantur. Præterea *solam Legem* illis temporibus in Synagogis lectam fuisse, & separatim ab aliis libris prostitisse. Librum *Josue* post *Ptolemei Lagi* demum fata eum translatum, ex voce *γαισός* constare, quam Gallicam origine, diu post ejus tempora Græciæ civitatem indeptam esse, fuse & erudite monstratur. *Libros Propheticos* cum *Esthera* & aliis quibusdam, sub *Ptolemeo Philometore* habitum Græcum induisse. Occasionem fuisse eam, quod *Antiocho Epiphane* Legis lectionem Judæis in patria sua prohibente, Prophetas loco ejus illi in Synagogis legere occiperent, idque imitatos Alexandrinos Prophetarum versioni operam navare cœpisse. *Antiochum* nempe illum Syriæ a V anno *Ptolemei Philometoris* ad ejus annum usque XVII præfuisse. Probabile hoc reddere Alexandrinorum Judæorum eo tempore summam cum Palæstinis æmulationem, quo & *Oniticum* templum construxerint: item quod auctor Chronici *Seder Olam Zuta* referat versio-

nem Legis ad annum Græcorum 140: quod Anatolius inter Legis interpretes *Aristobulum* referat: quod ad *Onia* Sacerdotis S. ætate m. quidam hanc versionem rejiciant; hæc omnia enim in *Philometoris* incidere tempora. De *Estheræ* libro id evincere argumentum *Usserii* de LXX Interpr. p. 22. Ad id, quod objici ex *Siracidæ* præfatione poterat, respondendum esse, sermonem ejus pertinere non ad *Evergetem* seniore, sed posteriorem, *Philometoris* successorem. *Librorum Samuelis* interpretationem *Philone* esse antiquiorem, a quo citetur in lib. de Nominum Mutat. p. 826. *Judicium* autem librum ejus ætate nondum Græce versum fuisse, inde patere, quod in lib. de Confus. Lingu. p. 339 locum ex illo libro alleget, in quo versionem Græcam non exprimat. *Jobum* contra & *Psalms* ante *Philonem* translatos esse evincitur, quia eorum versio ab eo citatur. Denique hoc saltem, quod neque unus totam Scripturam, neque plures communi consilio atque consensu interpretati fuerint, eo probari firmiter, quod summa sit in modo interpretandi disparitas, non in diversis tantum libris, verum & in singulis, ut in uno adeo pensa diversis interpretibus distributa fuisse pateat. Ita nempe easdem voces Hebraicas in locis diversis diverse exprimi: eadem virorum, gentium, & locorum propria nomina diversis vocalibus animata legi: in aliis locis non declinari, in aliis contra, Græca accepta terminatione, inflecti: in aliis locis locorum & gentium nomina Hebræa, Græca in aliis poni: animalium, arborum, lapidum, mensurarum, ponderum nomina diversis & contrariis vocibus passim reddi. Cujusmodi discrepantiarum catalogo texto bene longo, Libro quoque secundo isti corona imponitur.

Libro tertio, quæ fuerit vel Hebræi textus, vel versionum Græcæ & Latinæ, per omnia retro secula autoritas, ostenditur. Ubi Parte prioris libri de textus Ebræi maxime, versionisque Græcæ a- L.III.P.I. c. I. gitur autoritate, & primo quidem Judæorum antiquissimorum de illis sententia repræsentatur. Ipsos igitur *Judæos Hellenistas* primas textui Hebræo detulisse probatur, idque ex præfamine Ecclesiastici; fabulam de Divinitate versionis Græcæ, post demum invaluisse. Apud *Hierosolymitanos* vero Hebræi textus summam fuisse autoritatem, clarius etiam liquere. *Josephum* eum secutum esse, contra *Salmasium*, *Bochartum*, *Capellum*, alios monstratur.

Judeos tamen Hellenistas Græcam omnino versionem in Synagogis legisse, contra Lightfootum evinci ex Tertulliano Apolog. c. 18, Justino Cohort. ad Græc. p. 14, Apol. II pag. 72. Dial. cum Tryph. p. 297. sq. Gemara Hieros. tr. Sotah c. 7, & ex Philonis scriptis. Salmasium errare, per *Hellenistas* Profelytos tantum intelligentem, negantemque Judæos genere & natalibus, in Græcis urbibus dispersos, versionem Græcam in Synagogis legisse. Nullam de discrepantiis versionis Græcæ a textu Ebræo controversiam motam esse, ante circiter initia seculi secundi. Philonis enim tempore ea de re nondum esse disputatum, patere ex L. 2. de Vita Mosis p. 510, nec Josephi, qui passim etiam elogiis Græcam versionem ornet. Christianorum invidia hunc scrupulum ipsos Judæos Hellenistas movisse, idque ex Justino maxime firmari, Aquilæque historia, variisque Hieronymi locis, quibus recentiorum Judæorum testimonia accedunt. *Christum & Apostolos*, nullo habito discrimine, Ebræum Græcumve textum allegavisse: qua quidem occasione Hieronymi omnia adducuntur loca, quibus Hebræa sequi Christum Christianique sequaces agnovit; quibus subjicitur catalogus aliorum quorundam, ubi Hebræa eos exprimere ipse agnoscat Capellus, cujus tamen errores quidam circa ea taxantur, & supplementa locorum nonnullorum præterea ab Usserio ipsoque Autore observatorum adduntur. Cum tamen Hieronymus in quibusdam locis tueatur, Christum & Apostolos nunquam Græcam versionem sequi, ubi recedit a textu Ebræo, in aliis contrarium acriter defendat, res illa accuratius excutitur, repetunturque ejus rei gratia conciliationes quas clarissimus Pocockius in Porta Mosis tentavit. Subjiciuntur inde alia loca Pocockio non tentata, quorum partem *manum conciliatricem omnino fugere*, clarissimus Autor agnoscit: illis tamen quæ Capellus attulit, ut priorem sententiam Hieronymi defendat, respondetur. Apostolicos viros Septuaginta-viralem versionem plerosque allegasse, eam cum Ebræo textu raro comparare, ut adeo diserta testimonia pro majore hujus vel illius autoritate, rariora etiam compareant. Vexatum tamen illum Ignatii locum, in epistola ad Philadelphenses §. 8. huc forte pertinere, eumque ita esse explicandum, ut velit Ignatius: *Non debere esse quenquam contentiosum; audivisse vero sese dicentes, quod*

Evangelio nolint credere, nisi èν δεχάοις in archivis V. T. hoc confirmatum invenirent. Dicente vero se quod in illis archivis reperiat, annuisse eos ότι πρῶτα quod manifestum hoc sit. Succedunt inde cæterorum Patrum Græcorum, usque ad Nicephorum Callistum, de autoritate textus Hebræi & Græci testimonia, quæ singula percurrere, variarumque occasione eorum observationum mentionem facere, prolixum nimis & a scopo nostro esset alienum.

c.IV - X.

In parte altera libri hujus tertii, de antiqua versione *Itala*, primum agitur, ostenditurque Patribus, qui ea usi fuerunt, potiorrem fuisse *Hebræi* textus & *Græci* N. T. autoritatem. Inde historia versionis ab *Hieronymo* susceptæ textitur. Eum, quod caput est, Autor monstrat ipsum fateri, se in quibusdam errasse: versionem *Græcam* *Ebræo* textui longo intervallo postposuisse: scripta vero ejus, quibus neget corruptos *Judæorum* codices, tempore posteriora esse iis, quibus id affirmet. Versionem illius ex *Hebræo* a *Damaso* Ecclesiæ non fuisse commendatam; *Ruffinum* etiam & *Augustinum*, non nimis præclare de ea sensisse, qui tamen textui *Hebræo* nuspiam derogent, sed primas ei decernant. Inde seculo V multos *Hieronymi* versionem nondum recepisse, laudasse alios, sed originalibus non prætulisse. Seculo VI & VII quoque non omnes ubique eam secutos esse. Seculo autem VIII *Alcuinum Caroli M.* rogatu eam totam correxisse, & *Carolum* in epistola, ab eo una cum Clero Gallicano *Hadriano I* Papæ contra Concilium Nicænum II oblata, taxare illud Concilium, quod ex versione *Vulgata* adduxerit quædam in *Hebræis* non obvia: nec *Papam* in responsione *Hebræos* codices propterea reprehendere ausum. Seculo quoque XII correctam diligenter a quibusdam versionem Latinam fuisse, in primis a *Stephano Cisterciensi Abbate*, indeque *Correctoria* Bibliorum nata; ea vero non exemplarium emendationes, sed correctiones ad fidem originalium fuisse, idque ex *Lyrano* patere, a quo *Hebræus textus* & *libri correcti* passim jungantur. Seculo XVI etiam, post cœptam jam reformationem, in crassissima Scripturæ ignorantia, repertos tamen inter ipsos Pontificios esse, qui sane de versionibus, *Vulgata* maxime, sentirent. Utque cæterorum hujus seculi testium nubem omittamus, ipsum *Papam Clementem VII* sex *Judæis* & totidem

L. III. P. II.

c. I.

c. II.

c. III.

c. IV.

c. V.

c. VI. VII.

VIII.

c. X.

c. XIII.

Christianis Hebraice peritis mandasse, ut novam versionem adorna-
rent, cujus rei mentionem faciant Jo. Campensis in Præf. Psalmorum,
Jo. Cochlæus Præf. in Disceptat. de novis ex Hebræo translationibus,
Steuchus Eugubini. Præf. in Recogn. & Santes Pagninus Præf. ad Vers.
Bibl. De Historia *decreti Tridentini* ex Petro Suavi & Sfortia Pallavi-
cino prolixius repetita nil addimus, nec de Historia editionum Vulgatæ
Sixti V & Clementis VIII, quarum editionum discrepantias innumeras
non tantum in *Bello Papali* Jamesius annotavit, sed potiores quoque in
opusculo Anglico, cui titulus, *de Corruptione Scripturae, Conciliorum
& Patrum*, ad capita quædam reduxit, cujus ordine digestæ ab Autore
quoque hic exhibentur. In editione *Sixtina* plurima loca sine
codicum autoritate, tantum quod *Hebræus* textus ita suaderet, esse
mutata. Revocatam eam non esse, ex *Angeli Rocche* Bibliotheca
Vaticana patere, nec ulli ante editionem *Clementinam* de de-
creto revocationis aliquid fuisse auditum: temere etiam evulgatam
cum Bulla eam non fuisse, morte præveniente *Sixtum*, affirmari,
cum per varias orbis partes fuerit distracta. In *Clementis VIII* edi-
tione, plusquam 2000 loca unice juxta textus originales esse resti-
tuta. Et tamen ipsis apicibus versionis Vulgatæ insistentium esse,
pronunciavisse *generalem Cardinalium Congregationem* an. 1574.
c. XIV. *Decretum Tridentinum* de Textus Hebraici & Versionis Vulgatæ
autoritate, magnas imprimis in Hispaniis excitasse turbas; quam in
rem longa autorum ab utraque parte pugnantium series textitur.
Ex illis autem, qui infano *Vulgate* amore tenebantur, ipsa *Hebraica*
exemplaria corrumpere quosdam ausos esse, idque factum in Bibliis
Regiis Gen. III, 15, ipsummet falsum *Raphelengium*, imo & tale fuisse
Psalterium Hebraicum *Lindano* jactatum, quod Isaacus Levita con-
tra eum ostenderit, & Arias Montanus in apparatu suo agnoscat.
c. XV. Ex *Protestantibus* quosdam plus justo contempsisse *Vulgatam*, candi-
de tamen & moderate alios de ea sensisse; quorum loca diligenter
colliguntur. *Ludovicum Capellum*, dum varietatem codicum *He-
bræorum* præfervide monstrare satagit, Vulgatæ quoque causam sus-
cipere, eamque ob causam simul & ob antiquitatem punctorum, gra-
ves ei motas controversias fuisse, quarum historia textitur, eaque huic
etiam libro finis imponitur.

L. IV.

Quarto denique libro de *ceteris Versionibus Græcis*, Ori-
ge-

genis Hexaplis, aliisque *editionibus* antiquis agitur. Ostenditur hic, *versionem Græcam LXXvirali antiquiorem*, quam *Aristobuli* auctoritate nonnulli admittunt, extitisse nullam. Falsum quoque præsuppositum esse, *Platonem* nempe ex sacris oraculis quædam decerpisse, quo inductus *Aristobulus* *versionem* illam, nemini veterum cognitam, confinxerit. Nullum certe locum proferri posse *Platonis*, quem ex sacris illis monumentis desumptum liquido constet. Rectiusque sentire Lactantium IV, 2, nihil Philosophos Græcorum a Judæis accepisse statuentem, quam Patres Apologetas, quibus alia sententia defensa, ideo tantum ut contemptum Græcorum, quo prosequerentur Judaicas res juxta cum Christianis, immiuerent. Imo si quid etiam a Judæis profecerint Philosophi Gentiles, ex conversatione potius quam scriptis factum id esse, quæ Augustini quoque de Civitate Dei VIII, II, & Origenis contra Cels. VI sit sententia. *Lagianam & Herodianam* versiones Serario confictas, nullas esse; priorem enim sub *Ptolemao Lago* confectam non aliam esse a *LXXvirali*, *Herodianam* ex metachronismo Justinii Martyris male confingi. Præter *Aquila*, *Symmachi*, *Theodotianis* *versionem*, *quintam* item & *sextam*, *septimam* etiam admittendam esse, quam perperam nonnulli in editionem *Lucianeam* converterint. Diserte ejus post *quintam & sextam*, in H. E. VI, 16. meminisse Eusebium, ex quo colligere etiam sit, eam Hierichunte in dolio Antonini Caracallæ tempore fuisse repertam. Male etiam ad *Psalms* eam tantum pertinuisse credere nonnullos; *Prophetas* enim *minores* juxta septimam editionem allegare Hieronymum. De *Origenis Hexaplis* inde prolixa succedit tractatio, cui cum in plerisque ad rem maxime pertinentibus cum Huetiana de eo argumento commentatione conveniat, plura de ea addere superfedemus. Id tantum observamus, ut specimen discriminis inter editionem τῶν ὀ in Hexaplis & Κοινήν prostaret, clarissimum Autorem discrepantias in *Psalms* & *Esaiâ* observatas hic sistere, ab Usserio quidem etiam, sed minus accurate emendateque minus, repræsentatas. Post *Hesychii & Luciani* novas & correctiores editiones *versionis τῶν ὀ*, satis omnibus notas, *Joannis Josephi* commemoratur editio, Theodorito in Diss. MS. in *Prophetas*, & Quæst. 24 in *Exodum*, item Quæst. 10 in *Josiam* laudata; qui *Josephus* an idem sit cum

L. IV. c. I.

c. II.

c. III.

autore Hypomnestici, aliorum iudicio permittitur. *Basilii* inde editio ex Syncello observatur. De *Arami* vero versione Græca cuius Theodorus Mopsuesten. apud Photium Cod. 177 meminit, clarissimus Autor Allixio & Caveo calculum addit. Hieronymi versionem Latinam non totam a *Sophronio* Græce expressam fuisse, sed Psalmos tantum & Prophetas; multo minus Hieronymianam versionem Græcæ LXXviralis, rursus in Græcam linguam translata, quod Huetio, nec emendatam ab Hieronymo LXXviralem esse, quod Bellarmino aliisque sit visum. *Patrophilum* Hebræas Scripturas denuo Græce vertisse, ex male intellecto Gregorii Laodicensi loco, Sixtum Senensem & Königium temere sibi persuasisse. *Apollinarium Laodicenum* editionem quandam mixtam ex omnibus versionibus adornasse, perperam ex Hieronymo colligide Explanationibus enim eum loqui Apollinarii, in quibus temere & sine iudicio, modo hanc, modo illam versionem sequatur. *Versionem XXX hominum* apud Philastrium Hær. post Chr. 91, confictam esse ab hominibus indoctis, quod in Bibliorum Græcorum marginibus Luciani editio allegaretur, indicio ejus facto littera Græca Λ, quæ numeri tricenarii nota sit. Quid si nos dicamus natum id ex eo, quod in codicibus quibusdam, ubi Aquilæ vel Symmachi vel alterius allegata prius fuit interpretatio, reliqui consenserint τῶν λοιπῶν titulo allegentur, qui littera initiali Λ, cum quandoque minutæ figuræ ο inscribitur, indicatur. Editionem *Heracleensem* non aliam esse a versione Theodotionis, qui ex Ponto ortus fuerit, ubi sita Heraclea. *Græcam versionem ex Pentateucho Samaritica* factam esse, sine idoneis argumentis affirmari & potuisse Patres nonnullos, qui Samaritica allegant, ab ipsis Samaritide illis edoceri. Versionis inde Græcobarbaræ tum Judæorum Pentateuchi, tum totius Scripturæ Cyrilli Lucaris auspiciis concinnatæ, f. mentio. *Macedonicam* Versionem, de qua Galestinus nonnulla cerebri Galestiniani foetum esse. De editionibus hodiernis LXXviralis versionis adduntur multa, ut & de codicibus ejus manexaratis. Postremo de librorum Biblicorum numero & ordine differitur, tabulisque confectis qui ille fuerit, & quæ ejus omnibus seculis tum apud Judæos tum Christianos, sive Græcos sive Latinos diversitas, ostenditur.

c.IV.

ANTONII VAN DALE DISSERTATIO SUPER
*Aristea de LXX Interpretibus, cui ipsius pratensi Aristea textus
 subjungitur. Additur Historia Baptismorum tum Judaicorum,
 tum potissimum priorum Christianorum, tum denique & Ri-
 tuum nonnullorum. Accedit & Dissertatio su-
 per Sanchoniathone.*

Amstelædami, apud Jo. Wolters, 1705. 4.

Alph. 2, plag. 20.

Quæ tot egregia nuper & olim ingenia exercuit, Historia de
 versione τῶν LXX, eam & suis observationibus haud indi-
 gnam judicavit Vir doctissimus Antonius van Dale. Post ea igitur,
 quæ Ludovicus Vives, Jos. Scaliger, Dan. Heinsius, Joh. Wo-
 werius, Rich. Simonius, Jac. Usserius, Brian. Waltonus, Robert.
 Bellarminus, Isaacus Vossius, & quem falso quidem mortuum
 credidit Noster, Humfridus Hody, (at quanti viri?) plenissima
 nobis messe tradiderunt, haud spernendum sibi spicilegium reli-
 ctum existimavit, cui & ipsum Aristææ textum cum versione La-
 tina Garbitii, faciliorem scilicet lectoribus Autorem ipsum cum
 suis observationibus conferendi copiam daturus, subjunxit. Duos
 autem omnino, non unicum, eosque admodum discrepantes Ari-
 stæas fuisse docet: unum quidem Judaicum, quem totum exhi-
 bet; alterum, quatenus ex Epiphaniō potissimum conspici
 possit, Christianum, seu ab homine Christiano quopiam atque
 Hebraice non callente, sed pro versione LXX virali militante com-
 positum. Illum quidem Judæum aliquem Alexandrinum, e nu-
 mero istorum Hellenistarum, qui nobis Apocrypha Tobiae, Judi-
 thæ, similiaque imprudenter obtrudere, sub falsis nominibus cona-
 ti sint, fuisse existimat, Gentilis quidem præ se personam ferentem,
 sed pessime illam, sententiis de Deo plane Judaicis, usuque vocis
 Νόμος, pro legum systemate Græcis ac Latinis plane insolito, sus-
 tinentem, ætate inter Philonem ac Josephum medium; Philonis,
 qui primus forte historiam de LXX Interpretibus publice tra-
 diderit, dicta ulterius adornantem, Josephoque tam lepidam fabel-
 lam perficiendam relinquentem. His expositis, a quonam Pto-
 lemæo adornata fuerit Bibliotheca Alexandrina, an a Lagi filio,
 an

Cap. I.

c. II.

- c. III. an a Philadelpho? primo omnium disquirat: & posteriori quidem institutæ Bibliothecæ laudem, nequaquam vero ista pietatis ac virtutis elogia, quæ ipsi a Philone, Epiphanio, Augustino, ipsoque Aristea tribuuntur, deberi, productis optimorum Autorum testimoniis confirmat. Deinceps etiam Demetrii Phalerei, cujus scilicet egregia in hac versione promovenda tanquam Bibliothecarii opera fuisse perhibetur, considerationem suscipit, ejusque neque tantam pietatem, Divinæque legis venerationem fuisse, quanta ipsi ab Aristea tribuitur, Athenæi testimonio ostendit, neque ipsum omnino eo tempore in aula Philadelphi vixisse, regiave gratia usum fuisse, quo versio facta perhibetur, multo autem minus Bibliothecæ præfectum fuisse, e probatissimis Historicis evincit. Quo loco digressionem factam ad Lipsii Syntagma de Bibliothecis, & Hodii sententiam, de Bibliothecæ Alexandrinæ antiquitate agit, eamque Pergamena posteriorem fuisse, e Plinio, Vitruvio, Strabone atque Scaligero demonstrare conatur. De hujus Bibliothecæ librorum numero, varias Autorum sententias refert. A Demetrio libros sacros e lingua Ebraica, a Philone vero, ex ignorantia patrii sermonis, e Chaldaica vertendos dici; varias etiam variorum, sed minime sibi cohærentes sententias de pretio, quo libros sacros obtinere Philadelphus studuerit, observat. Eandem Scriptorum discrepantiam inter Aristeam, Josephum atque Epiphanium, in Epistolis a Ptolemæo de impetranda hac versione ad Judæos missis, exhibito singularum contextu notat, Epiphaniumque, qui Philadelphi Bibliothecam in Bruchio collocatam asserit, cum omnium Historicorum suffragio destituatur, errasse existimat: qui etiam finem, ob quem Philadelphus sacros sibi libros verti voluerit, verbis ex Aristea talibus probet, quæ aliorum relationi plane non respondeant; e quibus autem satis appareat, Græculum aliquem Christianum sub illo Aristea latere, cum $\pi\acute{\iota}\sigma\iota\varsigma, \kappa\alpha\iota \acute{\alpha}\gamma\iota\omicron\upsilon\tau\omicron\pi\omicron$, quæ voces in Philadelphi epistola occurrunt, sensu mere Biblico hic polleant. Inter plura alia $\acute{\alpha}\sigma\acute{\upsilon}\tau\alpha\tau\alpha$ Aristæ dicta, etiam illud examinandum sibi Autor sumit, quales libros istos 72 Apocryphos simul cum 22 Canonicis Philadelpho a Judæis missos fuisse credibile sit, cum vena intellectus, sapientiæ fons, & scientiæ flumen in istis latuisse dicatur? Et procul dubio Chymicos illos aut Alchymisticos, qua-

quales plures, scilicet Adami, Mosis, Mirjam, Salomonis &c. recen-
set, a Verpulo isto intellectos fuisse credit. In sequentibus Justi-
ni Martyris potissimum narrationem de ista versione sub incudem
κρίσεως suæ vocat, & præter ingentem *ἀναχρησιμὸν*, quo Hero-
dem & Ptolemæum *συνχέουσιν* facit, nullibi ipsum sibi constare,
nec cum aliis etiam convenire, aliter in Cohortatione ad Gentes,
aliter in Apologia rem referre ostendit; frigida esse illa, quæ de
consecratione librorum sacrorum Deo (scil. Serapidi) facienda, pu-
tida, quæ de LXX domunculis, enarrentur, sacroque Scriptore
prorsus indigna declarat. Deinceps occasione pretii ac donorum,
quibus tantum sibi thesaurum redimere voluerit Philadelphus,
quæque ratione bene subducta mille etiam talenta superarint, plus-
cula de ipsius in acquirendis libris rarioribus liberalitate e Galeno
Pergameno differit, imprimis autem Æschyli, Euripidis ac Sophoclis
tragœdias ut describendas acciperet, XV Atheniensibus talenta dedisse
commemorat, simulque trium horum Poetarum insignem apud
omnes antiquos gloriam, tragœdiarum ab ipsis scriptarum incre-
dibilem fere multitudinem, summamque ingenii præstantiam o-
mnibus notam extollit: cum contra libri Judæorum paucissimis
inter Gentiles fuerint cogniti, nulli fere nominati, adeo ut Hero-
dotus ne nomen quidem ipsorum exaudivisse videatur: quæ tamen
ipsorum obscuritas ab Alexandro M. paulum illustrata sit, cum &
aliqui sub ipso Judæi militaverint, & ipse templum eorum intra-
verit, si fides habenda Josepho: cujus hac occasione splendida
mendacia de Alexandri erga Judæos favore, de Divinis ejus somni-
is ac visionibus Prophetis, de transitu ejus per siccum mare
Pamphilium, quin circa ipsas etiam sacras historias taxat, ubi simil-
lima fabulatore Judæo Ben Uzzielis de transitu Israelitarum per mare
rubrum habeat: quod uberius exequitur, exemplisque de Samso-
nis nativitate, Saulo ac Davide, (ubi centum præputia, in capita hu-
mana numero sexcenta ab ipso commutata sunt,) de Mosis in
cœlum ascensu, de Cyri pro Judæis reditum jam e captivitate me-
ditantibus epistola, quibus sexcenta alia addi possent, illustrat.
Deinde ad libros Biblicos vertendos redit Autor, & quam rara an-
te captivitatem Babylonicam libri Legis exemplaria fuerint, quam
pauca a captivis in Chaldæam transvehi potuerint, quantaque inde

c. VIII.

c. IX.

c. X.

c. XI.

c. XII.

- c. XIII. linguæ Ebrææ ignorantia extiterit, ex ipsa Regum Judæorum, totiusque populi, ac exilii illius, quo tantum non omnes abducti sunt, historia ostendit. Unde non minus quam ex fastidioso Legis interpretum supercilio, qui raro aliis interpretandæ Scripturæ rationem tradebant, Philadelphi tempore vix LXX Seniores in populo Judaico, plurimam partem in captivitate retento, qui tam prompte Scripturam universam interpretarentur, existere potuisse, concludit: suamque istam conjecturam porro ex ipso Josepho, Scripturis N. T. & Jos. Scaligeri judicio probat, vixque adeo fieri potuisse, ut e singulis populi tribubus sex Legis interpretes mitterentur, existimat: quare & in Massechet Sopherim quinque solum Judæos id opus perfecisse, ab Hilario vero ac Baronio ipsum Eleazarum totumque Synedrium, illius versionis parandæ gratiâ, in Ægyptum concessisse, dicatur. Insigniores dehinc fabulas alias huic historiæ admistas excutere suscipit Noster. Huc prædicata ab Eleazaro Philadelphi in Deum Israelis, non obstante incestuoso ejus cum sorore sua conjugio, pietas: Jordanus fluvius in morem Nili agros, perhibente id contra veritatem Aristeæ, inundans: mustela auribus foetum concipiens ac ore pariens: codices aureis literis conscripti: sacrorum librorum facta a Ptolemæo adoratio: emissæ, ob adventum librorum, Regis & Aulicorum Ægyptiorum,
- c. XIV. i. e. Judæis infensissimorum hominum lacrymæ: dies festus atque anniversarius ob hanc versionem celebratus: instituta per VII juxta Aristeam, per XII juxta Josephum dies, cum Interpretibus ante versionem susceptam convivia: propositæ in illis a Ptolemæo Rege lepidissimæ, & a Senioribus nostris persapienter solutæ, ab Aristeæ recensitæ quæstiones: accubationes ac preces, remotis ipsis ideo Ægyptiorum Pontificibus, Judæorum more factæ: Menedemus Philosophus LXX Interpretum convivio, (quo quidem tempore dudum obierat,) adhibitus: ipse porro locus, Pharus Insula, & adgrediendæ interpretationis apparatus: distinctæ, juxta Justinum, Clementem Alexandrinum & Irenæum, 72 cellulæ: tredecim Scripturæ loca Divino instinctu ab Interpretibus immutata: in reliquis accurate sibi respondens τῶν LXX versio: plurima contradictoria hic ab Epiphanio, Cyrillo, Novellis Justinianeis, Philone, Josepho, Hieronymo, Justino, & Aristeæ tradita:
- c. XV.
- c. XVI.
- c. XVII.
- c. XVIII.

fabula de LXXII Grammaticis, a Pifistrato ad Homeri Poëmata restauranda congregatis ac seorsim collocatis, cum hac nostra de versione illa *πλβ* LXX comparata, aliaque pertinent. Sane, quæ capitibus sequentibus de inspiratione Divina circa hanc versionem ex Irenæo, Clemente Alexandrino, & Tertulliano; quæ de quotidiano Interpretum ad Regem accessu; de convivio ad Regis mensam, cum Ægyptiis scilicet, quos adeo abominabantur, habito; de concurrente ad unanimum versionem, juxta Epiphanium & Augustinum, Divino miraculo traduntur, quorsum nisi ad fabulas referantur a prudentioribus? Notatu porro digna sunt, quæ de schismate inter Judæos Hebraizantes & Hellenistas, occasione hujus versionis, an scilicet & illa publice in Synagogis prælegenda sit, ex Actor. VI, r. IX, 28. XI, 20. & Justiniano Novell. 146 traduntur: item quæ de controversia circa linguam, e qua in Græcam LXX Interpretes Scripturam transtulerint, Ebræane fuerit, an Syriaca, vel Samaritana, vel quod plurimi velle videantur, Chaldæa, observantur; quæ quidem Autor noster in dubio relinquit, satis habens ostendisse, non magnæ hanc versionem autoritatis esse debere. Istud magis certum Nostro videtur, quod solus Pentateuchus versus fuisse ab LXX viris, ex Aristeo, Philone, Hieronymo dicendus sit. Quare cum reliquorum Christianorum sententiam, qui 25 Canonicos libros ab iis versos credunt, tum Epiphanii, qui cum Canonicis etiam LXX Apocryphos, tum vero maxime Cedreni nugas, qui præter illos etiam plures alios, decem myriades scilicet, e variis linguis, ab istis LXX in Græcum sermonem translatos existimat, rejicit: If. Vossii sententiam vero, Pentateuchum quidem communi omnium LXX opera, reliquos vero Canonicos libros singulorum studio Græce conversos perhibentis, fundamento destitui demonstrat. Inde ad majores nugas discutiendas abit: fabulam videri, quod intra LXXII dies versio confecta fuerit, quod tamen Waltonus, quamvis nec Justinus, nec Tertullianus, nec Irenæus, nec Clem. Alexandrinus, nec ipse Epiphanius vel Augustinus id asserere ausi fuerint, communi Patrum sententia constare jactarit: *ἀσύστατα*, quæ Aristeas, Irenæus & Epiphanius de Legis versæ prælectione afferant: nugas denique, quæ de facta ab omnibus Judæis Alexandrinis approbatione hujus versionis perhibeantur, cum & pau-

c. XIX.

c. XX.

c. XXI.

c. XXII.

c. XXIII.

c. XXIV.

- c. XXVI. cissimi Ebrææ linguæ gnari fuerint, nec exemplaria codicis accurata, unde de verionis bonitate judicare possent, habuerint: nec versio denique alia codicis sacri antiquior adfuerit, e cujus collatione judicium de versione ista ferre potuissent. Qua occasione,
- c. XXVII. Autor noster, prolixiori digressionem facta, contra Justinum Martyrem, Huetium aliosque, qui Homerum, Hesiodum, Platonem, Pythagoram pluresque Gentilium Philosophos ac Poetas, plura interdum e sacris literis mutuo quasi sumsisse, suisque scriptis inferuisse perhibent, differit, idque ob sacræ linguæ ignorantiam, versionis alicujus defectum, interdictam cum Judæis consuetudinem, aliasque rationes fieri vix potuisse arbitratur: testimonium vero de
- c. XXVIII. versione aliqua antiqua Aristobuli, ad quod Clemens Alexandrinus provocat, pariter ac Hecatæi & libri Macchab. 2, c. 1 falsitatis ac
- c. XXIX. *νοθείας* maximopere bonis omnibus suspectum esse debere, declarat. Tandem & adoratione seu *παρακινήσει* versionem confectam a Ptolemæo exceptam, annuoque festo Judæis ac Ægyptiis communi ejus memoriam celebratam, frustra & nugatorie ab hujus versionis statoribus asseri demonstrat, suamque de isto opere sententiam Josephi Scaligeri verbis finit: „ De LXX interpretibus „ scito fabulam a Judæis confictam, a Ptolemæo arcessitos, in unum „ locum coniectos, & non omnium, qui in unum locum convenissent, & capita contulissent, sed singulorum separatorum, qui „ Divinitus in eandem sententiam conspirassent, eam interpretationem fuisse. Quid ergo? cum coegissent eos Ptolemæi Græce „ contractus scribere, & annos a Ptolemæo Philadelpho putare, attribuerunt eam interpretationem ei Regi, qui eis necessitatem Græcisandi imposuisset? Igitur septuaginta interpretum paraphrasis Græca est, non autore Philadelpho, sed Judæorum suadente utilitate conscripta, qui parum Ebraice sciebant, Græce autem loqui & scribere ab ipsis Regibus cogebantur. Ea sane, sive a LXX, sive ab uno, quod verius est, conscripta mendosissima & falsissima est. Istam Dissertationem ipse Aristææ textus, cum versione Garbitii, satis quidem illa vitiosa, excipit.

Subjungitur deinde Historia Baptismi cum Hebræorum tum maxime Christianorum, quem posteriorem originem suam e Judæis

daico Profelytorum baptismo Autor noster deducit, quemque a Servatore nostro, æque ac Eucharistiam, occasione Paschatos festi, in Christianismum translatum, ac Sacramentum Christianorum reditum esse existimat. Namque & Judæos olim eorumque Profelytos non minus baptismo, quam circumcissione & sacrificiis, in Ecclesiæ gremium admissos esse, e Maimonide, Elia de Wides, & Petro Blesensi probat: quanquam an ritus ille a Mosaicis inde temporibus deducendus, an vero recentior sit, non satis apparere fateatur. Inde Johannis baptismum poenitentiae novum aliquid in populo Judaico non fuisse, Christi autem baptismum non poenitentiae solum, sed initiationis etiam fuisse, atque uti Judæi Profelyti baptizati patrem, matrem, fratres, sorores relinquere debuerint; ita hunc quoque mysticam regenerationem postulasse. Baptismum Profelytorum apud Judæos ad res forenses, Christi autem Baptismum mere ad Ecclesiam & spiritualia ejus bona pertinuisse; illum in liberis non continuandum, sed parentibus Profelytis baptizatis, eorum prolibaptismo non opus fuisse, hunc contra Christianorum in posteris etiam continuandum, contra Socinum ejusque asseclas, prolixè ex rei ipsius natura, veterumque Patrum testimoniis demonstrat, & ad Socini argumenta respondet. Ceterum verba illa, βαπτίζοντες εἰς ὄνομα τῶν πατρῶν καὶ τῆς υἱῆς καὶ τῆς πνεύματος, non tam baptizandi formulam, quam illius, a quo institutus Baptismus sit, auctoritatem ostendere; successu tamen temporis, quod alia non compareret, pro formula usurpata putat. Inde ad doctrinam de Pædobaptismo accedit, de cujus origine sententiam suam verbis Salmasii proponit: Primis duobus seculis nemo Baptismum accipiebat, nisi qui in fide instructus, & doctrina Christi imbutus, testari posset se credere, propter illud: qui crediderit & baptizatus fuerit. Ergo prius erat credere; inde ordo, Catechumenorum in Ecclesia. Postea opinio invaluit, neminem, salvari posse, nisi qui baptizatus fuisset; ideo & consuetudo nata, infantibus baptismum conferendi. Tempore autem Tertulliani, ad cujus testimonium provocat, consuetudinem illam, dissuadente licet isto Patre ortam, ab Augustino deinde sæpius pro Apostolica traditione venditam, istis porro fundamentis nixam e Tertulliano, Cypriano, perhibet: 1) Baptismum non tam esse manda-

tum ac statutum Servatoris nostri, quam prærogativam ac beneficium, per quod Regnum cœleste detur, *quatenus baptismus est.* 2) Revera Spiritum Sanctum per manus impositionem dari. Huic tamen se sententiæ usû ipso, quod e Gregorio Nazianzeno probat, plurimos opposuisse, & baptismum ad adolescentiam, quin ad 30 usque annum distulisse commemorat, & Constantini ac Theodosii exemplis, Athanasiique ætate, ubi rarus adhuc Pædobaptismus fuerit, confirmat: nec per legitimas quidem Sacræ Scripturæ consequentias illam probari posse putat. Illas igitur, quæ e Marco C. XVI. v. 16. & Matth. XXVIII, 19. eque familiis totis baptizatis I. Cor. I, 16. I. Cor. XVI, 15. Act. XVI, 15. & 32. aliisque locis ducuntur, enervare, contrarium vero e variis Doctõribus probare conatur. Ex illa porro de absoluta Baptismi necessitate sententia, Anabaptismi Hæreticorum, imo & Schismaticorum originem, inde a Tertulliani temporibus derivat. Cypriani, Conciliique ejus ætate & autoritate habiti, discordibus licet Patribus, judicio istam sententiam confirmatam, postea temporis quidem a Romano Pontifice aliisque mitigatam, sed tamen non impeditum, quo minus & hæretici v. g. Ariani, Novatiani & Donatistæ, talionis quasi jure, quosdam orthodoxos rebaptizarent, esse ostendit. Hoc loco, quia non nisi *κατηχρηµύς* ad baptismum admittendos censebat, aliqua ex antiquitate *περὶ τῶν κατηχρηµύων*, occasione Profelytorum Judaicorum, in Christiana Ecclesia usitata, deque Catechumenorum diversis gradibus, alibi tamen etiam observat: aliqua de Gentilium mysteriosis sacris, & ritibus circa baptismum primitivæ Ecclesiæ, e Patribus notata inspergit: alias ceremonias circa Eucharistiam, v. g. de tempore cœnæ sumendæ, de diæta veterum, panibus usurpatis, variis cibis, de agapis earumque abusibus, nocturnis cœtibus, datisque inde calumniandi occasionibus, osculo pacis, differentia inter clerum & plebem, oblationibus & precibus pro defunctis, de natalitiis martyrum, eleemosynis, de stationibus ac Paschæ jejunio, de crucis signaculo, horumque omnium causis, e variis antiquorum Autorum locis illustrat. Quæ, ut reliqua omnia, Theologorum judicio permittimus.

Tandem & Dissertationem super Sanchoniathone, ejusque cum sacris nostris Scripturis concordia adjungit. In qua Bochar

ti potissimum, Huetii aliorumque veterum ac recentiorum, testimonia ex illo pro veritate avide corradentium, fiduciam vanumque conatum taxat, ipsosque sæpe gentilia, quandoque aut temere aut maligne conficta, conferre, istisque nugis S. Literarum Soli lucem affundere conari, indignatur. A Judæis certe Ethnicos illa accepisse, totam Israelitarum historiam percurrenti vix vero videri simile: inde & Taautem Sanchoniathonis Mosem, Gideonem ipsius Hierambalem non fuisse, ab eoque Sanchoniathonem legis codices nequaquam accepisse, contra Huetium, e mendaci, qui illud prodiderit, Porphyrii ingenio, ab ipso Huetio probe agnito, Chronologiæque ac ipsius Mosi Sanchoniathonisque de mundi generatione aliisque historiis discrepantia, evincit.

*LA GERARCHIA CARDINALIZIA DI CARLO
BARTOLOMEO PIAZZA &c.*

i. e.

*HIERARCHIA CARDINALITIA CAROLI BARTHOLOMÆI PIAZZÆ, ex Congregatione Oblatorum
Mediolanensium, Opus Clementi XI Pont. Max.
dicatum.*

Romæ, typis excusum in officina N. Bernabò, 1703. in fol.
Constat Alph. 10.

DE Eminentissimo Collegio Patrum Purpuratorum, quos sub Cardinalium nomine veneratur Ecclesia Romana, multi diverso modo, diversoque fine scripserunt. Nostro id potissimum propositum fuit, ut Ecclesiarum, quæ singulis Cardinalium certa ratione concreditæ sunt, statum antiquum pariter & hodiernum, ob oculos ponat. Initium facit ab Episcopis Cardinalibus, quorum olim septem fuerunt, hodie sex duntaxat existunt, nimirum Ostiensis & Velitrensis, Portuensis, Sabinensis, Prænestinus, Tusculanus ac tandem Albanus. Horum omnium diœceses ita describit, ut primo generatim, quæ olim fuerit, & quæ sit hodie singularum facies, ostendat, deinde loca singula ad quamvis diœcesim pertinentia speciatiim exhibeat, quidque ubivis notatu dignum, vel naturæ beneficio, vel hominum munificentia inveniatur, stylo eleganti exponat,
ad-

- adjecta honorifica commemoratione virorum, vel martyrio ac sanctitate vitæ vel aliis virtutibus ac dignitatibus illustrium, qui aut oriundi fuerunt ex locis recensitis, aut ibi vixerunt, aut sepulcrum ibi fuerunt nacti. Inde ad Cardinales Presbyteros progressum facit, ac primo de Archipresbyteris trium Basilicarum Patriarchalium, nimirum S. Johannis Lateranensis, S. Petri in Vaticano & S. Mariæ Majoris tractationem instituit, cumque de variis illorum appellationibus, item dignitate ac prærogativis disseruisset, varia dictarum Basilicarum nomina, quidque singulæ præ reliquis præcipui habeant, & quorum liberalitate unaquæque splendidior facta fuerit, fusius recenset, subjecta descriptione duarum reliquarum Basilicarum Patriarchalium, nimirum S. Pauli & Laurentii. His præmissis, quænam sit obligatio Cardinalium in Titulis & Diaconiis suis, succincte ostendit, & generatim de Titulorum Cardinalitiorum origine, antiquitate, mutatione ac divisione, nec non antiquo Presbyterorum & Sacerdotum in Ecclesia ministerio agit. Postea specialitatem Titulos ipsos, quorum sunt quinquaginta & unus, ordine exhibet, atque in singulorum tractatione ita fere versatur, ut primam cujusvis Ecclesiæ originem eruat, in prærogativas illarum inquiret, capellas, picturas, monumenta & quicquid in quovis templo maxime conspicuum existit, commemoret, Sanctosque, quæ peculiari veneratione illud coluerunt, vel quorum reliquiæ ibi asservantur, nec non eos, qui beneficentiæ suæ documenta ibi reliquerunt, honoris causa nominet, passim quoque miracula & alia notatu digna, quæ singulis in locis acciderint, exponat. Inter hæc inserit alia multa, quæ grata Lectoribus esse debent, ex. gr. de autoritate & antiquitate Vice-Cancellarii Ecclesiæ; de originibus ritu & mysterio ponendi primum lapidem, item nummos subiaciendi fundamentis templorum exstruendorum; de usu antiquo solam crucem erigendi vel pingendi, sine effigie Redemptoris eidem affixi &c. De illis quoque titulis, qui olim inter Cardinalitios relati, sed tractu temporis suppressi fuerunt, nonnulla dicit. Tandem ad gradum tertium Cardinalium, scilicet Diaconorum, transiens, initio de origine illorum, potestate atque officio quædam præfatur, addita de reliquis Archi-Diaconis, Diaconis & Sub-Diaconis, item de Diaconissis, Sub-Diaconissis & Diaconis, qui *Servantibus*
- p. 325.
- p. 346.
- p. 348.
- p. 351.
- p. 355.
- p. 360.
- p. 364.
- p. 409.
- p. 476.
- p. 480.
- p. 550.
- p. 531.
- p. 701.
- p. 704.
- p. 716.

tici dicuntur, deque benedictionibus Diaconalibus & quibusvis ecclesiasticis, digressionem. Deinde eadem fere methodo, qua Titulos Cardinalium Presbyterorum antea recensuerat, singulatim quatuordecim Diaconias, quæ hodiernum sunt Cardinalitæ, pertractat. Etiam illarum facit mentionem, quæ tales esse desierunt, atque ad alia quædam argumenta interdum descendit, quorum notitia non minus jucunda quam utilis esse videtur; in quibus fere præcipua sunt, quæ contra novas Criticorum opiniones de famoso illo simulacro, quod *Bucca Veritatis* nuncupatur, Jovique Ammoni olim dicatum jam prostratum jacet ante Templum S. Mariæ in Cosmedin, nec non ea, quæ de ichnographica delineatione & divisione Basilicarum secundum ritum Græcum, item de Hospitio Apostolico S. Michaelis, ac denique de Ergasterio, ad coercendam dissolutam juventutem a Clemente XI A. 1703. extracto, adducit. Totum opus uti singularem industriam, rerumque tam sacrarum quam profanarum eximiam cognitionem præ se fert; ita dubium non est, quin ab omnibus eruditis debite honore ac plausu excipiatur.

p. 710.

p. 719.

p. 748.

p. 774.

p. 797.

p. 802.

Friedrich Leutholfs von Franckenberg Europäischer Herald etc.

i. e.

FRIDERICI LEUTHOLFI A FRANCKENBERG
*Iecialis Europæus, sive accurata Descriptio Europæo-Christiano-
 rum Imperii, Regnorum, Rerumpublicarum & Principatum,
 juxta statum illorum naturalem ac politicum, bellicas
 item & pacatas, ecclesiasticas & seculares dis-
 positiones usque ad hunc A. O. R.*

M DCCV. Tom I & II.

Lipsiæ, apud Thomam Fritschium, 1705. in fol.

Constat Alph. 20. plag. 3. ac 13. tab. æneis.

Qui Juris Publici, domestici cum primis, penitiorum ac minus proletariam scientiam imbibere gestiunt, non possunt non de noviter recuso hoc libro, a septendecim jam annis per Germaniam celebratissimo impense sibi gratulari. Præterquam enim, quod

quod omnium in Europa Regnorum, Liberorum Statuum, ac Principatum, quotquot Christianam fidem colunt, origines, incrementa & vicissitudines, familiarumque illustrium etiamnum superantium stemmata compendiosa serie enarrata, quin & plerorumque aulas, vires, copias, jura quoque atque prætensiones judiciose hic descripta invenient, totius potissimum Imperii Romano-Germanici, ejusque Procerum, nec non ditionum singulis subjectarum exactissimam notitiam, prout e rivulis tam Geographicis ac Genealogicis, quam Historicis ac Politicis haurienda, copiose dispensari, non absque voluptate insigni deprehendent. Quo curatius vero atque uberius hæc omnia prostant, eo majores sane debentur gratiæ Excellentissimo libri hujus Autori, qui adscititio sub nomine modeste latet, quod medias inter arduasque splendidissimi muneris functiones, præclaram hoc opus sub incudem revocare, eaque cum sollicitudine expolire sustinuerit, ut nihil ad elegantiam ejus amplius desiderari queat. Oeconomia autem libri hæc est, ut in præliminari discursu multa, quæ Statui Politico in genere congruunt, maxime vero rationes eum conservandi, ornandi & defendendi proponantur, singulaque exemplis tam vetustis quam recentioribus apposite illustrentur. Hunc excipit primus tomus de Sacro Imperio Romano-Germanico, isque quadripartitus. Prima namque pars Historiam patriam a Caroli M. ævo usque ad Leopoldum Imperatorem nervose contextam sistit. Altera Imperii nomina, jura prærogativa, situm, fines, fluvios præcipuos, fertilitatem, nec non divisionem in X Circulos describit. Tertia summum Imperantem, cæterosque Germaniæ Proceres ac Status exhibet, & in quinque rursus abit sectiones, quarum prior de Imperatore, ejusque electione, coronatione, potestate, reservatis, dignitatibus ecclesiasticis aliisque juribus, quin & de Augusta ac privilegiis eidem competentibus ex professo agit: secunda Romanorum Regem, & quæ electionem ipsius comitari solent obstacula, jura item ac præeminentias ejus inducit: tertia Vicariorum Imperii diversas classes, officium atque auctoritatem explicat: quarta porro de Statibus, & jurisdictione territoriali illis propria, modisque simul, quibus majestas hæc analogica limitatur, aliisque affinis materiis summam loquitur, mox in titulis quinque specialio-

ribus eorumque articulis separatis Electores ac Principes tam Seculares quam Ecclesiasticos, Prælatos & Civitates Imperiales omnes debito ordine enumerat: quinta denique de Non-Statibus Imperii, ejus tamen membris immediatis ac Vasallis, præsertim de Personis illustribus ad principale fastigium evehctis, Nobilitate Equestri, reliquisque Communitatibus & Subditis tractat. Huic tandem succedit quarta pars de Constitutione ac Regimine Sacri Imperii, prout in rebus Ecclesiasticis non minus quam in secularibus sese exserit, octo articulis distincta, ubi Illustrissimus Autor summo cum candore ac judicio Cæsaris præminentiam ac majestatem ejusdemque restrictionem, Capitulationis usum, altercationes circa perpetuam quandam concipiendam obvientes, Comitia universalia, quæque huc pertinent, Leges quoque Imperii fundamentales prolixè enarrat. Nec reticet potestatem Imperatoris & Imperii in Ecclesiasticis negotiis, religionisque & scholarum statum, modum itidem administrandi justitiam, suprema Tribunalia, manutenentiam legum, sententiarumque executionem ob oculos ponit. Conventus insuper particulares, quibus publica salus promovetur, Imperii reditus, potentiam, interesse status, commercia, causas decementorum, residuasque prætensiones recenset, sicque primum tomum feliciter absolvit. Omnia vero inibi allata ex Historicis fide dignis & Comitialibus actis depromit, multa etiam e tabulariis Principum, propriaque rerum experientia, quam ad stuporem usque adeptus est, confirmat, ut non mirandum sit, innumera hic occurrere, quæ apud alios frustra quæsiveris. Speciminis solum loco afferre liceat, quæ p. 250 & seqq. circa Serenissimi Electoris Saxonix jura indagavit. Nimirum licet per Bullæ Carolinæ tenorem satis expeditum videatur, Saxonix Ducem in solennibus Curix Imperialis processionibus gladium vagina nudatum Augusto præferre debere, istud tamen juris ab illo non nisi post diploma Sigismundi Imper. de Anno 1415 Domin. Quasimodogeniti promulgatum, quod integrum hic comparet, quiete exercitum fuisse; antea enim controversiam ei desuper bis movisse Wenceslaum Lucemburgi, Lotharingix & Brabantix Ducem, cui sedandæ Carolus IV remedia tantum palliativa adhibuerit. Eo etiam spectare, quod Elector in omnibus expeditionibus Imperii nomine

susceptis, praesente Augusto aut Rege Romanorum, tribunali bellico praesideat, copiasque suas tanquam Imperii Supremus Campi-Marschallus in principiis statuere possit: etsi haud desint exempla, ubi is neutiquam primas habuerit, & Albertus Saxo anno 1475. in exercitu ad Novesium coacto ultimum cum suis & Imperii majori vexillo agmen clausit. Forte & mutationem quandam circa militiam Imperii Maximiliani I. tempore & postea subortam. Nihilominus Maximilianum II. anno 1567. Augustum Saxoniae Electorem summum Imperatorem omnium copiarum, quas Circuli subministraverant, Vicariumque suum declarasse, quin & nostra aetate anno 1689. Leopoldum Johanni Georgio III. gloriosissimae memoriae in haec rescripsisse verba: *Quandoquidem Imperii exercitus modo sit adunandus & conventum jamjam, ut tessera militaris a se emanare debeat, ideo in sexaginta dies se eam Electori transmissurum fore.* Huic quoque juri recte annectendum officium gestandi vexillum Imperii generale seu majus, *Des Reichs Haupt-Fahne*/una cum Minore signo, *Der Reichs Neun-Fahne*/quoties Imperator ipsemet ad bellum proficiscitur. Quam in rem varias literas producit, ex archivis, ni fallimur, lectu non injucundas, e quibus patet, praesente Caesare aut Rege, absente autem Electore, Vexilli majoris Imperii portitorem fuisse Pappenheimium, velut Mareschallum hereditarium, eundemque etiam vexillum minus gestasse, si Imperator exercitui non interfuerit, sicque vexillum majus latuerit. Nulli igitur Principum fas esse concludit vexillum ejusmodi Imperii ambire, idque etiam Sereniss. Electorem Brunsvico-Lunenburgensem demortuum, Ernestum Augustum, agnovisse, ut licet Vexilliferatum Imperii enixe prensasset, ponderatis tamen Electoris Saxoniae in vexilla praedicta militaria juribus, sponte destiterit, sibi que solum in coronationibus aliisque curiis festivis Imperialibus vexilli alicujus gestationem reservaverit. Jurisdictionem in buccinatores ac tympanistas, sive in aula sive in militia serviant, quod attinet, illam non modo in Conventibus Imperii, aut quoties copiae Imperii nomine colliguntur, sed semper ac ubique locum habere affirmat, ita ut omnes dissensiones atque lites inter memoratos buccinatores ac tympanistas, ubicunque aularum Germaniae degant, agitatae a Saxoniae Electore, tanquam communi omnium

judice ac patrono, plenissime decidi queant, citra ullum præjudicium, quod Statuum de non evocandis subditis privilegio hoc pacto inferri metuatur, ceu exemplis clarissime demonstrat. Extare eum in finem certam ordinationem ab Imperatore A. 1658. denuo confirmatam, in qua refractariis pro re nata, vel multa XXX marcarum auri puri irrogetur, vel receptio & manumissio tironum interdicitur, vel exclusio a toto consortio prævia causæ cognitione adjudicetur. In Comitibus autem præter jura Archimarschallatui annexa, eminere etiam in Electore Directorium in causis Evangelicis, quod unde incunabula sua accersat, & qua ratione hodiernam continuetur, quidve involvat, eleganter exponit. Pergit deinde ad dignitatem Supremi Venatoris Imperii, quam Imp. Leopoldum Joh. Georgio II. A. 1661. d. 28. Aug. renovasse constat, nec minus sententiam Strauchii, adstruentis Electorem Saxoniam, ut Marchionem utriusque Lusatiæ, nobilitatem conferre posse, quia Bohemiam Reges olim istud juris in omnibus territoriis suis exercuerint, in translatione autem dicti Marchionatus omnia Regalia nullo excepto cessa fuerint, breviter ventilat, dicendo Serenissimam Domum Electoralem sibi hoc Regale nunquam arrogasse, nec credidisse illud, utpote Regi Bohemiam proprium, in se transmissum; explorandum itaque ante omnia, num pristini Marchiones, qui Regali axiomatica caruerunt, nobiles creaverint? Plura in tanta selectissimarum rerum copia coacervare facile liceret, nisi persuasi essemus mirandam Illustrissimi Viri prudentiam & sagacitatem per totum opus diffusam, cuilibet jam abunde in oculos incursumam. Quapropter hic subsistimus, id saltem adjecturi in altero tomo Galliam, Hispaniam, Lusitaniam, Angliam, Scotiam, Hiberniam, Daniam & Norvagiæ, Sueciæ, Poloniæ, Hungariæ, Bohemiam & Borussia Regna: tum Venetorum, Foederatorum Belgarum, Genuensium, Helvetiorum, Luccensium, Genevensium, Ragusanorum & S. Marini liberas Respublicas; denique Romani Pontificis, Ducis Sabaudiam, Magni Hetruriam Ducis, Ducum Lotharingiam & Slesvici, Magni Magistri Ordinis Equestris Johannitici, Ducum Mantuæ & Montisferrati, Massæ & Carraræ, Mutinæ, Monæci, Arausionensis, ut & Parmæ ac Placentiæ Principatus & Dominationes pari methodo atque ingenii ubertate describi.

Franequeræ, apud Franc. Halma, 1704. 8.

Alph. 1. pl. 3.

Sicut fœcunda fuit admodum Gentilium superstitio in confin-
gendis Diis pene innumerabilibus, quorum cultum plebeculæ
miseræ & quascunque nugæ dementer arripienti commendarent:
ita operæ pretium facturos se arbitrati sunt Viri doctissimi, si, quæ le-
guntur sparsim in antiquis monumentis de titulis eorum, venera-
tione, solennibus sacris & ceremoniis, quibus hæc conficieban-
tur, colligerent diligenter, atque singularibus libris explicarent, &
hac ratione lucem his accenderent, qui in legendis aut interpre-
tandis veteris ævi scriptoribus versantur. Accenseri meretur
istis præsentium Opusculorum perquam eruditus Autor, qui a-
liorum exemplis incitatus, Sacerdotes Martis Salios & Deos Cabi-
ros describendos sibi sumpsit, & Inscriptiones quoque duas, Smyr-
næ repertam unam, atque monumentum Heriæ Thisbes Mono-
diariæ continentem alteram, quarum utramque in Sponii Mi-
scellaneis Eruditæ Antiquitatis offenderat, suis Animadversionibus
illustravit. Et in illo quidem *de Salis Sacerdotibus* libello, de
nomine ipsorum, origine, diversis generibus, vestitu, armis, car-
minibus, cœnis maxime exponens, a saliendo dictos mavult,
quam cum Stephano le Moyne ab Ebræo ללע quod tinnitum
significat, propterea quod nequeat doceri, cymbala & crotala
Sacerdotes illos pulsasse; eosdemque a Salifatoribus distinguit,
qui, Isidoro teste, dum ipsis membrorum quædam partes salie-
bant, aliquid sibi exinde vel prosperum vel triste prædicebant. In-
stitutos vero primum in Herculis memorat honorem, quos e Dio-
nysii Halicarnassensis & Livii sententia Numa deinde Marti con-
secravit, & diversis cognominibus appellavit populus, Palatinos
videlicet alios Collinosque & Agonales, alios Albanos, prout ni-
mirum vel in Palatino aut Collino, quem Agonalem etiam si-
ve Agonum dictum ostendit e Festo, vel in Albano montibus
sua habebant sacraria. Pergit de Collegio ipsorum commenta-
ri & diversis in eodem muneribus, in quo Præful alius sive 20-

εγσατης, qui chorum sistebat & saltare faciebat, & saliendo modum dabat; alius Vates, qui Saliaria carmina præcinebat, atque cantus dabat modum; & Magister quoque alius, qui potestatem habebat inaugurandi & exaugurandi, & Salios juvenes instruebat, ut rite portare ancilia, & secundum modulos rythmicos saltare discerent, cujus ordinis ea præstantia, ut in ipsum non nisi Patritii cooptarentur, atque ex his Patrimēs solum & Matrimēs, h. e. qui utrumque parentem in vivis adhuc haberent; qua ratione cum Virginibus Vestalibus convenerunt, quæ & ipsæ, nisi patrimæ essent & matrimæ, constitui non poterant. Vestem Saliorum describit Noster deinde, atque tunicam pictam sive versicolore[m] fuisse tradit, super quam æreis baltheis erant cincti, & trabeas induebant fibula contractas, ne saltantibus esset impedimento, capitis tegumento gaudentes fastigiatis in coniformam pileis, ob quos illos Enniano vocabulo tutulatos dici posse credit, cum tutulus metam sive apicem pileis in vertice additum significet. Arma Saliorum, quod inter omnes constat, fuerunt ancilia, quæ male a Dionysio Halicarn. ejusdem cum Thracum pelitis figuræ dicta, scuta fuerunt brevia & rotunda, & ovali figura ad ejus similitudinem efficta sunt, quod, eodem Dionysio & Plutarcho testibus, delapsum cœlitus & in Numæ repertum est Regia, qui circumferri illud etiam & annuis sacrificiis voluit honorari. Ea occasione agit de Festo, in quo ancilia circumlata, quod Kalendis Martiis habuit initium, & per dies aliquot celebratum est, quorum ultimus sacer Mamurio, qui ad similitudinem cœlo delapsi ancilis alia fabrefecerat, Numapotissimum suadente. Istis autem diebus arma illa circumtulisse, scribit, sacerdotes, pugionibus & interdum lanceis quoque & virgis ea percutientes, & e sacrario h. e. secreto illo in Martis templo loco, in quo sacra reponebantur, deducentes, & cum singulis vespers propter urbis amplitudinem in locum illum referri non possent, in extructis cum in finem ædificiis, quæ Mansiones appellata sunt, custodientes, qua occasione hoc ipsū vocabulum explicat. Gestasse, addit, collopendentia per urbem incedentes, & in Comitio maxime frequentes, qui locus, ex Marliani sententia, Romani fori pars fuit incipiens a porta Palatii & desinens ad ædem D. Mariæ novæ, sic ut sublatis pedibus & alternantibus, qualis fullonius saltus apud Senecam ep. 15. ad tibiam & per vices ferrentur, & aliquando Salii omnes, aliquando

qui-

quidam modo ipsorum saltarent. Carmina, quæ canebant, dicebantur axamenta, quam vocem cum Scaligero & Dacerio ab axibus derivat, h. e. tabulis, in quibus descripta habebantur, ut a pueris etiam possent edisci, & Numam itidem Pompilium autorem agnoscebant. prisca Latinorum lingua consignata, & obscura adeo propter obsoleta verba, ut vix ipsis Saliis deinde intelligerentur. Istorum carminum *Λείψανα* colligit quoque Noster, & obscura vocabula secundum litterarum ordinem disposita explicat, Varronis potissimum Scaligerique atque Festi opera usus, & tandem de Saliaribus cœnis veterum scriptorum testimonia congerit, quæ opinari adeo, ut, si quæ magnæ alia fierent, Saliarum inde dicerentur. Secundum Opusculum absolvit.

Dissertatio Philologica de Deorum Cabirorum mysteriis, quæ quia olim jam prodiit & lecta est, quin labore excerpenti illam supersedere possimus, non dubitamus. Hoc sufficiat monuisse, quod per Deos Cabiros ab Ebræo כביר, quæ vox magnum, potentem, validum notat, dictos Romanorum Penates Gutberlethus intelligat, ab Ænea post Trojæ excidium in Italiam deportatos, Cererem videlicet, Proserpinam, Plutonium, Mercurium, & ante hos Jovem atque Dionysum, quin & Dioscuros Castorem & Pollucem, nec non Æsculapium quoque, qui in multis locis, sub aliis tamen nominibus, culti sunt, Beryti scilicet in Phœnicia, Carrhis in Mesopotamia, imo in Ægypto etiam & Samothracia; sed in ea re non habet consentientem Jo. Antonium Astorium Jctum Venetum, qui Venetiis A. 1703 dissertationem divulgavit de Diis Cabiris, atque nomen hoc a voce Chober, quæ Incantatorem significat & Deut. XVIII, 11. legitur, deducit, & fascinatores arbitratur fuisse præstigiis deditos, nomine Tricopatrem, Eubuleum, & Dionysium, & proximis ante vel post Ogygis diluvium seculis floruisse & orbem pervagatos esse, sicut Zoroaster apud Persas, & Magi alii apud gentes alias, divino quoque honore cultos. Cæterum cum in ipso ætatis flore extinctus sit Gutberlethus, neque absolvere poterit inde, quæ molitum fuisse, de Telchinibus, Curetibus, Idæis Dactylis, Corybantibus & Magnæ Deum Matris Sacerdotibus Gallis, ex Dissertationis ejus de Diis Cabiris Præfatione discimus, non possumus non præmaturum doctissimi Viri obitum, & quod iis monumentis, ad sacrorum gentilium interpretationem multum profuturis careamus, dolere.

* * * * *

A C T A ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Decembris, Anno M D C C V.

CORPUS JURIS CIVILIS ROMANI, DIONYSIO
GOTHOFREDO Jcto Auctore. Cum Appendice seu Au-
ctario eorum, quæ prioribus hujus formæ editionibus defuerunt,
& Indicibus singulari cura revisis & locupletatis. Editio
novissima Sacratissimo Cæsari JOSE-
PHO dedicata.

Lipsiæ, sumtibus J. Frid. Gleditschii Bibl. Lips. & Frid. Knochii
Bibliop. Francofurt. ad Moenum, 1705. 4.

Constat Alph. II. & plag. 9. chartæ augustæ.

Cum e tot Corporis Juris Civilis Romani editionibus,
quæ in Germania, Belgio, aliisque provinciis hucus-
que prodierunt, nulla a mendis purgata ita fuerit, quin
accuratiorem dudum Romani Juris cultores desiderave-
rint, ac præterea ne quidem foedatarum erratis editio-
num exempla in officinis librariis amplius prostarent: de nova ea-
que elegantissima & emaculatissima editione adornanda, jam ab
aliquot annis cogitarunt, consiliaque ac sumptus eam in rem con-
tulerunt Bibliopolæ solertissimi, Lipsiensis alter Jo. Frid. Gledit-
schius, alter Francofurtensis Frid. Knochius. Itaque ne illotis
manibus rem tantam aggredierentur, ante omnia præclarissimo-
rum Jctorum mentem explorandam censuere, ecquid ad ornan-
dam perficiendamque editionem novam conferri posse judicarent.
Tum textu editionis Francofurtanæ A. 1663 in 4, quem imitarien-
tur, selecto, quod tamen nossent, nec eam a mendis immunem
esse, exemplo plane novo ad integra in diversis illustrioribus Ger-
maniae Academiis Jctorum Collegia confugere non dubitarunt,

oblata cuique certa exemplaris portione, rogaruntque ut eam, quam diligentissime reviderent, nec minus in notis Gothofredi, quam ipso Legum contextu errata corrigerent; nec difficulter ab Excellentissimis Viris impetrarunt, ut uno publici commodi promovendi desiderio accensa, strenuam ea in re operam navarent, ac quisque pensum suum magna dexteritate absolverent. Atque ita demum tot præstantissimorum JCratorum studio perpurgatum, & tantum non ab infinitis mendis liberatum opus, Typographo Lipsiensi tradiderunt, nec ordinariis correctoribus satis confisi, Viro juris peritissimo, qui & antea in revidendo Corpore Juris Canonici Pithœano, cum id A. 1695 apud nos sumptu Gleditschii nostri imprimeretur, (Francofurti ad Mœnum hoc anno recuso) suam ea in re solertiam abunde comprobaverat, curam, ne quid novorum mendorum irrepere pateretur, quantum quidem humana industria caveri id potest, commiserunt. Quam Bibliopolarum sollicitudinem (nam de typorum elegantia ac chartæ nitore, quæ primo cuique obtutu occurrunt, nihil dicemus) tanto magis laudandam publice censemus, quanto ea est apud alios hodie infrequentior, plerisque, quam emendate libri, quos publicant, excudantur, infra curam habentibus. Cæterum ut in aliis etiam usui publico accommodatior esset editio, nec quicquam in ea facile desideraretur, non modo Indices Titulorum Legumque ita locupletati sunt, ut evolutio multo facilior evaserit, sed & opuscula alia, præter ea, quæ in prioribus hujus formæ editionibus comparuere, ex editione Amstelodamensi A. 1663 in fol. repetita accesserunt, nimirum *Notitia Reliquiarum Juris ante & post Justinianum, a Jac. Gothofredo & Josepho Maria Suaresio conscripta: Edictum perpetuum a Salvio Juliano compositum & ad ordinem Digestorum restitutum, & Ordo Edicti perpetui una cum serie librorum, quos JCrati veteres ad idem Edictum scripserunt: Antonii Contii JCrati Prefatio in librum Novellarum: Constitutio Imp. Zenonis de novis operibus: Julii Pacii receptorum Sententiarum Libri: denique Marqu. Freberi Chronologia utriusque Imperii ab excessu Justiniani usque ad finem Imperii Orientalis, subinde nunc aucta & emendata, & enarratione rerum post ea tempora ad obitum usque Divi Leopoldi Caesaris locupletata.*

MENSIS DECEMBRIS A. MDCCV. 539

MISCELLANEA CURIOSA, BEING A COLLECTION of some of the principal phenomena in Nature &c.

h. e.

COLLECTIO PRÆCIPUORUM QUORUNDAM Naturæ Phenomenorum a maximis ævi hujus Philosophis explicatorum, una cum variis Discursibus coram Societate Regiæ ad promovendam Scientiam Physicam & Mathematicam instituta recitatis.

Londini, apud J. B. & Johannem Senem, 1705. in 8vo.

Constat 1 Alph. & 5 Tabb. æneis.

PLeraque omnia, quæ in hoc opere continentur, jam in *Actis Anglicanis* publicata sunt: in gratiam vero eorum, quibus pretiosa ista volumina pervolvere non datur, præcipua inventa Physica & Mathematica ex istis seligere, & in unum volumen mole exiguum conpingere voluit Autor, in præfatione observans, se talia exhibere, quæ jam censuræ orbis eruditi exposita approbationem meruere, & quibus tanquam fundamentis firmis posteritas infinita superstruere valebit. Placuit autem ipsi Discursus singulos verbotenus recensere, uti Societati Regiæ vel exhibiti, vel coram ea recitati fuere, ne in compendium missi obscuri evaderent. Præcipui jam leguntur in *Actis nostris*, nempe A. 1692 p. 307, quæ celeberrimus *Hallejus* de quantitate vaporum ex mari exhalantium, eorundem circulatione, & origine fontium; A. 1684 p. 387, quæ de Theoria declinationis acus Magneticæ; A. 1687 p. 509, quæ de Ventis statis intra Tropicos, eorumque causa; *Tom. 2. Supplem. p. 328*, quæ de calore Solis proportionali in omnibus latitudinibus; *ibid. p. 333*, quæ de inveniendis focus lentium per Algebram modernam; A. 1702 p. 180, quæ de invento a *Rob. Hookio* Barometro marino; & tandem A. 1700 p. 87, quæ *Woodwardus* de Vegetatione Plantarum differit. Quæ ulterius ab *Hallejo* de vera Theoria æstus marini proponuntur, in summi Geometræ *Isaaci Newtoni Principiis Philosophiæ Naturalis Mathematicis*, quæ mense Junio anni 1688 p. 304 & seqq. recensuimus, & *Davidis Gre-*

gorii Elementis Astronomiæ, nobis mense Octobr. anni 1703 p. 452 & seqq. commemoratis leguntur, atque *Newtono* Theoria ista debetur auctori. *Newtoni* Theoria lucis & colorum, ejusque uberior explicatio, ex *Optica* ipsius nuper publicata, & proxime a nobis recensenda, peti debet. Ejusdem Theoria Lunæ in eruditissimo opere Astronomico *Gregorii* modo laudato jam est publicata. *Romeri* Demonstratio de successiva Luminis propagatione, non solum ab illustri *Hugenio* in ingenioso *de Lumine Tractatu*, nobis A. 1690 pag. 481 & 561 commendato, sed & a Scriptoribus Systematicis, quales sunt *Job. Bapt. Hamelius* & *Franciscus Bayle*, fuse sunt exposita, & a nobis ex *Tractatu* *Hugeniano* ad annum cit. p. 483 in compendio proposita. *Wallisii* cogitata de Mensura resistentiæ medi in motu projectorum, caput 101 *Tractatus* de Algebra absolvunt, quem A. 1686 p. 283 recensuimus. *Narcissi* de Sono discursus, generalibus solum terminis, Visus cum Auditu & Opticæ cum Acustica convenientiam exponit. Quæ *Hallejus* de magnitudine atomorum ex ductilitate auri, nec non de variis speciebus quantitatum infinitarum earumque inter se proportionibus demonstrat, atque de distantia stellarum fixarum docet *Franciscus Robertus*, ea jam plerisque innotuisse credimus. Quare de his omnibus in præfati non dicimus: pauca tamen de discursibus reliquis, qui in præfati opere continentur, subnectemus.

Exhibet nempe quoque Auctor noster sæpius jam nobis laudati *Halleji* Tentamen de causa mutationis declinationis acus Magneticæ, cum hypothese de structura internarum partium Telluris: in quo cum per observationes probasset, mutationem istam esse universalem suosque habere gradus, utut non omnibus in locis eisdem, causam ejus tandem assignare nititur. Quemadmodum vero ex ipsis Actis nostris A. 1684 mense Aug. p. 392 constat, quod phænomena declinationis acus Magneticæ salvaturus asserat, Terram esse Magnetem quatuor Polis magneticis instructum, & acum magneticam dirigi versus viciniorum: ita facile conjicere poterat, mutationem declinationis inferre mutationem situs Polorum. Hanc declaraturus, Tellurem sibi concipit, ut geminum Magnetem, constantem nempe ex crusta exteriori & nucleo, fluido quodam intermedio interjecto, ita ut tum ista, tum hic binos habeat Po-

los Magneticos, & ambo circa commune centrum ac axem diurnæ rotationis intervallo quatuor viginti horarum rotentur. Crustæ globi nostri Terraquei, quem incolimus, Polos tribuit fixos, ita ut, si hi essent soli, versus quos materia magnetica moveretur acus directrix, hæc constanter eandem haberet declinationem. Ut igitur variatio declinationis explicari possit, nucleo h. e. globo minori intra Tellurem concluso Polos tribuit similiter fixos respectu ipsius, at mutabiles respectu crustæ. Ponit enim, nucleum & crustam inæquali revolvi circa communem axem celeritate, ita tamen, ut inæqualitas non nisi post plures revolutiones factas reddatur sensibilis: cui determinandæ si sufficerent observationes (quas non sufficere Noster docet) variatio declinationis ad computum revocari poterat. Non autem absurdum esse, sibi concipere concavitatem intra Tellurem, & in ipsa pendulum globum minorem, inde evincere conatur, quod celeberrimus *Newton* in *Principiis Philos. Nat. Mathem.* demonstraverit, densitatem Lunæ esse ad densitatem Terræ, ut 9 ad 5 quam proxime, adeoque Lunam, corpus longe minus, esse densiorem Tellure, corpore longe majori. Quæ cum accuratius expenderet, probabile ipsi visum fuit, plures sphaeras intra cavitatem istam contineri, adeoque hanc tandem Telluris assignat structuram internam. Præter nucleum solidum, intra Tellurem duas adhuc alias sibi concipit sphaeras concavas cum suis atmosphæris, cumque sphaeras inclusas magnitudinibus Veneris, Martis atque Mercurii proportionales statuatur, horum Planetarum nomina ad istas significandas transfert. Jam quia diameter Telluris est 8000 circiter milliarius Anglicorum, sphaeris concavis crassitiem tribuit 500 milliarius, & atmosphæris altitudinem isti æqualem, ut diameter nuclei prodeat 2000 milliarius. Cum ulterius animadverteret, Venerem, Martem atque Mercurium terrestres nobis nullum præbere usum, qui crustam exteriorem incolimus, atque nostro ævo pro certo haberi, Terram esse e numero Planetarum, omnesque Planetas non sine ratione supponi habitatas, tandem partes Telluris sua habere animantia, e. g. aerem aves & insecta, aquam piscium innumera genera, terram reptilia: non incongruum ipsi videbatur asserere, & globos istos in Tellure conclusos habitari. Quod si objicias,

sine luce viventia ibi commorari non posse, regerit, multos dandi modos, quibus lux ibi producat; nempe vel ea ratione, qua ignes nostri fatui generantur, atmosphaeras istas illuminari, vel fornices concavos variis in locis resplendere Solis instar, vel lumen aliquod ibi produci, cujus nullam nos habeamus ideam.

Idem *Hallejus* tradit Regulam decrementi altitudinis Mercurii in Barometro, pro diversa hujus supra Telluris superficiei elevatione. Supponit aerem esse elasticum, resistantiam elateris æquari ponderi prementi, spatia ab aere sub diversis pressuris occupata esse in ratione reciproca pressurarum, gravitatem aeris specificam esse ad gravitatem aquæ prope superficiem Terræ ut 1 ad 800, Mercurii ad aquæ ut 10800 ad 1, atque adeo digitum unum Mercurii æquari 10800 digitis cubicis aeris: unde si aer ejusdem esset densitatis, atmosphaeræ altitudinem fore 5, 1 mill. atque in ascensu 900 pedum seu 10800 digitorum Mercurium in Barometro descensurum per unum digitum. Sed quia expansio aeris in ea ratione crescit, in qua pondus atmosphaeræ incumbentis decrescit, Mercurii descendens altitudinem augeri, & spatium quodlibet uni digito argenti vivi respondens continuo crescere. Quamobrem aerem ad majorem extendi debere altitudinem. His principiis jactis problemata de determinanda altitudine Mercurii ad altitudinem aeris datam, & altitudinem loci, in qua barometrum collocandum, ut Mercurius datam obtineat altitudinem, curiosa magis esse, quam difficilia pronunciat: eademque solvit ope quadraturarum spatiorum inter Hyperbolam & ipsius Asymptotos, geminamque computavit Tabellam, in quarum altera altitudines aeris altitudinibus Mercurii; in altera altitudines Mercurii altitudinibus aeris respondentes exhibentur. Ex qua colligit, in altitudine 41 miliarium densitatem aeris se habere ad densitatem nobis vicini ut 1 ad 3000, in distantia 53 ut 1 ad 30000, ostenditque per observationes crepusculorum, aerem ultra 45 miliaria non extendi, nempe ad 44, 4 Anglica scilicet, qualium 4000 est semidiameter terræ. Atque inde ulterius infert, aerem ad 180000 spatii partem comprimi posse, quod in statu naturali occupat. Quoniam vero hæc consequuntur, si atmosphaera inalterabilis supponatur, atque rarefactionis & condensationis capax

in infinitum, utraque vero hypothesis falsa est, si rigore spectetur: computum quoque istum non satis esse exactum monet. Variari certe specificam aeris gravitatem, dum calor aerem dilatat, & frigus comprimit, dum effluvia particulis aereis graviora immiscentur, quemadmodum salia aquæ permixta pondus ejus augeant. Condensationem terminari in certo gradu per experimenta *Florentinorum* atque *Hooekii in Microgr. cap. 5.* Nec rarefactionem in infinitum procedere, quod particulis elasticis competere debeat magnitudo determinata in statu naturali, exemplo lanæ. Hæc igitur *αριθμητικῶν* conclusionum superiorum Geometricam turbare. Unde § in eadem elevatione diverso tempore non eandem obtinere altitudinem. Hinc in causas ascensus & descensus § inquisiturus, primo phænomena recenset, ex quibus concludit, præcipuam ascensus & descensus § causam esse variabilitatem ventorum in zonis temperatis, cui adjungenda sit incerta exhalatio & præcipitatio vaporum in aere: atque ex his causis phænomena resolvit.

Idem ulterius ex communicatis per *Justellum* cum Societate Regia catalogis, in quibus ab anno 1687 usque ad 91 inclusive ætas & sexus omnium Vratislaviæ singulis mensibus mortuorum consignabantur, & horum numerus cum numero natorum comparabatur, construxit Tabulam, in qua singulis ætatis annis adscribitur numerus personarum ad eos profectarum & Vratislaviæ degentium. Hujus Tabulæ multiplicem monstrat usum. Nempe inde deducit non solum omnem numerum Vratislaviæ viventium, qui est 34000, sed & numerum eorum, qui arma gerere valent, ad 9000 assurgentem: imo generaliter concludit, in quacunque civitate, numerum illorum esse quartam circiter numeri omnium incolarum partem. Derivari hinc posse ostendit gradus mortalitatis pro omni ætate; quot mori debeant per annum tuæ ætatis homines, ut certus esse possis, te isto anno non moriturum, hoc enim ostendit sola differentia inter numerum personarum ætatis propositæ, v. g. 25, & proxime subsequentiæ 26, qui in præsentis casu Vratislaviæ est 7: nec non quot mori debeant, ut persona quædam ætatis cujuscunque non moriatur, antequam attingat ætatem propositam: quomodo inquiratur, quo ætatis anno per-

so-

sona quædam ætatis cujusdam propositæ sit moritura. Quæ speculationes non censerentur debent inutiles, cum earundem insignem ostendat usum in definiendo pretio assecurationis, quæ dicit certum quoddam contractuum genus Anglis in plurimis negotiis civilibus admodum familiare. Imo easdem speculationes ad gemina prorsus transfert, qualia proposuit *Wilhelmus Petty* in *Arithmetica Politica*, cujus prolixa recensio occurrit in Actis nostris A. 1691 p. 407 & sqq.

Noster denique ex Hallejanis inventis nobiscum communicat ejus discursum de gravitate & proportionibus, in quibus corpora gravia descendunt, nec non de motu projectorum: in quo cum celeberrimus Autor varias variorum hypotheses recensuisset, ut ipso eorum dissensu difficultatem causam gravitatis efficientem detegendi ostenderet; ab omni prorsus hypothesi abstinet, atque certius philosophaturus, stabilitis quibusdam per experientias indubias gravitatis proprietatibus, methodo demonstrativa ope principiorum Geometricorum & Analyseos Speciosæ regulas deducit, juxta quas corpora gravia descendunt, & projecta moventur.

Præter discursus hæcenus commemoratos, in præsentis opere continentur adhuc tres ad Physiologiam spectantes, in quorum primo *D. Georgius Gardenius de Aberdeen* Theoriam generationis; in secundo *Clopton Haverus, M. D.* cujus *Osteologiam* A. 1691 p. 573 recensuimus, concoctionem; in tertio *J. Drake M. D.* influxum respirationis in motum cordis exponunt. Ex singulis quædam scitu non injucunda proferre libet. Quod theoriam generationis attinet, doctissimus ejus Autor ad tria eandem capita revocat, nempe 1. quod animalia generentur ex animalculo, 2. quod animalcula ista originaliter insint femini marium, 3. quod sine ovis in foeminis animalcula in animalia mutari nequeant, ut adeo Eclecticum quasi agens, hypotheses *Harvæi* & *Dn. de Leuwenhæk*, quarum hanc A. 1686 mense Oct. p. 475 descripsimus, conjungat. Ad primum stabiliendum sequentibus utitur argumentis: 1. quod *Malpighius* in ovi nondum incubati cicatricula pulli rudimenta observavit, 2. quod subito post incubationem omnes partes appareant, vi experimentorum *Harvæi* atque *Malpighii*, manifesto, ut ipsi videtur, indicio, partes illas non ex fluido

do concrevisse, sed ibi jamdum nondum explicatas extitisse, ab origine mundi procul dubio per omnipotentiam Dei formatas. Alterum confirmaturus hæc producit argumenta: quod 1. in semine masculino omnium animalium innumera animalcula a *Dn. Leewenhoek* fuerint detecta: quas observationes exhibuimus A. 1682 p. 321. 2. quod per observationes *Malpighii* rudimenta foetus solum reperiantur in ovis a mare foecundatis, non autem in subventaneis: 3. quod figura animalculorum a *Dn. Leewenhoek* delineata conveniat cum figura rudimentorum foetus in ovo tum ante, tum post incubationem a *Malpighio* descripta: 4. quod ex hac hypothese reddi possit ratio, quomodo multi foetus una excludantur, & multa ova in gallina per unum coitum cum gallo celebratum foecundentur: 5. quod prima de Messia prophetia novam ex ista accipiat lucem, in qua vocatur semen mulieris, cum omnes homines reliqui sint semen viri: 6. quod eidem adstipuletur analogia vegetationis plantularum; semina enim esse plantulas, quæ terræ tanquam utero committantur. Denique ultimam hac ratione evincit: 1. quod animalculum non possit in lucem edi, nisi in proprium cadat nidum, quem centrum cicatriculæ in ovis esse appareat: unde licet myriades animalculorum in ovum unum cadant, haudquaquam tamen præter unum in lucem edi posse. Addit, fortassis nidum molli animalculorum ita proportionatum esse, ut non nisi unicum recipere possit: quæ sit ratio raritatis monstrorum. Absolutam nidi necessitatem in oviparis ad oculum patere. Hanc vero solam differentiam inter ovipara & vivipara quoad præsentem materiam in eo consistere, quod in his ova præter cicatriculam & eorum colliquamentum nihil contineant, ita ut foetus extra ista in uterum radices protrudere teneatur nutrimentum recepturus: ast ova in oviparis proprie dici possint uterus quidam in ordine ad foetum, quoniam non solum cicatriculam cum amnio & colliquamento, quod immediatum sit foetus nutrimentum; sed materiam insuper contineant in colliquamento convertibilem, ita ut foetus radices suas non nisi in albumen & vitellum ovi agat, unde omne suum nutrimentum derivet. 2. Quod hæc cicatricula non sit originarie in utero, ex frequentibus extra uterum conceptionibus probat, quales occurrunt in *Trans. Phil. Angl. n. 139, 150 & 172, & in No-*

vellis Reip. Literariae Mens. Sept. A. 1685. p. 996. Unde probabile fieri asserit, testes muliebres esse ovaria huic usui destinata. Subjungit 3. quod in confesso sit apud omnes, foetum in utero per amplum temporis spatium post conceptionem cum matre connexionem non habere, esseque in isto ovum perfecte rotundum, molis exiguae, cum foetu in medio incluso, qui successive funiculum umbilicalem emittat & utero tandem alligetur. Unde appareat, cicatriculam, quae sit fons nutritionis animalculi, non oriri in utero, sed alibi, atque in istum deferri tanquam in solum aptum, ex quo nutrimentum recipiat ad vegetandum foetum. Esse vero testes foemineas revera ovaria, hoc experimento evincere conatur, quod parere nesciant foemellae, si abdomen aperiatur ac testes excidentur. Respondet tandem tribus objectionibus, quibus hoc ultimum assertum subesse videri poterat.

De concoctione quae tradit *Haverus*, in compendio huc redeunt. Tribuit nempe ciborum in ventriculo comminutionem salivae, quam pro liquore habet ex gemino alio composito, altero nempe acido, altero oleoso, oleo terebinthinae non prorsus absimili, quorum unusquisque e peculiaribus glandulis secernatur: id quod sequenti comprobatur experimento. Assumpsit frustum carnis crudae, idque dissectit in minuta magis, sed iis tamen majora, in quae masticatione reducitur, panisque micis admixtis oleum terebinthinae & oleum vitrioli affudit: quam massam cum per quatuor horas in balneo Mariae digessisset, in pulvem redactam deprehendit. Salivam certe prodere fermentationem, etiam cum non edimus, per bullulas ipsi inexistentes ut in ore non agitatae. Motum stomachi per respirationem productum cibo dissoluto cum saliva intimius permiscendo inservire. Per hanc autem fermentationem apta disponi alimenta, ut cum bile in intestino duodeno fermentare possint: quod hoc experimento probat. Cum bilem naturae saponariae supponat, saponem in aqua calida dissolutum oleo terebinthinae ac vitrioli admiscuit, & in mixtura fermentationem oriri observavit.

Influentiam respirationis in motum cordis adstructurus *Dumkiius*, *Loweri* explicationem systoles seu contractionis cordis per mechanicam visceris hujus structuram laudat; verum explicationem diastoles per motum restitutionis improbat, cum status con-

tractionis fibrarum sit potius naturalis, adeoque non dari possit, diastole sine externa quadam violentia, prouti experientia in omnibus musculis doceat, non dari in ullo musculo motum restitutionis confirmans. Ita musculos a potentia antagonistarum liberos esse in statu contractionis, illos similiter, qui antagonisti carent, ut sphincteres gulæ, anus, vesicæ, semper esse in eodem. Quod vero cor sit musculus, isque solitarius, sine ullo antagonista proprio, nec voluntatis imperio subiectus, proxime adeo ad sphincteres accedens, a *Lowero* aliisque dudum esse demonstratum. Musculares fibras cordis per nervos actuatas immediatum esse systoles instrumentum concedit; quin tamen muscoli intercostales cum diaphragmate, dum sanguini per pulmones viam pandunt, suum quoque conferant, negari non posse. Ostendit ulterius, vasa sanguifera in pulmonibus in costarum elevatione ac depressione eandem cum bronchis pati debere mutationem, nempe coarctari, dum costæ deprimuntur ac pulmones subsidunt; extendi, dum costæ elevantur & pulmones aere inturgescunt, ut via sanguini ex dextro cordis ventriculo in sinistram aperiatur. Diastolen igitur fieri asserit, dum a pondere atmosphærae, quæ muscoli antagonistæ vicem subeat, costæ deprimuntur; pulmones subsidunt & vasa sanguifera coarctantur, ita ut sanguis per venam pulmonariam veluti ope emboli cujusdam in sinistram cordis ventriculum protrudatur. Tandem quædam subjungit, quæ circa foetum in utero moneri poterant.

DE SUSPECTIS DE HÆRESI OPUS.
Autore ANSELMO DANDINO CÆSENATE, olim
in Patria Sancti Officii Consultore, nunc utriusque Signaturæ
Referendario, & Sacrae Congregationis Indi-
cis Consultore.

Romæ, apud Vincentium de Romanis, 1703. in fol.

Alphab. 8.

EX officii, quod olim in patria sua gessit, ratione operis hujus ansam Clarissimus Autor arripuisse videtur, in quo suspectorum de hæresi & culpam considerare prolixius intendit & poenam.

Utriusque tamen contemplationem antecedere jubet aliqua præliminaria, quæ primo circa *suspicionem* in se spectatam occupantur. Hanc posteaquam *criminis incertam* definivit *representationem*, illius a præsumptione differentiam in eo collocat, quod, cum illa solum in malam, hæc vicissim in utramque partem sumi sueverit. Suspicionis tres esse gradus innuit, aliamque levem; aliam probabilem, aliam violentam facit. Fontes, unde scaturiat suspicio, modo patriam esse dicit, modo parentes, modo educationem jam vitam anteactam, mox dicta & facta, interdum & amicos; quæ singula latius exposita sistit, & his absolutis, ad generaliore *hæreseos* indagacionem pergit. Et hæc ipsi est *error intellectus voluntarius, contra aliquam propositionem catholicam cum pertinacia assertus ab eo, qui baptismum accepit.* Ad hujus definitionis ductum in capitibus aliquot proxime sequentibus multa cumulat de errore intellectus, deque voluntario errore, & reliquis vocabulis, quæ ad sensum descriptionis istius principaliorem pertinent. Ad opus ipsum propius accedens, hac quidem vice solam partem primam absolvit, & quinam sint *de hæresi suspecti?* indagat. Principem inter eos locum *blasphemis* assignat, ubi blasphemiam & definitionem pandit & divisionem, & plerosque blasphemantes hæreseos suspicionem incurrere observat, exceptis forte iis, qui in magna, quam vocat, eamque levi & levissimæ opponit, ebrietate tales se gerant, aut qui passionibus cerebri affecti rationalis facultatis defectum sentiant, (quanquam hos ob malum exemplum castigari posse admittat;) aut qui dormientes blasphemant, nisi vigilantes forsitan antea linguam male disertam fecerint; aut qui ob iracundiam mentem abalienantem in blasphemias voces erumpant, atque similes. A blasphemis progreditur ad *superstitiosos*, quibus *idololatrias* accenset, & *magos*, sed eos tantum, qui paciscantur cum Dæmone, magiam namque naturalem nullius inducere criminis suspicionem observat; *divinatores* item, arte usi Dæmonica qui fuerint, & *sortilegos*, qui a Deo eventum non expectent, nec a casu, sed a Diabolo, qua de causa fortes divinatorias omnes rejicit; imo & *vane observantia studentes* prioribus addit, & *maleficos*, & eos, qui *superfluum, vel falsum cultum Deo exhibeant.* Admodum deinde prolixus est in referendis hunc in censum iis, qui

qui Sacramentis abutantur, sive illi eadem *conficiant* sine potestate, aut debita minus materia, formaque, loco item temporeque haud debito, aut ceremoniis dispositionibusve non debitis; sive illa minus rite *offerant*, aut *secus*, quam fieri debebat, *conferant*. *Fautores* porro *haereticorum* de haeresi vehementer suspectos esse pronunciat, sive omittendo peccent, eosque vel non denuncient, vel non capiant, vel non custodiant; sive committendo, dum eos receptent, honoribusve & dignitatibus insignire haud vereantur. Heic sigillatim ad Principes excurrit seculares, eosque haereticis salvum quidem conductum posse concedere admittit, si solam spectes immunitatem a violentia, sed non item, si de immunitate absoluta quaesiveris; libertatem certe conscientiae iis a Principibus permitti, aut dignitates in eos conferri posse, inficiatur. Multo magis *defensores haereticorum* suspicione haereseos gravari dicit, & inter alia Ministros Sancti Officii, inquisitioni actu inservientes, nec directe nec indirecte impediri posse, absque haereseos suspicione, statuit. Sed de iis, *qui cum haereticis conversantur*, paulo censet mitius, & conditiones, quibus fieri id liceat, exponit. Quo pacto etiam *retinere libros haereticorum legereque* aut concessum sit, aut minus? indagat. Denique post commemoratos atroque carbone notatos illos, qui haereticorum funus comitentur, aut haereditatem iis relinquunt, aliosque, iis praecipue eandem suspicionis notam inurit, qui propositiones haereticas vel parum Catholicas in medium proferre studeant. Haec prima operis pars discussit, de qua istud adhuc monemus, quod Index diffusissimus & tertiam omnino integri tractatus partem constituens eidem subnectatur.

LETTERA DISCORSIVA DI APOSTOLO
ZENO &c.

i. e.

DISSERTATIO EPISTOLICA APOSTOLI ZENI,
Nobilis Cretensis & Civis Veneti originalis, ad Dn. Abbatem JULIUM FONTANINI, Bibliothecae Eminentissimi Dn. Cardinalis Josephi Renati Imperialis Praefectum, de magno Opere Meditationum Philosophicarum Dn. BERNARDI TAR-

*VISINI, Patricii Veneti: qua eadem de origine deque
Viris doctis Gentis Tarvisinae expo-
nitur.*

Venetiis, apud Antonium Bortoli, A. 1704. in 8. Plag. 4.

Cum *Meditationum Philosophicarum* Illustrissimi Viri Bernardi Tarvisini primum volumen prelo jamjam exiret, scripta est a Nobilissimo Autore ad venerabilem Fontaninum, ex *Aminta Tassi defenso atque illustrato* scriptisque aliis cognitum jam nobis & laudatum, hæc Epistola, qua non modo argumentum istarum Meditationum, verum etiam concinna Familiæ Tarvisinæ antiquæ & nobilis, imprimisque doctorum ex ea Virorum, & Illustrissimi hujus Bernardi adhuc superstitis historia continetur. Nos ex ea, serius huc allata, more nostro pauca delibabimus. Ponitur inter majores Illustrissimi Bernardi Tarvisini, post paucos, Marcus Tarvisinus, Fundator *Abbatie S. Thomæ Cisterciensis ordinis, Torcellanæ diæcesis*, qui A. MCC obiit. Cujus *Abbatie Historiam* aliquando in lucem dabit Epistolæ Autor. Deinde eminet Bernardus, qui A. MCCC LXVI floruit, in cujus MS. codice de *transmutatione metallorum*, qui auctior servatur in Bibliotheca Tarvisina, quam in Theatro Chimico Argentorati A. MDCXII exscriptus legitur, sunt hæc verba ad finem: *Finit hic liber, & compositus per Magistrum Bernardum Comitem Tervisianum, qui acquisivit Comitatum & ditionem de Neige in Germania per hanc artem pretiosam & nobilem.* Sequitur Zacharias prior, insignis Venetorum Orator Concilii Constantiensis tempore, cujus *Orationes* ad Romanum Pontificem aliosque eloquentissime habitas in lucem edi optat Autor, atque aliquot earum MSS. Patavii servari a Patribus Eremiticis indicat: deque eodem hoc sese expositurum pollicetur *Libro de Scriptoribus Venetis.* Postea Pauli prioris, magni peregrinatoris, mentionem facit, ejusdemque MS. *Libri Historici & Geographici*, quem apud Hieronymum Petram nuper defunctum viderit sic inscriptum: *de Nili origine & incremento: item de Æthiopum regione & moribus liber singularis, compositus per me Paulum Trivisanum Nobilem Venetum in insula Cypri, anno reparatæ salutis MCCC LXXXIII.*

Hinc

Hinc post aliquos est Marcus Antonius, Reipublicæ Venetæ Dux Illustrissimus. Deinde Nicolaus, Philosophus imprimis Platonicus, cujus *Ionem* Dialogum Platicum, e *Græco Italicum* & Venetiis A. M D XLIX in 8 editum memorat. *Opera* autem *Platonis* ab eodem multis locis signata & notis indiceque aucta, in Bibliotheca Tarvisana se videre meminit. De Andrea Jcto agens, errorem Alberici notat, qui in Catal. p. 7. 8. hunc in templo S. Mariæ Matris Domini sepultum scribat, inscriptione deceptus, quam Paulus Tarvisinus Andreæ filiolo suo duorum annorum ætate mortuo posuerit. Postea Marci Herois meminit, ejusque amicitia singularis cum Nicolao Barbarigo cultæ, cujus fama permotus Carolus I Rex Angliæ per Legatum suum horum amicorum, imagines abs Venetis petierit. Ejusdem Marci, præter libros editos, cum MSS. alios memorat, tum unum *de Religione & de cultu Divino*, Italice MS. in Biblioth. Tarvis. sibi visum. Dehinc ad Franciscum Tarvisinum, unicum Bernardi superstitis fratrem, venit, Nuncium illum quondam Alexandri VIII P. R. ad Galliarum Regem, eoque loco Epistolam integram promittit *Maintenonia*, qua hæc Pontificis S. ad se epistolii meminit, & Franciscum Tarvisinum laudat. Cujus ejusdem commentarium *de Juramento reis deferendo* editum, item *decisiones* cum *Thomæ Tarvisini Jcti decisionibus* edendas, museum porro antiquitatibus refertum, denique *dissertationem Chronologicam & Genealogicam* pro veritate Scripturæ S. conscriptam commendat epistolæ nostræ Clarissimus Autor. Qui jam tandem ad Illustrissimum Bernardum Tarvisinum, Meditationum Philosophicarum autorem devolvitur, ejusque parentes, & studia philosophica, philologica, mathematica, pictoria, antiquaria describit; deinde museum, cujus Inscriptiones Græcas & Latinas a *Jo. Ant. Astorio* editum iri confidit; postea Bibliothecam mille & amplius MSS. codicibus refertam, inter quos est *Alex. Tassonis Conspectus Annalium Baronii* tribus voluminibus, quo multi Baronii errores castigantur, &c. quos omnes in *Catalogis MSS.* se commemoraturum promittit Noster; porro scripta nondum publicata XLII; præterea mores atque amicitias ejusdem commemorat, tandemque ad Meditationum ejus Philosophicarum opus progreditur, cujus *Specimen*, librum

brum nempe *de Immortalitate animæ*, Venetiis A. 1699 in 4 prodiisse docet. Ipsum autem illud *Meditationum* opus, non compilatum, sed ex ingenio Autoris natum, in VIII volumina, partibus distincta, dispescitur. E quibus primum Volumen partibus tribus, adversus *Scepticos* rerum veritatem & cognitionem, adversus *Archeos* DEI existentiam & providentiam, deindeque animæ immortalitatem demonstrat. Volumen II Legibus Gentilium rejectis, Scripturæ S. auctoritatem confirmat. III Fidei Christianæ veritatem: IV Religionis Catholico - Romanæ præstantiam, Mahometana cæterisque condemnatis: V Pontificis R. dignitatem probat. VI deinde, ad Politica spectans, Legum necessitatem ostendit. VII autem morum doctrinam affectuumque moderationem commendat. Denique VIII viam tranquillius & vivendi & moriendi commonstrat. Hæc ubi latius paulo diduxit Autor Epistolæ doctissimus, libellum concludit. Cæterum eundem Nobilissimum Autorem plura alia & edidisse, & adhuc moliri, non ignoramus. Quippe Tomo I operis, quod *la Galleria di Minerva* inscribitur, & Venetiis A. 1696 in fol. prodire cœpit, p. 65 ejus Vita Joannis Georgii Trissini, p. 78 Vita Joannis Baptistæ Guarini Poetæ celeberrimi, & p. 165 Series Chronologica Auctorum, qui publica auctoritate Historiam Venetam scripserunt,prehenduntur; ut taceamus, eum Academia, quam *della Galleria di Minerva* vocant, Secretarium diserte perhiberi ejusdem operis tomo II p. 165. Quin & elegantissimum ejus Drama *Il Narcisso Pastorale*, intra decem dierum spatium compositum, commendat Joannes Cinelli in Bibliotheca Volante Loculo (*Scanzia*) X, qui hæcenus desideratus Venetiis hoc ipso anno prodiit, pag. 9. Denique ex Justi Fontanini libro *L' Aminta di Torqu. Tasso difeso e illustrato* Romæ A. 1700 edito p. 179 didicimus, Apostolum Zenum opus excellentissimum de Poetis Italis moliri, in quo eos contra exterorum censuras defendere conabitur.

OBSERVATIO AD RECENSIONEM LIBRI DE
Fidei & Rationis consensu a Domino JAQUELOTO
editi mense Octobri proxime præcedenti
factam.

Cum hæc Recensio Clarissimi Jaqueloti sententiam *de Leibniana Harmonia præstabilite Hypothesi* attigerit, quæ nusquam adhuc in his Actis est explicata; operæ pretium visum est, ad meliorem ejus intellectum, missam nobis ipsorum Dn. Jaqueloti verborum ex Libro recensito excerptorum Latinam versionem adjungere, ut appareat, quis sit consensus aut dissensus. Quia (*inquit pag. 381. 382.*) difficile est, comprehendere, quomodo voluntas motum corpori imperet, Celeberrimus Leibnitius Corpus considerat tanquam machinam tensam & dispositam ad efficiendos omnes motus quos producit, & Animam tanquam substantiam omnes continentem ideas sese successive evolventes, modo motibus omnibus corporis conformi & correspondente. Itaque cum brachium movere volo, evenit, ut brachium moveatur virtute machinæ dispositæ atque tendentis ad brachium in hoc instanti movendum. Hoc modo Anima & Corpus se fere habebunt, ut duo horologia pendula, quæ motus suos pariter iisdemque momenti exercent. Qui causas occasionales defendunt, volunt ob unionem animæ & corporis, Deum ad certorum motuum præsentiam in anima formare certas ideas; & ad præsentiam certorum actuum voluntatis, Deum producere certos motus in corpore. Quod Dn. Leibnitius non probat, quia ista hypothesis perpetua supponit miracula. Systema receptum medium inter has duas sententias tenet, quæ magnas difficultates pati videntur. Videri possit prima specie, in priore systemate libertatem non nisi quandam illusionem esse, cum anima & corpus per causam efficacem & antecedentem ad omnes suas cogitationes & actiones disponantur, tantumque revera evolvatur, quod erat tectum & involutum. *Systema causarum occasionalium* majoribus adhuc difficultatibus laborat. Nam in eo Deus agit omnia, creaturæ non nisi umbræ sunt vanæ, & entia actionis expertia. Quid ergo virtutibus & vitiis fiet? An credi oportet, Deum ad aspectum Betsabæ in anima Davidis ideam concupiscentiæ excitasse, & in animas Phariseorum impressisse ideas blasphemix contra Spiritum Sanctum, cum dæmones viderent ex corporibus dæmoniacorum ejectos? Quocunque effugio, aut quacunque subtilitate utamur, res huc semper redit. Exponit deinde Clarissimus Autor rationes, cur systema receptum,

quo anima in corpus & corpus in animam influxum exercet, ipsi magis placet. Sed tandem ita pergit p. 387. fqq:

Si tamen systema Leibnitianum bene intelligitur, reperietur, in eo non destrui libertatem; anima enim facultatem habet decreta sua formandi, ac volendi quod placet. Et quod actiones corporis ab anima imperatas attinet, non potest officere libertati dispositio corporis ita a Deo formati, ut motus ejus præcise voluntatibus animæ respondeant, quod tali exemplo intelligi potest. Ponamus, Mechanicum egregium scire, quæ ego famulo meo tali die sim imperaturus, eumque posse formare automatam par exequendis omnibus motibus a me ea die imperandis. Certum est, me tunc Automato illi tanquam famulo meo imperaturum ea, qua fruor, libertate, neque illam ipsius automati spontaneam ad suos motus determinationem, quicquam libertati meæ præjudicaturum. Eodem se modo res habet in corpore humano, secundum systema Leibnitianum, quod ideo appellari solet *Systema Harmonie præstabilite*. Deus formavit nostra corpora tanquam machinas, quæ debent respondere certis motibus nostrarum animarum. Tale Automatum non est impossibile Deo, qui novit omnes determinationes meæ voluntatis, motusque machinæ his determinationibus accommodavit. Hoc systema exemptum est difficultatibus, quæ in aliis reperiuntur. Non intelligitur in systemate recepto, quomodo voluntas agere possit in corpus, & in systemate causarum occasionalium omnia fiunt miraculose, & Deus movet brachium meum occasione meæ voluntatis, corpus proprie loquendo nihil agit. Sed in systemate Leibnitiano agit revera. Quod animam attinet, concipi utique potest, Deum ipsi in creatione dedisse ideas confusas & involutas omnium objectorum universi, quæ evolvantur & distinctæ fiant, prout objecta mutationes producant in eo corpore, quod animæ est conjunctum, quia Deus ita creavit animam & corpus, ut perfecte sibi respondeant. Anima deinde in sese ipsa agit secundum illas ideas & perceptiones distinctas, ut judicia sua formet, suaque placita ac destinata animo concipiat, secundum electionem quam instituit. Ipsa imperat, & corpus exequitur virtute dispositionis a Creatore ad exequendum ei datæ.

Itaque concludo (*inquit Vir Clarissimus sub ipsum disserta-*

tionis finem) si intelligi queat, animam agere in corpus propria virtute, & quodam genere influxus, qui motum in eo producat, sequendum esse systema receptum. Simplicius enim est aliis & liquidius, (*plus simple & plus dégagé.*) Et in favorem ipsius, adduci potest exemplum Dei cuncta creantis & conservantis sola voluntate. Sed si velimus sequi ideas, quas habemus de corpore & de spiritu, una cum propriis eorum attributis, atque adeo nolimus corpus agere in spiritum, aut spiritum (creatum) in corpus; amplectendum erit systema Leibnitianum. Systema enim causarum occasionalium non nisi mera est illusio. *Hæc Clarissimus Autor*, agnoscens commercium animæ & corporis, secundum naturæ ordinem, non alio modo, quam secundum Leibnitianam hypothesin, intelligibiliter explicari posse. Quoniam in iis, quæ in corpore & anima intelligimus, nihil apparet, quod ad influxum eorum, mutuuum explicandum inserviat. Cæterum modus, quo Deus agit in creaturas, toto genere diversus est, consistit enim in creando: quoniam ipsa creaturarum dependentia a Deo seu conservatio, continua est creatio. Hanc autem dependentiam veram & necessariam esse, certis demonstrationibus docemur, etsi modum hunc agendi, ob infinitam ipsius agentis naturam, explicare non possimus.

GEOGRAPHIA SACRA, EX VETERI ET NOVO Testamento desumpta & in Tabulas quatuor concinnata, Autore NICOLAO SANSON, Abbavilleo & Galliarum Regis Geographo. Accesserunt in Indicem Geographicum Notæ JOANNIS CLERICI, nec non ejusdem Prefatio.

Amstelæd. apud Franciscum Halmam, 1704. in fol. ch. aug.

Constat Alph. 2. plag. 7. & Tab. Geogr. 4.

Liber iste jam olim, anno nimirum seculi superioris sexagesimo quinto, Lutetiæ Parisiorum lucem adspexit. Cum igitur Francisco Halmæ, Bibliopolæ Amstelodamensi solertissimo, eundem denuo typis exprimere visum fuisset, doctissimum Clericum adiit, & ab eo petiit, ut, si qua ratione nova hæc editio exornari augerive posset, illud facere non gravaretur. Vir ille

Clarissimus, quemadmodum nihil prius antiquiusve habet, quam ut bonis literis quacunque data occasione auxiliatrices manus commodet, sic hac quoque vice honestis petitis absque ullo negotio annuit, adeoque ejus opera varia accesserunt, quæ novam hanc editionem splendidiorē longe atque Reipublicæ literariæ utiliorē haud dubie reddunt. Primo enim præfationem præmisit luculentissimam, in qua quendam indiculum eorum texit, qui aut Judæam descripserunt, aut certe quidpiam ad Geographiæ sacre illustrationem, labore atque industria sua contulerunt. Nec tamen omnes, qui Itineraria olim aut nuper Terræ sanctæ scripsere, in medium attulit, eos tantummodo recensere satis habens, qui antiquam Judæam eruditorum oculis exposuerunt. In hisce itaque recensendis initium facit ab Aristeo, qui in Historia LXX Interpretum, & Hierosolymam & Judæam paucis descripsit; agmen vero claudere jubet celeberrimum Fridericum Spanhemium, non ita pridem fato functum, qui prima parte Geographiæ sacre, Judææ Chorographiam breviter & perspicue tradidit. In hisce autem omnibus, quorum mentionem fecit, tum quæ laudanda, tum quæ desideranda veniant, paucis lectori indicavit. Et tandem, cum in Geographia sacra spicilegium non omnino spernendum relictum fuerit, se ipsum in Commentario suo ad Josuæ librum mox edendo, id sedulo operam daturum esse pollicetur, ne quid in posterum ad Geographiam illam antiquam Judææ probe intelligendam desit. Post hæc Clarissimi Clerici prolegomena, alia, ipsius nempe Auctoris, præfatio sequitur, in qua instituti rationem breviter exponit, quam in adornandis duabus tabulis Geographicis, quarum una totius orbis in Bibliis sacris cogniti partes continet, altera Terram promissam sive Judæam in suas tribus divisam exhibet, secutus fuerit. In iis enim concinnandis, se Terræ sanctæ tabulas omnes & descriptiones, a variis auctoribus exaratas, inter se contulisse, iisque accurate inspectis, Adrichomii typum aliorum omnium optimum, ejusdemque descriptionem reliquis exactiorem cognovisse. Quamvis igitur Adrichomii typum se plurima ex parte imitatum esse, non diffiteatur, diversam tamen ab eo rationem in locorum positionibus se observasse, earumque pene alteram partem immutasse, & ubi Adrichomius ex singulis urbium nominibus

bus plura fecerit, iis verum genuinumque nomen restituisse. Hanc præfationem excipiunt animadversiones in tabulam Judææ, ubi numerum civitatum cujuslibet tribus earumque situm, longitudine & latitudine locorum simul ad marginem adnotata, accurate exponit, ita ut observationes notatu utique dignas subinde inspergat. In hisce autem animadversionibus, lectores sæpissime ablegat ad Indicem Geographicum, quem iisdem Auctor statim subjunxit, in quo regiones & loca omnia, in utraque tabula Geographiæ sacrae descripta, uberius explicat, rerumque simul temporibus utriusque Testamenti in iis gestarum historiam, verbis ex Scriptura S. satis prolixè allegatis enarrat. Quamvis autem Sansonius in hisce, quæ hæcenus recensuimus, egregiam plane operam præstiterit, doctissimus tamen Clericus in notis ad Indicem ejus Geographicum evidenter ostendit, Virum Clarissimum feliciter, & magis inoffenso pede, in hoc stadio decurrere valuisse, si æque a notitia Hebraicæ & Græcæ linguæ, ac reliqui Geographiæ disciplinæ artificii, instructus accessisset. Quod si enim ipsos fontes adire licitum ei fuisset, multa sane urbium nomina Vulgatam sequendo perperam non scripsisset, nec etiam animadversiones veritati Historiæ repugnantes sæpius attulisset; id quod Clericus in notis jam dictis multis omnino exemplis probavit. Nec solum in iis id egit Vir doctus, ut potissima Sansonii delicta, minoribus prætermittis, emendaret, sed passim quoque addidit, unde plura & meliora peti possint, in eorum gratiam, quorum hæc accuratius nosse intererit. Agmen in hoc opere Geographico claudit brevis tractatus, quem *Judææ* nomine auctor Sansonius insignivit, in quo id potissimum agit, ut brevem historiam contexit eorum, qui hanc regionem diversis temporibus incoluerint. Quibus omnibus accedunt Jesu Christi & Apostolorum Petri & Pauli vitæ, ab eodem in epitomen contractæ, in quibus, verbis ex Scriptura S. desumptis, præcipue describuntur illorum patria, mansiones, itinera & peregrinationes; quæ ut lectorum oculis eo melius repræsententur, in hunc finem utrique operi tabula Geographica est præfixa.

Et sic finem de hoc libro differendi faceremus, nisi unicum adhuc commemorare, operæ pretium fore existimarem. Nimirum sub finem Bibliopola pollicetur, se suavis Virorum do-

etorum, Eusebii librum de Locis Hebraicis, quem Clericus quoque in præfatione cæteris omnibus ad Geographiam sacram pertinentibus præstare dixerat, cum Hieronymiana versione, quamprimum editurum esse. In eo autem excudendo, se Jacobi Bonfrerii editionem, quam sequatur, elegisse ait, ita tamen, ut notis subinde novis Clarissimi Clerici illustrata ea proditura sit, eidemque operi subjiciatur descriptio Terræ sanctæ a Brocardo Monacho quondam edita, cujus itidem Clericus in præfatione supra laudata mentionem injecerat. Hæc omnia ita typis imprimenda Fr. Halma adseverat, ut cum Sansonii non nimis spisso opere, ad justum volumen constituendum, conjungi & una compingi queant.

*JO. BARTHOLDI NIEMEIERI THEOL. D. ET IN
Academia Julia P. P. Theologia Moralis. Editioni huic se-
cundæ accesserunt de Gentilium statu atque
conditione post hanc vitam Disser-
tationes duæ.*

Helmstadii, apud Salom. Schnorrium, 1704, in 4to.
Constat Alph. i. pl. 3.

JAM aliquot effluxerunt anni, ex quo Maxime Reverendus Autor Theologiam Moralem in usum exercitiorum Academicorum, adornavit, preloque commisit. De cujus nova editione, ob distraeta exemplaria, cum cogitaret, notas, quas in priori promiserat, passim inferere in animo quidem habuit, verum ne auditorum suorum commodis mora injiceretur, hac vice libello nihil addidit, nihilque in eo immutavit. In illo autem eam observat methodum, ut in parte communi finis, cum ultimi & externi, qui est æterna hominis salus, tum proximi & interni, qui est pia & Christiano homine digna vita, rationem habeat, hinc subjecto, homine scilicet justificato & renato, exposito ad media deveniat, ac in parte speciali triplicem statum hierarchicum sequatur, ad illius ordines singula vitæ genera reducens. Ne tamen sine omni additione libellus hic prodiret, eidem Dissertationes duas, de Gentilium statu atque conditione post hanc vitam, jam anno 1694 primum editas, Clarissimo Autori placuit subjungere, in quibus ortho-

orthodoxa sententia, cum S. Scripturæ testimoniis, tum priscae Ecclesiae suffragiis atque consensu confirmatur, & contra dissentientes, quorum magnam nubem posterior Dissertatio sistit, non accurate minus quam modeste adstruitur.

JO. ANDREÆ SCHMIDII, D. P. P. ABBATIS Mariae-Vallensis, Compendium Theologiæ Moralis, in varios Auditorum usus conscriptum, & in subsidium memoriæ tabulis instructum.

Helmstadii, impensis Jo. Melch. Sustermanni, 1705. in 8.
Constat Alphabet. i. plag. 3.

CUM Theologiæ Dogmaticæ & Ecclesiasticæ Historiæ compendia, maxime in usum suorum Auditorum, hætenus ediderit Reverendissimus Schmidius, commoda discentium non minus se promoturum esse existimavit, si primas Moralis Theologiæ lineas duceret, easque typis exscribendas traderet. Quamvis vero diversi hujus doctrinæ doctores diversas tractandi rationes sequantur, dum quidam solum Decalogi ductum observant, ut veteres nonnulli & recentiores; alii & Decalogi & Orationis Dominicæ ordini insistant, ut *Hornejus*; alii capita omnia Catechetica respiciunt, ut *Dannbauerus* & *Langius*; alii Locorum omnium Theologorum rationem habent, ut *Majus*: quamvis etiam juxta monitum *Baconis de Verulamio de Augm. Scient. l. 7. c. 1.* duas hujus doctrinæ partes constituere quis posset, alteram de *exemplari*, seu natura boni, alteram de *regimine* & cura animi, quam partem *Georgicam animi* Baco adpellavit, uti hæc Celeberrimus Autor in hujus libelli prolegomenis p. II. ipse monet: placuit tamen eidem aliam viam eligere, ac methodum practicis scientiis alias communem retinere. Præmissis nimirum quibusdam prolegomenis, in quibus natura & constitutio Theologiæ Moralis exponitur, in tres partes dispescitur compendium, quarum *prima* vitæ sanctimoniam illiusque oppositum describit; *secunda* subjectum operationis, seu hominem sanctificandum exhibet; *tertia* denique de principiis & mediis ad vitæ sanctimoniam ducen-
tibus agit. Singula autem ita pertractantur, ut theses breviores,
in-

inspersis quibusdam notis, in singulis capitibus declarentur, in quorum fine tabulæ synopticæ ad juvandam legentium memoriam adduntur. In brevi alloquio ad Auditores, huic compendio præmisso, Cel. Autor a Deo ad elaborandum majus aliquod Theologiæ Moralis Systema plura eaque specialiora continens capita, nec non ad pertexendas reliquas operas, quas olim auditoribus suis promiserit, vires & otia sibi expetit. Hujus ergo voti ut compos reddatur, nos ipsi benignissimum Numen serio presamur.

D. ÆGIDII STRAUCHII, THEOLOGI OLIM VITENBERGENSIS atque GEDANENSIS, Theologia Moralis, in Academia Regia Pomeranorum e manuscripto edita atque disquisitioni publicæ exposita a D. JO. FRID. MATERO, Consiliario Regio, Theologo Prof. Prim. Universit. Pro-Cancel. & Superint. Generali, qui Bibliothecam Scriptorum Theologiæ Moralis & Conscientiariæ adjecit.

Gryphiswaldiæ & Lipsiæ, apud Jo. Wolffg. Fickweilerum, 1705. in 8. Constant Alph. 2. pl. 9.

Quemadmodum celeberrimi nominis Vir, Jo. Frid. Mayerus, Gryphiswaldensis Academiae illustre decus, & sui ingenii præstantissimi, & aliorum monumentis editis, eruditum Orbem jamdudum sibi obstrictum reddidit: ita cum præsens Ægidii Strauchii opusculum scholis ultimis Vitenbergæ, antequam Gedanenses accederet, ab ipso traditum, in scriniis instructissimæ suæ Bibliothecæ hæctenus delituisse, noluit illud, pro eo quo in rei litterariæ commodum fertur studio, publicæ luci amplius invidere. Equidem auctius quoddam Moralis Theologiæ opus, ab eodem beatæ memoriæ Strauchio elaboratum, plurimorum manibus ferri non ignorat; ex quo ea, quæ huic opusculo deesse videntur, B. Hülsemanni Casibus Conscientiæ, quos itidem ex manuscripto editurus est, addere constituit Summe Reverendus Editor: utilius tamen ipsi visum fuit, præsens compendium, quod ingeniosa brevitate se commendat, Orbi erudito exponere, præsertim cum in usus Doctorum Academicorum illud edere, & XXI disputationibus

bus ad ventilandum studiosis juvenibus proponere suscepit; perinde uti olim in Academia Vitenbergensi, Doctoris publici munere fungens, B. Dorschæi Theologiam Moralem typis publicis describi fecerat, & ex cathedra Academica publico examini subjecerat: quod Dorschæi quoque opus ex B. Autoris *αυτογενή Φω*, quod interea nactus est, accuratius edere constituit. Ipsum vero Strauchii opus, quod Viro Perillustri, Olo Hermelino, Carolo XII Suecorum Monarchæ a sanctioribus consiliis, una cum Bibliotheca subjuncta Mayerus dedicavit, ita comparatum est, ut primo naturam & constitutionem Theologiæ Moralis, deinde finem atque media tum generalia, tum specialia, exhibeat hac methodo, ut ex propositis quæstionibus, quibus *ἐκ θεοῦ* quædam subjicitur, conclusiones certæ educantur, quas antithesis demum excipit.

Quod Bibliothecam Scriptorum Theologiæ Moralis & Conscientiariæ attinet, quam Celeberrimus Mayerus in studiosæ Juventutis gratiam collegit, & B. Strauchii libro adjecit, in tres partes illa dividitur, in quarum prima Scriptores nostræ Ecclesiæ, in secunda Reformati, in tertia Pontificii, ordine alphabetico ita recensentur, ut anno, quo quivis mortem obiit, plerumque indicato, librorum huc spectantium titulus exhibeatur, sæpiusque aut de scriptoribus, aut scriptis, judicium quoddam subjiciatur. Dum p. 5. Autor *Jo. Conradi Dannhaueri libros Conscientiæ apertos*, h. e. *Theologiæ Conscientiariæ* tomos duos memorat, monet se primas perfectissimi laboris hujus lineas, quas in gratiam auditorum privatorum Argentorati A. 1647 summus Theologus duxerat, in MSto possidere, quæ lacunas quasdam in posteriori tomo occurrentes, cujus publicationi B. *Dannhauerus* immortuus est, felicissime supplere possint, easque, si Deus vitam viresque concesserit, quas ipsi quoque exoptamus, e tenebris se producturum promittit. Neque prætereundum esse existimamus, quod p. 26 circa B. *Schomeri Specimen Theologiæ Moralis* occurrit, de quo plurimi hæctenus persuasi fuerunt, morte laudati Auctoris præmatura factum fuisse, quin opus præstantissimum perficere potuerit. Verum Mayerum nostrum Vir Clarissimus *Jo. Philippus Palthenius*, ipsius Collega conjunctissimus, qui mutui adfectus Pufendorffium inter & Schomerum interpres olim extitit,

alia edocuit, monuitque causam abrupti operis non magis morti tribuendam, quam mutatæ in *Schomero* potius animi sententiæ, qui alia jam ratione opus susceptum aggredi ad *Pufendorffii* sententiam, induxerat in animum. Scilicet (ita Mayerus ipse rem exponit) postquam proscripta, quæ in scholis olim obtinuerat, rerum a revelatione atque ratione pendentium confusione, *Pufendorffius* meram Philosophiam Moralem ita tradiderat, ut ad captum esset omnium omnino hominum, quacunque illi religione tenerentur, & posita certa propositione, quam vocat, fundamentali, reliquæ ex ea theses perpetuo quodam ratiociniorum nexu junctæ deducerentur: monebat idem *Schomerum*, ut Theologiam Moralem, ex sacro Codice traditis unice depromptam, certoque principio innixam, continua cohærentium dogmatum serie extractam, omniumque, qui circa res rationi proprias dissentirent, captui accommodatam nobis daret, ut adeo latus Philosophiæ, utpote natura sua prioris atque latius patentis, quæ eandem subsequitur, atque strictius præcipit, Theologia apte clauderet, & in singulis partibus, quæ hominis, quæ Christiani officia sint, distincte cognosceretur. Id quod eo quidem commodius *Pufendorffius* existimabat, quod hoc modo docendi ratio, ipsi Christo usurpata, in usum scholarum adduceretur, qui non dispari ratione summam legis ad *charitatem* reduxisset, quam qua ipse honestatis compendium in *socialitate* tradidisset, simulque surrecturis inter Theologos atque Philosophos controversiis æternus poneretur obex. Hinc adeo, probante *Pufendorffii* sententiam *Schomero*, factum esse, ut non tam de veteri opere continuando, quam de novo concinnando, Theologus summus cogitaverit: spes deinde omnes intervertente morte. P. 28 *Consilia Theologica* Vitebergensia, a Calovio, Meisnero, Quenstedio & Deutschmanno collecta, Mayerus recenset, optatque non modo, ut istorum exemplum alii Doctores Facultatum Theologicarum nostræ Ecclesiæ imitarentur, sed dolet etiam vehementer, scripta ejusmodi sanctissima sæpe ab hæredibus Decanorum negligi penitus ac pessime haberi, mente imprimis volvens, quæ de plurimis Consiliis & Responsis Theologorum Lipsiensium, *Schilteri*, *Weinrichii*, *Lyseri*, *Höppneri* aliorumque, a *B. Scherzero* olim audiverit. Et quamvis idem fere fa-

fatum eam Facultatem, quam hodie ornat Magnificus Vir, oppres-
serit, subtraxeritque hucusque *Rungiorum, Krakewizii, Batti, Bal-*
tbas. Rauens, aliorumque labores, spem tamen non levem ad-
fulgere dicit, quædam illorum, Deo propitio, improbo stu-
dio se adepturum, & publico daturum
esse.

ERRATA.

Pag. 16 lin. 18 lege *γγγγ*. Pag. 13 sqq. lege *Theraphim*.
Pag. 15 l. 5 pro *filium suum* lege *Levitam*. P. 196 l. 6 pro *paro-*
chiales lege *ecclesiam*. P. 198 l. 9 pro *itaque* lege *atque*. P. 201
l. 33 ante vocem *frequenter* pone *interca*. P. 206 l. 27 pro *pars*
fructuum lege *magni autem sint fructus exinde obvenientes, pars*
illorum. P. 238 initio lineæ II ponatur vox *ipsorum*. P. 239 l. 2. 3
pro *stabilitas* lege *stabilita*. P. 312 l. 13 pro *existimetur* lege *se*
existimet.

INDEX AUCTORUM,

quorum Libri aut Inventa hoc volumine
recensentur.

I. Libri Theologici & ad Historiam
Ecclesiasticam spectantes.

- A**lexandri (Natalis) *Expositio Evangelii Jesu Christi secun-*
dum quatuor Evangelistas. 388
Anonymi Conciliatio Mosis & Stephani circa numerum Familie
Jacobi. 103
Anonymi Admonitio ad Catholicos Fœderati Belgii incolas de
Decreto Romana Inquisitionis contra Archiepiscopum
Sebastenum dato. 105
Anonymi Motivum Juris pro Procuratore Curie Ecclesiasticæ
Mechliniensis contra P. Paschasium Quesnel. 422
Bbb b 2 Bac

- Bacchini (*Benedicti*) *Dissertatio de Ecclesiasticæ Hierarchiæ Originibus.* 330
- Brantii (*Gerhardi*) *Historia Reformationis Belgii & vicinarum provinciarum.* 56
- Braunii (*Job.*) *Commentarius in Epistolam ad Hebræos.* 390
- Braun (*Davidis*) *Meditationes selectæ de Sublimi Homini Sciencia.* 51
- Burfcough (*Roberti*) *Discursus de Unitate Ecclesiæ; de Dissentientium Separatione ab Ecclesia Anglicana &c.* 232
- Calvoerii (*Casparis*) *Ritualis Ecclesiastici Pars posterior.* 166
- Chreyghton (*Johannis*) *trium S. Johannis & unice S. Jacobi Epistolarum Explicatio.* 269
- Clerici (*Joannis*) *Notæ in Geographiam Sacram Nicolai Sanson.* 555
- Croesii (*Gerhardi*) *Historia Hebræorum ab Homero exposita.* 74
- Cyrilli Hierosolymitani Archiepiscopi Opera, quæ supersunt, omnia. 1
- Van Dale (*Antonii*) *Dissertatio super Aristeæ de LXX Interpretibus: Historia Baptismorum &c.* 519
- Dandini (*Anselmi*) *De Suspectis de Heresi Opus.* 547
- Dodwelli (*Henrici*) *De Nupero Schismate Anglicano Parænesis ad exteros, qua Episcoporum a Magistratu Seculari independetia asserenda commendatur.* 132
- Erasmi (*Desiderii*) *Operum omnium Tomus V. VI. VII.* 481
- Feustkingii (*Jo. Henrici*) *Commentarius in Epistolam II ad Timotheum, secundam & tertiam Johannis, & Judæ.* 242
- Forbesii (*Joannis*) *a Corse Opera omnia.* 227
- Van der Hardt (*Hermanni*) *Epistola in Genes. II. 18. 19. 20. de vocatis ab Adamo animalibus.* 247
- Hodii (*Humfredi*) *de Bibliorum Textibus originalibus, versionibus Græcis & Latina vulgata.* 507
- Hunnii (*Ægidii*) *Thesaurus Apostolicus, complectens Commentarios in omnes N. T. Epistolas & Apocalypsin Johannis.* 241
- Jaqueloti *Consensus Fidei & Rationis.* 440. 552
- Ittigii (*Thomæ*) *de Synodi Carentonensis a Reformatis A. 1631. celebratæ Indulgentia erga Lutheranos.* 364

- Jurieu (*Petri*) *Historia Critica dogmatum & cultuum bonorum malorumque in Ecclesia ab Adamo usque ad Christum receptorum.* 9
- Kennet (*White*) *de Appropriationibus & Augmento Curarum, quæ Vicaria dicuntur &c.* 193
- Leidekkeri (*Melchioris*) *de Republica Hebræorum Libri XII.* 97
- Ludolfi (*Jobi*) *Psalterium Davidis Æthiopice & Latine, cum Notis & Lectionibus.* 64
- Mabillonii (*Johannis*) *Annales Ordinis S. Benedicti.* 413
- De Malvenda (*Petri*) *de Concilio Tridentino Epistola & Observationes* 246
- Mayeri (*Jo. Friderici*) *Bibliotheca Scriptorum Theologiæ Moralis & Conscientiariæ.* 560
- Milles (*Thome*) *Notæ in S. Cyrilli Archiepiscopi Hierosolymitani Opera.* 1
- Mulleri (*Jo. Joachimi*) *Historia Protestationis Statuum Evangelicorum & Augustanæ Confessionis.* 255
- Nicholls (*Gulielmi*) *Collatio cum Theista, concernens doctrinam de Immortalitate Animæ.* 91
- - *Tractatus de Religione Principis.* 381
- Niemeieri (*Jo. Bartholdi*) *de Conjugiis prohibitis Dissertationes junctim editæ.* 315
- - *Theologia Moralis.* 558
- A Piconio (*Bernardini*) *Epistolarum B. Pauli Apostoli triplex Expositio.* 476
- Pippingi (*Henrici*) *Sacer Decadum Septenarius, Memoriam Theologorum nostræ ætate Clarissimorum renovatam exhibens.* 230
- Quesnelli (*Paschasi*) *Idea universalis Libelli, qui sub titulo Motivi Juris contra P. Quesnellum editus est.* 426
- Sanfon (*Nicolai*) *Geographia Sacra, cum notis Jo. Clerici.* 555
- Schmidii (*Jo. Andree*) *Compendium Theologiæ Moralis.* 559
- Sgambati (*Scipionis*) *Archivorum Veteris Test. Libri III, seu de Apocryphis V. T.* 337
- Strauchii (*Ægidii*) *Theologia Moralis, edita a D. Jo. Frid. Mayero.* 560

- Strimesii (*Samuelis*) *Delineatio Consensus inter Evangelicos, Lutheranos & Reformatos, in fundamento fidei.* 139
- Van Toll (*Theodori*) *Expositio Prophetæ Amos.* 487
- Vaes (*J. A.*) *Processus Officii Fiscalis Curia Eccles. Mechliniensis contra Gabrielem Gerberon.* 242
- De Vargas (*Francisci*) *aliorumque de Concilio Tridentino Epistola & Observationes.* 246

II. Libri Juridici.

- Anonymi Manuale Processus Imperialis, seu Judicii Casareo-Imperialis Aulici.* 430
- Bergeri (*Jo. Henrici*) *Enarratio L. 10. ff. de Jure Fiscii & L. 2. C. qui & adv. quos in integr. rest.* 433
- - - *Electa Processus Executivi, Possessorii, Provocatorii & Matrimonialis.* 36
- Gothofredi (*Dionysii*) *Corpus Juris Civilis Romani.* 537
- Hornii (*Casparis Henrici*) *Jurisprudentia Feudalis Longobardo-Teutonica.* 340
- - - *De Jure Proedria seu Præcedentia.* 491
- Kennet (*White*) *de Appropriationibus, & Augment) Curarum, quæ Vicaria dicuntur &c.* 193
- De Lyncker (*Nicol. Christoph. L. Baronis & Equitis*) *Consilia, seu Responsa.* 314
- Mayeri (*Joh. Ebrenfried*) *Tractatus de Jure Primariarum Precum.* 428
- Menckenii (*Luderi*) *Dissertationes Juridicæ.* 344
- Rivini (*Q. Sept. Florentis*) *Enunciata Juris ad Ordinationem Processus Saxon. Electoralem.* 379
- Struvii (*Georgii Adami*) *Jurisprudentia Germanice.* 43
- Struvii (*Barckard Gotthelfii*) *de Vita & Scriptis Georgii Adami Struvii.* 127
- Voet (*Johannis*) *Commentarii ad Pandectas Pars posterior.* 493
- Westenbergii (*Joannis Orwin*) *de Causis Obligationum liber singularis.* 207

III. Libri Medici & Physici.

- A** Nonymi Dilucidatio Libri de Generatione Vermium in Corpore Humano. 345
- Anonymi Collectio precipuorum quorundam Naturæ Phenomenorum, una cum variis Discursibus coram Societate Regia recitatis. 539
- Camelli (Georgii Josephi) Historia Stirpium insule Luzonis & reliquarum Philippinarum. 180
- Cowperi (Guilielmi) Epistola exhibens Anatomem earum Marsupialis Americani partium, quæ a fœminæ partibus discrepant. 110
- Freind (Johannis) Emmenologia, seu de Fluxu Muliebri Menstruo. 174
- De Moor (Bartolomæi) Pathologia Cerebri Delineatio Practica. 57
- Morlandi (Samuelis) Observationes circa partes & usum florum in plantis. 275
- Raji (Joannis) Historiæ Plantarum Tomus III. 180
- Ridley (Hum.) Observationes de Asthmate, Hydrophobia, Cordis in Embryone structura &c. 117
- - - Experimentum Anatomicum ad veram Duræ Matris motus causam detegendam. 215
- Sidetæ (Marcelli) Carmen de Medicina ex Piscibus. 326
- Scheuchzeri Specimen Lithographiæ Helvetica curiosæ. 479
- Tournefort (Josephi Pitton) Corollarium Institutionum Rei Herbariæ. 138. 180
- Valsalvæ (Antonii Mariæ) de Aure Humana Tractatus. 462
- Vieussens (Raymundi) Novum Vasorum Corporis Humani Systema. 453
- Wedelii (Georgii Wolffgangi) Centuria II Exercitationum Medico-Philologicarum Decas I. 251
- - - Introductio in Alchimiam. 406
- Wolffii (Ido) Observationum Chirurgico-Medicarum Libri II. 286
- Wrightii (Jo.) de Ulcere Pulmonum Epistola ad Gu. Cowperum, cum hujus responsione. 211

IV. Libri Mathematici.

- A** Nonymi Collectio Naturæ Phenomenorum a maximis ævi hujus Philosophis explicatorum. 539
- Bernoullii (Joannis) Motus Reptorius pro Lineis Curvis in unam omnibus æqualem colligendis vel a se mutuo subtrahendis. 347
- Blanchinii (Francisci) Solutio Problematis Paschalis. 305
- Craig (Jo.) Solutio Problematis a Jo. Bernoullio in Diario Gallico A. 1703 M. Febr. propositi. 190
- Hayes (Caroli) Tractatus de Fluxionibus, sive Introductio ad Philosophiam Mathematicam & Mechanicam. 474
- Jartoux Observationes Macularum Solarium Pekino ex Sinâ misse. 483
- Newvtoni (Isaaci) Tractatus duo, de Speciebus & Magnitudine Figurarum curvilinearum. 30
- Quartaironii (Dominici) Responsiones ad nonnullas Assertiones pro Reformatione Kalendarii Gregoriani de Paschate, A. 1700. 319

V. Libri Historici, Geographici &c.

- A** Nonymi Sylloge Itinerariorum, quorum aliqua e linguis exoticis in Anglicam translata, alia nunc primum ex schedis Auctorum prodeunt &c. 151
- Anonymi Historia humani generis. 431
- Arriani Nicomediensis Expeditionis Alexandri Libri VII & Historia Indica. 295
- Bacchini (Benedicti) de Ecclesiasticæ Hierarchie Originibus. 330
- Begeri (Laurentii) Commentarius in Flori Rerum Romanarum libros duos priores. 49
- Bosmanni (Guilielmi) Historia Itineris ad Littoris Guineensis in Africa provincias suscepti. 261

- Brantii (Gerhardi) *Historia Reformationis Belgii & vicinarum provinciarum.* 56
- De la Chaussé (Mich. Angeli) *Aureus Constantini Augusti Nummus de Urbe liberata explicatus.* 285
- De la Croix *Geographia Universalis.* 479
- Dodwelli (Henrici) *Chronologia Xenophontea.* 310
- Eyringii (Elie Martini) *Vita Ernesti Pii, Ducis Saxonie.* 68
- Fabricii (Jo. Alberti) *Bibliotheca Græca.* 323
- Flori (L. Annei) *Rerum Romanarum Libri II priores cum notis Laurentii Begeri.* 49
- Von Franckenberg (Friderici Leutholfi) *Fœcialis Europæus, sive Accurata Descriptio Europæo-Christianorum Imperii, Regnorum &c.* 529
- Gatti (Antonii) *Gymnasii Ticinensis Historia & Vindicia.* 394
- Genebrier *Dissertatio de Magnia Urbica.* 399
- - - *de Nigriniano.* 403
- Gronovii (Jacobi) *Notæ in Arrianum de Expeditione Alexandri & Historiam Indicam.* 295
- Gros de Boze *Dissertatio de Jano antiquorum deque Nummis eo pertinentibus.* 405
- Hankii (Martini) *de Silesiorum Nominibus, Majoribus & Rebus ab A. 550 ad 1170.* 257
- Hooft (Petri Cornelii) *Opera omnia.* 385
- Hyde (Eduardi) *Comitis de Clarendon Historia Rebellionis & Bellorum Angliæ Civilium ab A. 1641.* 145
- Leidekkeri (Melchioris) *de Republica Hebræorum Libri XII.* 97
- Leuckfeld (Jo. Georgii) *Descriptio Historica Libere Imperialis Abbatie Walckenredensis.* 409
- Löscheri (Valentini Ernesti) *Ion, sive Originum Græciæ restauratarum Libri II.* 361
- Lucentii (Julii Ambrosii) *Fulginatensium Elogia Sacra.* 267
- Mabillonii (Johannis) *Annales Ordinis S. Benedicti.* 413
- Mulleri (Jo. Joachimi) *Historia Protestationis Statuum Evangelicorum & Augustane Confessionis.* 255
- Nicolson (Wilhelmi) *Bibliotheca Historica Scotica.* 156
- Pippingii (Henrici) *Sacer Decadum Septenarius, Memoriam Theo-*

- logorum nostra etate Clarissimorum renovatam exhibens.* 230
- Sanfon (Nicolai) *Geographia Sacra cum notis Jo. Clerici.* 555
- Smithi (Thomæ) *Vita D. Rob. Huntingtoni & D. Ed. Benrardi.* 217
- Struve (Burchard Gotthelf) *de Vita & Scriptis Georgii Adami Struvii.* 127
- Teisserii (Antonii) *Selecta Bibliotheca Historica.* 169
- Teisserii (Antonii) *Auctarium Catalogi Auctorum, qui Librorum Catalogos, Indices, Bibliothecas &c. consignarunt.* 335
- Tentzelii (Wilh. Ernesti) *Saxonia Numismatica.* 289. 501
- Vaes (J. A.) *Processus contra D. Gabrielem Gerberon.* 242
- Wächtleri (Christfried) *de Cancellariis Veterum Commentatio.* 171
- Wells (Eduardi) *Opera Xenophontis illustrata.* 310
- Wolfii (Jo. Christophori) *Historia Lexicorum Hebraicorum.* 301
- Xenophontis *Opera omnia, curante Ed. Wells.* 310
- Zeni (Apostoli) *Dissertatio Epistolica de magno Opere Meditationum Philosophicarum Dn. Bernardi Tarvisini, qua & de origine & Viris doctis Gentis Tarvisinae exponitur.* 550

VI. Libri Philosophici & Philologici Miscellanei.

- A** Bschatzii (Jo. Asmanni L. B.) *Metaphrasæ & Opera Poëtica.* 71
- Braun (Davidis) *Meditationes selectæ de Sublimi Hominis Scientia.* 51
- Buchneri (Augusti) *Orationum Academicarum Volumina tria.* 448
- De la Chaussée (Michaelis Angeli) *Aureus Constantini Augusti Nummus explicatus.* 285
- Croesii (Gerhardi) *Ἰστορία τῆς Ἑλλάδος, sive Historia Hebraeorum ab Homero in Odyssæa & Iliade exposita.* 74
- Deseine (Francisci) *& aliorum Descriptio Veteris Novæque Romæ.* 478

Gronovii (Jacobi) <i>Thesaurus Antiquitatum Græcarum. Tomi VI.</i>	25
<i>VII. VIII.</i>	
- - - - - <i>Tomi IX. & X.</i>	85
- - - - - <i>XI. & XII.</i>	123
Gutberlethi (Tobie) <i>de Saliis Sacerdotibus & Opuscula alia.</i>	534
Hooft (Petri Cornelii) <i>Opera omnia.</i>	385
Huntingtoni (Roberti) <i>Epistola.</i>	217
Jaqueloti <i>Consensus Fidei & Rationis.</i>	440.552
Kederi (Nicolai) <i>de Numis Runicis Commentatio.</i>	36
Needham (Petri) <i>Geoponicorum sive de Re Rustica Libri, cum pro-</i>	
<i>legomenis, notis & indicibus.</i>	183
Nicholls (Gulielmi) <i>Collatio cum Theista, concernens Immortali-</i>	
<i>tatem animæ.</i>	91
Nomii (Frederici) <i>Liber Satyrarum sedecim.</i>	312
Piazzæ (Bartholomæi) <i>Hierarchia Cardinalitia.</i>	527
Relandi (Adriani) <i>Dissertatio altera de Inscriptione Nummorum</i>	
<i>quorundam Samaritanorum.</i>	276
Rohrmanni (Christiani) <i>Uratistavia centum anagrammatibus</i>	
<i>adumbrata.</i>	299
Temple (Wilhelmi) <i>Opuscula posthuma, de indignatione populi:</i>	
<i>de sanitate & longeva vita : de eruditione vete-</i>	
<i>rum & c.</i>	39
Tribbechovii (Joannis) <i>Elementa Lingue Ρρωμαινης, seu Græcæ</i>	
<i>vulgaris.</i>	61
Ursii (Jo. Josephi Marchionis) <i>Observationes in Librum Gallicum</i>	
<i>Bouhoursii de Sententiis Ingeniosis.</i>	370
Wächtleri (Christfried) <i>de Cancellariis Veterum Commentatio.</i>	
	171
Wedelii (Georgii Wolfgang) <i>Centurie II Exercitationum Medi-</i>	
<i>co-Philologicarum Decas I.</i>	251
Zeni (Apostoli) <i>Dissertatio Epistolica de magno Opere Meditatio-</i>	
<i>num Philosophicarum Dn. Bernardi Tarvisini Patri-</i>	
<i>cii Veneti.</i>	550

INDEX RERUM NOTABILIORUM in hoc volumine obviarum.

כין vocis Hebraeae significatio.	15 16	Advocatia Abbatiæ Walckenredensis penes quos olim fuerit?	410 sq.
Abbatiæ Walckenredensis quinam olim Advocati?	410	In Advocatorum pœna leuterationi aut appellationi non est locus.	379
Abrahami Historia ab Homero descripta.	82. sq.	Edilitium Edictum explicatum.	210
Abschatzii (Jo. Asmanni) elogium.	71	Ægyptii cur Apin & Mnevin coluerint?	19
Acacii Cesariensis lris cum Cyrillo Hierosolymitano.	3. sq.	Ægyptiorum Isis & Osiris qualia Numina?	20
Academiæ Ticinensis Origo.	397 398	Aer quantam patiatur compressionem?	542
Academiarum Cancellarii.	173	- - condensari & rarefieri nequit in infinitum.	543
Accrescendi jus num inter legatarios verbis tantum conjunctos locum habeat?	493	Aeris expansio quomodo crescat?	542
Actio pœnalis furri quando competat contra furis hæredes?	500	densitatis quænam sit ratio?	542
Actionum in factum origo & varietas.	209	altitudo.	543
Acus magnetice inventio.	152	Æthiopicum Davidis Psalterium.	64
- - - declinatio cur varietur?	540. 541	Agnelli de Ravennatis Ecclesiæ Pontificibus scriptum cum notis Benedicti Bacchini publicandum.	330
Acusticæ cum Optica convenientia.	540	Α'γωγία Christi.	253
Adamus num omnibus animalibus nomina imposuerit?	248	Alchimicæ abusus.	408
Adiposi ductus ex arteriis orientes.	458	In Alchimiam Introductio.	406
		Al-	

Alchimistarum requisita. 407	cium publicum? 237
modus scribendi. 407	Anglicani belli civilis A. 1641 cœ-
Alexandri II R. P. erga Lanfran-	pti historia. 145
cum, olim præceptorem, pietas. 397	Anima & corpus quomodo erga
Alii textura. 277	se invicem se habeant? 553
Ammianus Marcellinus explica-	Anima humana quid? 52. 446
tus. 405	Animæ immortalitas asserta. 53
In Amosi Prophetiam Commenta-	91 seqq.
rius. 487	Animalculorum in semine huma-
Amphoræ quid & quotuplices? 280	no figura. 545
Amplitudo Curvæ. 350	Animalia generantur ex animal-
Anabaptismi Hereticorum &	culo. 544
Schismaticorum origo. 526	Animalibus cunctis num nomina
De Anagrammatibus variorum	imposuerit Adamus? 248
judicia. 299	Animantium prima stamina ab
Anagrammatum exempla curio-	origine mundi exstiterè. 545
sa. 300	Animus inquietus proprium ho-
Ancilia Saliorum descripta. 535	minis. 39
Angeli num hodieque peccare	Anna Augusti Electoris Saxonie
queant? 8	conjug Nata Daniæ Regina in
In Anglia que fuerit pro diversis	nummis dicta. 294
temporibus bonorum Ecclesia	Annæ Angliæ Regine erga pau-
sticorum conditio? 19	peres Ecclesiæ ministros libera-
novum schisma sub Wil-	litas. 193. 205
helmo Rege exortum 132	Anni Tropici quantitas. 309
Angliæ Reges quomodo annatas	Antiquitates Hebræorum illustra-
& decimas e beneficiis Eccle-	te. 97 sq.
siasticis sibi vindicarint? 199	Apin & Mnevin Ægyptii cur co-
sq. 205	luerint? 19
Ab Anglicana Ecclesia qui discesse-	Apis apud Ægyptios non Osiri-
runt, num sint schismatici? 237	dis, sed Isidis, seu Nature uni-
Cum Anglicana Ecclesia num	verse symbolum. 22
communicare possint Dissenti-	Apocryphorum Veteris Testa-
entes, ut habiles fiant. 237	menti Librorum Catalogus.
	338 sq.
	Apollonii traditio, quod Christus
	Ccc c 3
	Apo.

- Apostolis præceperit, ne intra 12 annos Hierosolymis excederent, explicata & defensa.* 332
- Apoplexia quid?* 59
- Apostolorum Collegium Hierosolymitanum cur Αϰϰισϰέων titulo non fuerit insignitum?* 133
- Appropriationum in Anglia origo & abusus.* 193 sq.
- Apulejus Geoponicorum scriptor quis?* 186
- Arabum Elephantiasis est morbus Phœnicus Hippocratis.* 252
- Archi - Marefchallatus Imperii Romano - Germanici Saxonie Electori competens quanam jura complectatur?* 531 sq.
- Argatheliæ Comitiss in Scotia memorabilis erga Carolum Regem ingratitude.* 149
- Αϰϰύϰιον quid?* 253
- Aristeæ de Septuaginta - Virali versione commentum exploratum.* 510 sq. 519 sq. quomodo natum? 511
- Arrianus emendatus.* 296
- Arteriarum textura.* 458
- Asia Græcorum patria antiquissima.* 362
- De Asini capite in Hierosolymitani templi penetralibus dedicati calumnia gentilium unde?* 28
- Ασϰάϰιον quid?* 254
- Assicuratio Anglis familiaris.* 544
- Asthma siccum & humidum inter se non differunt.* 119
- Astorii (Jo. Antonii) de Diis Cæbiris sententia.* 536
- Astrorum cultus per imagines ut cæperit?* 17
- Asymptotos quanam?* 32
- Athenæus explicatus.* 281.
- Cum Auditu visus convenit.* 540
- Aventures de Telemaque fils d'Ullyse, liber notatus.* 78
- Augustanorum Comitiorum A. 1530 Historia.* 257
- Augusti Electoris Saxonie memorie dicata numismata.* 294
- Auriculæ structura.* 463
- glandula sebacea.* 462
- musculus quintus.* 462
- cum osse temporum conexio.* 464
- Auris humane fabrica.* 462
- partium usus.* 469
- Aurium ossicula.* 465. 466
- Axamenta quid?* 536
- Aximensis in Guineensi littore provincia quibus hodiernum pareat?* 262
- B** *Aldæi (Philippi) Descriptio Littorum Malabarie &c.* 155
- Baptismi in veteri Ecclesia ceremonie.* 8.9
- Baptismus Judæorum cum baptismo Christianorum collatus.* 524
- Basi-*

Basilii (<i>Valentini</i>) <i>Vita.</i>	255	Bouhoursius <i>refutatus.</i>	371 sq.
Baumgarten (<i>Martini</i>) <i>Iter in</i> <i>Aegyptum &c.</i>	153	Brunnemanni (<i>Johannis</i>) <i>vita.</i>	232
Belgicarum <i>Ecclesiarum Catholi-</i> <i>carum libertates.</i>	108	Brunsvigo - Luneburgicæ <i>Domus</i> <i>assertum jus in Abbatiam Wal-</i> <i>ckenredensem.</i>	412
Bellarminus <i>notatus.</i>	18	Brutorum <i>anima num immorta-</i> <i>lis?</i>	94
Benedictini <i>Ordinis Annales Ma-</i> <i>billoniani.</i>	413 sq.	<i>De Bucephalo varia.</i>	297
<i>Scriptores.</i>	414	<i>De Buchanani Historia Scotica</i> <i>judicium.</i>	161
	seq.	Buchneri (<i>Augusti</i>) <i>Vita.</i>	450
Bernardi (<i>Edwardi</i>) <i>Vita.</i>	223	<i>in Academi-</i> <i>am Wittebergensem merita.</i>	453
<i>Scripta.</i>	224	Buckinghami <i>Ducis Georgii fata</i> <i>& ambitio.</i>	148
SS. <i>Bibliorum nova versio Slavo-</i> <i>nica adornanda.</i>	240	Cabiri <i>Dii quinam?</i>	536
<i>versio Græca LXX-</i> <i>vinalis quo tempore & quibus</i> <i>auctoribus fuerit confecta?</i>	509 sq. 519 sq.	Cainan <i>quomodo in Genea-</i> <i>logiam Christi apud Lucam ir-</i> <i>repperit?</i>	99
Bibliotheca <i>Historica.</i>	169	Calculus. <i>Vide Differentialis &</i> <i>Summatorius.</i>	
<i>Græca.</i>	323	Cambialis <i>Processus notabilia.</i>	437
<i>Historica Scotica.</i>	156	Camdenus (<i>Guilielmus</i>) <i>notatus.</i>	158
<i>Scriptorum Theolo-</i> <i>giae Moralis & Conscientiarie.</i>	561	Camphoræ <i>vis topica.</i>	178
Bilis <i>natura & usus.</i>	546	Cancellarii <i>Academiarum.</i>	173
Bochartus <i>notatus.</i>	526	<i>De Cancellariis veterum commen-</i> <i>tatio.</i>	171
Boethius (<i>Hector</i>) <i>notatus.</i>	157. 161	Caprifolii <i>textura.</i>	276
Bonarellus (<i>Guidobaldus</i>) <i>a cen-</i> <i>suris Gallorum vindicatus.</i>	375	Cardinalium, <i>Episcoporum, Pres-</i> <i>byterorum & Diaconorum</i> <i>Diœceses & Tituli luculenter</i> <i>descripti.</i>	527 sq.
Bonorum <i>Ecclesiasticorum in</i> <i>Anglia diversa diversis tem-</i> <i>poribus conditio.</i>	195. sq.	Carentonenses <i>Synodi tres.</i>	366
Botanicæ <i>rei promovendæ studi-</i> <i>um.</i>	139		Caren-
Botanici <i>studii incrementa.</i>	181		
Botanicorum <i>librorum recensio.</i>	181		

- Carentonenſis Synodi a Reformationis A. 1631 celebratæ indulgentia erga Lutheranos ſub examen vocata. 364
- Carerii (Franciſci Gemelli) Iter recentiſſimum circa mundum. 155
- Cari ſpecies tres. 59
- Caroli I Magnæ Britannie Regis infelicitas. 150
- Casalius (Jo. Baptiſta) notatus. 87
- Caſſianus Baſſus collector fragmentorum Græcorum de Re Ruſtica. 185
- De Caſſiodoro varia. 173
- Catecheſium S. Cyrilli, Archiepiſcopi Hieroſolymitani, editio nes & verſiones variæ. 1 ſq.
- Catechumenorum in Chriſtiana Eccleſia cum Proſelytis Judæorum comparatio. 526
- Catholicæ Eccleſiæ quænam? 136
- Cave (Guilielmi) Epistoſa de Presbyteri Pœnitentiarii in Eccleſia institutione & abrogatione. 167
- Census Auguſti. 251
- Ceremoniæ in ſacris præter eas, quas Deus conſtituit, a Magiſtratu Politico recte inſtituuntur. 234
- Cereviſiarum jus. 437
- Cephalalgia a vermibus ſub cute in vertice nidulantibus. 287
- Cephalalgicæ cauſa. 58
- Cerebri Pathologia. 57
- Cherubim & Theraphim num iidem? 14
- Chorii textura. 457
- Chriſti ecſtaſis. 253
- αἰγιονία. 253
- Chriſtiana religio aſſerta. 51.55
- Chriſtianæ religionis propagatæ tres periodi. 332
- De Chriſto conſenſus Reformato- rum cum Lutheranis. 142
- Chriſtus & Apoſtoli num Veteris Teſtamenti loca ex textu Hebræo, an ex Græca verſione allegarint? 514
- In Civitate quacunque quot ad pugnandum apti? 543
- Claudi Novi Teſtamenti. 254
- Clemens Alexandrinus illuſtratus. 329
- Clementina periodus. 307
- Cleri in Anglia miſera ſub pluribus Regibus conditio. 200 ſq.
- Coddæus (Petrus) Archiepiſcopus Sebaſtenus & per Belgium Fœderatum Vicarius Apoſtolicus Janseniſmi accuſatus. 105 ſq. 423
- defenſus. 106
- Cœcitas & ruptura corneæ ex Hemicrania. 287
- S. Cœna num apud Reformatos uti liceat Lutheranis? 368
- De Cœna Domini num fundamen- taliter Reformati a Lutheranis, & viciffim, diſſentiant? 141
- Coma

Colorum Theoria Newtoniana.	540	reus explicatus.	284
Coma vigil quid?	58	Arcus triumphalis.	284
somnolentum quid?	58.59	Contractus quales celebrentur	
Comicorum Græcorum Poeta-		inter metallifodinarum culto-	
rum deperditorum notitia.	324	res?	343
Comitibus Palatinis quis locus		Cor est musculus.	446
debeatur?	493	Cordis embryonis delineatio.	119
Comitiorum Augustanorum A.		diastole a Lowero male ex-	
1530 Historia.	257	plicata.	546. 547
Conceptiones extra uterum fa-		In Cordis cono vulnus sanatum.	287
ctæ.	545	Coreæ Regni descriptio.	155
Concionandi nova ratio quibus-		Corneæ ruptura & cæcitas ex He-	
dam familiaris reprehensa.	389	micrania.	287
Concoctio quomodo fiat?	546	Coronæ Imperialis textura.	276
Condictio ex Lege quid & quo-		Corpori quomodo motus a vo-	
tuplex?	209	luntate imperetur?	553.554
Confessio auricularis Pontificio-		Corporis Juris Civilis Romani e-	
rum improbata.	168	ditio nova.	537
peccatorum ad S. Com-		Corpus & anima quomodo erga	
munionem accessuris quate-		se invicem se habeant?	553
nus in Ecclesia Anglicana ne-		- - - num in se in-	
cessaria?	168	vicem agant?	555
Conjuges inter num communio		Craigii (Jobannis) Solutio Proble-	
bonorum Jure Civili constituta		matris de transformatione Cur-	
sit?	496	varum taxatur.	348.349
omnium bonorum		Creationis Historia vindicata.	441
communio in Hollandia, ejusque		Creditricis, quæ debitori nupsit,	
effectus.	496	pecunia pro dote habetur.	380
Conjugia quænam prohibita?		Cresollius (Ludovicus) notatus.	88
316. sq.		Curva reptoria.	351
Consilia seu Responsa Juris nova.		linea pellucida in Sole ob-	
314		servata.	486
Constantini Augusti nummus au-		Curvæ primi, secundi, tertii & c.	
		generis quænam sint?	31
		D d d d	Cur-

- Curvæ Geometricæ quomodo inveniantur innumera æquales? 166
 proprietates. 325
 amplitudo. 350
 Curvarum primi generis proprietatibus similes proprietates curvarum generis secundi & superiorum. 31
 umbra quasnam generare valeat curvas? 33
 De Curvarum transformatione judicium Leibnitii. 350
 Curvas transformandi methodus. 353. 354. 356. sq.
 Cycli Paschales notati. 321
 Cyclus novus Paschalis. 305
 censuræ Mathematicorum submissus. 308
 Cyrilli ex Theophylacto desumptus. 320
 notatus. 321
 Hippolyti notatus. 321
 Eusebii notatus. 321
 Victorii notatus. 321
 Theophili notatus. 321
 S. Cyrilli Hierosolymitani Archiepiscopi Opera omnia. 1. sq.
 Vita. 2. sq.
 Scripta. 5. sq.
D Amasi Pontificis Romani cum Hieronymo familiaritas. 172
 Dampier (Guilielmi) Planta in exteris regionibus observata & collecta. 183
 Davidis Psalterium Æthiopicum. 64
 Declinatio Acus Magnetica curvarietur? 540. 541
 Dei existentia ex natura ipsa evicta. 51. sq.
 Demetrius Phalereus num promotor fuerit versionis LXXv. ralis Bibliorum? 508. 520
 Demontiosius (Ludovicus) notatus. 87
 Δηνάριος quid? 254
 Diaconorum Cardinalium quatuordecim Diaconia. 529
 Dialectus Alexandrina. 510. sq.
 Dianæ Ephesiae symbolica statua. 28
 Diastole cordis a Lowero male explicata. 546. 547
 quomodo fiat? 547
 Dicæarchus illustratus. 124
 Dictyis editio Amstelodamensis nova emendata. 324
 Ex L. Diffamari quomodo agendum? 438
 Differentialis calculi origo. 34
 & methodi fluxionum convenientia. 35
 & summatorius calculus quomodo differant? 35
 ipsius xy demonstratio. 475
 Differentiarum genesis. 34
 De Dionysio Syro memorabilia. 222
 Dispensatio num fieri possit circa

<i>conjugia jure Divino prohibita?</i>	318	<i>Emmenagogorum operandi ratio.</i>	178
<i>Divortia quatenus apud Romanos fuerint tolerata?</i>	496	<i>Encolpii Historia Alexandri Severi versio Anglicana spuria.</i>	510
<i>Docetarum error jam ævo Apostolico natus.</i>	8	<i>Epactarum mutationis causa.</i>	321
<i>Doctorum lis de præcedentia cum Comitibus Palatinis.</i>	493	<i>In Epactarum dispositione a quibus error commissus?</i>	320
<i>Dowglas (Gaweni) versio Scotica Aeneidos Virgilio.</i>	160	<i>In Epactis Cycli disponendis major Plenilunii quam Novilunii habenda ratio.</i>	308
<i>Δογμὸν quid?</i>	254	<i>Episcoporum jura vetera & a Magistratu Seculari independentia asserta.</i>	132. 138
<i>Duræ Matris motus causa.</i>	215	<i>olim paritas explicata.</i>	137
E <i>ccllesia Romana reliquarum in Occidente mater.</i>	333	<i>Cardinalium Diæceses.</i>	527
<i>Ecclesiæ primitivæ facies.</i>	133. sq.	<i>In Epistolas Apostolicas Commentarius Ægidii Hunnii & Jo. Henrici Feustkingii.</i>	241
<i>forma num. ad formam Romani Imperii fuerit instituta?</i>	331	<i>Erasmii (Desiderii) Operum nova editio ex Belgio expectanda.</i>	239
<i>alio modo in Oriente, alio in Occidente fundata.</i>	333	<i>Erasmus (Desiderius) a suspitione Arianismi vindicatus.</i>	483
<i>Ecclesiasticæ Antiquitates illustrata.</i>	8	<i>Ernesti Pii Ducis Saxonie Vita.</i>	68
<i>Hierarchie origines.</i>	330	<i>Evangelii Jesu Christi secundum quatuor Evangelistas Expositio.</i>	388. seq.
<i>Ecclesiasticorum bonorum in Anglia diversa diversis temporibus conditio.</i>	195. sq.	<i>Evictio quando præstanda?</i>	46
<i>rituum institutio humane auctoritati vindicata.</i>	234. sq.	<i>Europæorum Regnorum ac Rerumpublicarum luculenta Descriptio.</i>	529
<i>Ecstasis Christi.</i>	253	<i>Eusebii de Locis Hebraicis liber cum versione Hieronymiana</i>	
<i>Εγγραφεῖον & quis?</i>	15	<i>D d d d 2</i>	<i>&</i>
<i>Elateris in aere resistentia quantasit?</i>	542		
<i>Elephantiasis Arabum est morbus Phœnicæ Hippocratis.</i>	252		

- & notis Jo. Clerici edendus. 558
 Eusebii Cyclus notatus. 320
 Eusebius illustratus. 21
 Executivi Processus in foro qua-
 ratio? 436
 Exorcismus in baptismo jam in
 veteri Ecclesia observatus. 8
FAber (Tanaquillus) notatus. 90
 Factionum in Rebus publicis ori-
 go. 39. sq.
 Faculae Solares observatae. 484
 Facularum Solarium natura. 487
 Farina in plantis an contineat
 plantas seminales? 276
 Femoris tumor per fascinatio-
 nem inductus curatus. 287
 Fermentationi producenda inser-
 vit saliva. 546
 inser-
 vit bilis. 546
 Fermenti ventriculi origo. 457
 Feuda in Hollandia a servitiis
 militaribus immunita. 499. sq.
 Feudalis Jurisprudencia explica-
 ta. 340. sq.
 Feudalium mandatorum Cellerio.
 Etio. 343. sq.
 Feudorum in Hollandia quaeratio?
 499
 Fidei fundamentum quinam arti-
 culi constituent? 140. sq.
 & rationis consensus. 440. 442
 444
 Fidentis regni in Guineensium
 confiniis descriptio. 264
 Fides operibus contradistincta,
 quid D. Jacobo? 273. sq.
 Fisci jus in dubiis questionibus.
 433. sq.
 Fixarum distantia. 540
 Florentini Concilii exemplar &
 fragmenta. 219
 Florum partes & usus. 275
 Florus per numismata illustratus.
 49
 vindicatus. 50
 illustratus. 282
 Fluxionum definitio. 35
 Fluxus albus ex mensium suppres-
 sione unde? 178
 De Fœrsteri (Joannis) Lexico He-
 braico iudicium. 303
 Foetus ovilli membrana. 456
 rudimenta in quibus ovis
 inveniantur? 545
 multi quomodo una exclu-
 dantur? 545
 Foramen ovale cordis in embryo-
 ne. 120
 Forbesii (Joannis) a Corse Vita.
 227
 scripta. 228
 Formosae insulae Descriptiones.
 153
 Formula Concordiae quatenus a
 Reformatis etiam probetur?
 141. sq.
 Formulae negotia feudalia con-
 cernentes. 344
 Fossilium figuratorum in Helve-
 tia

<i>tia Historia.</i>	479	Georgius Dux Saxonie unde Bar-	
Franci (Georgii) de Franckenau		batinomen tulerit?	292
<i>Vita.</i>	232	Gerberon (Gabriel) Jansenismi	
Francisci (Erasmi) <i>Vita.</i>	232	damnatus.	242
Freinshemius (Joannes) notatus.		Gerberoni (Gabrielis) <i>scripta</i>	
	87. 297		244. sq.
Friderici Barbarosse <i>Authentica</i>		Gordiani Africani nummus vin-	
<i>Habita illustrata.</i>	389	dicatus.	37
Fridericus III <i>Electo</i> Saxonie		Gordoni (Roberti) <i>Theatrum</i>	
<i>quamdiu S. R. I. Locumtenen-</i>		Scotie.	158
<i>tem Generalem se nuncupave-</i>		Gothofredi (Dionysii) <i>Corporis</i>	
<i>rit?</i>	502	<i>Juris Civilis Romani editio no-</i>	
Fritschii (Abasveri) <i>Vita.</i>	232	<i>va.</i>	537
Fulginatum <i>Scriptorum Elogia.</i>		Græca Bibliotheca.	323
	267	Græcæ <i>Linguae vulgaris seu Ρω-</i>	
<i>Historiae Scriptores.</i>		<i>μαίνης Elementa.</i>	61. sq.
	269	<i>corruptio unde?</i>	61
Fundamentales <i>Fidei articuli</i>		Græcarum <i>Antiquitatum The-</i>	
<i>qui?</i>	141	<i>saurus Gronovianus.</i>	25. 85. 124
Furti <i>Actio pœnalis quando com-</i>		<i>Veteris Testamenti</i>	
<i>petat contra furis heredes?</i>	500	<i>versionum historia.</i>	516. sq.
G enerationis <i>theoria.</i>	544	Græci olim num ex Europa in	
G entilium <i>Theologia stolidis-</i>		<i>Asiam, an ex Asia in Europam</i>	
<i>sima.</i>	10	<i>migraverint?</i>	361
<i>Philosophorum vitia</i>		Græcorum <i>origines genuinae.</i>	303
<i>notata.</i>	54	<i>Autochthones explosi.</i>	361
<i>religio explosa.</i>	54	Grammaticarum <i>Hebraicarum</i>	
Geniales <i>partes maris Marsupia-</i>		<i>origines.</i>	302
<i>lis Americani.</i>	110	Gravitas <i>aeris specifica.</i>	542
Geographia <i>Sacra Sansonis &</i>		<i>Mercurii specifica.</i>	542
<i>Clerici.</i>	555	<i>aeris specifica variat.</i>	543
Geographiæ <i>Sacrae Scriptores.</i>		Gravitatis <i>causa efficiens detectu</i>	
	556	<i>difficilis.</i>	544
Geoponicorum <i>sive de Re rustica</i>		Grotius (Hugo) notatus.	499
<i>libri.</i>	183	Guarentigiati <i>instrumenti in foro</i>	
		<i>requisita.</i>	436

Guarini (Baptistæ) Pastor Fidis Germanice versus.	72	venta.	326
Guarinus (Baptista) adversus censuras Gallorum vindicatus.	375	Hermetis Tabula Smaragdina Chimie sublimioris & Lapidis Philosophici Theoriam conti- net.	253
Guineæ descriptio.	262. sq.	Hierarchia Cardinalitia.	527
incolarum misera condi- tio.	263	Hierarchiæ Ecclesiasticæ origines.	330
mores & in- stituta.	264	Hieronymi versio Bibliorum quantæ auctoritatis?	515
De H Æresi suspecti qui?	547	Hieronimus notatus.	3
H arduinus emendatus.	401	num Cancellarii munere apud Damasum fuerit functus?	172
Haveri sententia de concoctione.	546	Hierosolymitanæ Ecclesiæ primæ- væ summa auctoritas.	134
Hebræorum Historia ex Homero eruta.	74	nascenti Christianismo Primatus.	332
antiquitates illustra- te.	97. sq.	Hierosolymitanam inter & Cæ- sariensem Ecclesiam contentio de Primatu Palæstine.	3
Ad Hebræos Epistola illustrata.	390	Hipparchi instrumenta Astrono- mica notata.	309
Hebraici Veteris Testamenti tex- tus quanta fuerit auctoritas?	513	Hippolyti cyclus notatus.	321
Hebraicorum Lexicorum Histo- ria.	301	Historia Reformationis in Belgio.	56
Ex Hemicrania cæcitas & ruptura corneæ.	287	Belli Civilis in Anglia A. 1641 cæpti.	145
Henochus cur recentioribus Ara- bibus Edris dicatur?	326	Navalis.	151
Hepatis structura.	459	Comitiorum Augustano- rum A. 1530	257
Heracliti Ephesii scripta.	329	Silesiæ.	259
Herbariæ rei Institutionum Co- rollarium.	138	Græcarum Versionum Veteris Testamenti.	516. sq.
Hercules Medicus.	252	legislatorum Græcorum.	328
Hermetis Trismegisti libri & in-			Histo-

Historiæ Hebræorum conditor Homerus. 74. sq.	se. 146
Fulginatum in Italia scriptores. 267. 269	causæ, cur Historiam belli Civilis Angliæ composuerit? 147
Historica Bibliotheca Struviana. 169	Hydrophobiæ exemplum. 118
Historicorum Scotiæ Catalogus. 160. sq.	Hyperbola cujusvis generis quot- nam habere queat asympto- tos? 32
Hohnsteinii Comites Advocati olim Abbatie Walckenreden- sis. 411	Hyperbolarum varia genera. 33
Homeri scripta recensita, eorum- que prima editio. 327	S. JACOBI de Fide & Operibus doctrina explicata. 273. sq. Epistolæ Analysis. 272
Homerus Historiæ Hebræorum conditor. 74. sq.	JACOBI VI Scotiæ & post Angliæ Regis numismata. 165
Homicidarum singulare olim a- pud Francos supplicium. 418	JACOBI Patriarchæ familia, quæ in Ægyptum descendit, quot numero personis constiterit? 103 sq.
Homo num sit pura machina? 92	Jamaicensium Plantarum Histo- ria. 182
Hooft (Petri Cornelii) Vita. 386. sq.	De Jano antiquorum Dissertatio. 407
Historia Henrici IV Regis Galliæ Belgica. 387	Jansenianæ factionis capita præ- cipua. 424
styli sublimitas. 388	Jansenismi accusatus Paschasius Quesnellus. 422. sq.
Hori Hieroglyphica a quo pri- mum Latine conversa? 324	Jansenistarum Galliæ Episcopo- rum querelæ de Curia Roma- na. 109
Huetius (Petrus Daniel) notatus. 398. 527	Idololatriæ origo. 10. 17.
Hulfemanni Casus Conscientiæ edendi. 560	varia genera. 18
Hunniani Collegii instituendi quis olim Ernesto Pio Saxoniæ Duci scopus? 69	Jejunium quadraginta dierum num inde ab Apostolorum tem- poribus usitatum? 8
Huntingtoni (Roberti) Vita. 217	Jenensis Academiæ nova incre- menta. 96
Hyde (Eduardi) Comitis Gla- rendonii fata eorumque cau-	Jero-

- Jeroboami idololatria qualis? 24
- S. Ignatii locus illustratus. 515
Episcopi Antiocheni Epistola Syriacæ frustra quaesita. 218
- Imagines majorum quomodo as-
 servari primum & paulatim
 coli cœperint? 13. 14
- Imaginum cultus apud Pontifi-
 cios qualis? 18
- Immortalitas animæ asserta. 91. sq.
- Imperatorum Germanicorum ex
 jure antiquo circa sacra reli-
 quie, jus primariarum pre-
 cum. 429
- Imperii Germanici Statuum Eu-
 angelicorum Protestatio in
 Comitibus Spirensibus & Lega-
 tio ad Carolum V. Cæsarem 256
- Imperii Romano-Germanici lu-
 culenta Descriptio. 530
- Incarnationis mysterium rationi
 conciliatum. 445
- Indifferentia post præceptum su-
 periorum sunt necessaria. 236
- Infinite quantitates varias inter
 se habent proportionales. 540
- Infinite generis curvæ qua-
 nam sint? 31
- Ingratitudinis prævisæ exemplum
 memorabile. 149
- Intestinatorum abscissio sine agri
 detrimento. 287
- Investituræ in feudis Hollandi-
 cis renovationis necessitas. 499
- Investiturarum feudalium formu-
 la. 344
- Joannis Friderici Electoris Saxo-
 niæ numismata illustrata. 503. sq.
 ocrea inusi-
 tatae amplitudinis. 506
 sponsalia cum
 Catharina Caroli V. sorore,
 contracta & rescissa. 257
- S. Johannis trium Epistolarum
 Analysis. 269
- Josephus notatus. 521
- Jovem lapidem jurare quid? 255
- Irrationales Geometrice quænam
 quantitates dicantur? 36
- Isaacus immolandum apud Home-
 rum. 84
- Isis & Osiris qualia apud Ægy-
 ptios Numina? 19. sq.
- Itinerariorum Sylloge magna no-
 va. 151
 collectiones variæ. 152
- Judææ seu Terræ Sanctæ descri-
 ptio. 556
- Judæis tutela liberorum Chri-
 stianorum minime conceden-
 da. 497
- Judaicæ Reipublicæ status qualis
 & olim & tempore Apostolo-
 rum fuerit? 332
- Judaismus explosus. 55
- Judicii Imperialis Cæsareo-Aulici
 Processus. 430
- Ju-

Julius Africanus Chronographus idem cum auctore Κε5 ω̄v. 186	Legislatorum Græcorum Histo- ria. 328
JCtorum Scotie libri. 164	Leibnitiana Harmonia præstabi- litæ hypothesis explicata. 553
Wittebergenfium Histo- ria. 435	quomodo cum libertate voluntatis con- sistat? 554
Juridicarum Dissertationum fa- sciculus. 344. sq.	Lethargus quid? 59
Juridicorum Responsorum fasci- culus. 344	Lex X Pandectarum de Jure Fi- sci explicata. 433
Juris Primariarum Precum ori- go. 429	Lexicorum Hebraicorum Histo- ria. 301
Jurisprudencia Struviana Ger- manice edita. 45	Libertatis natura. 446 sq.
Jusjurandum quatenus Actori Reove in foro Saxonico liceat deferre? 432	Libri in lucem prodituri. 336
Justinus Martyr notatus. 521. 524	Licitationis primæ jus pater per filium mandato licet non in- structum acquirit. 380
K ε5 τε9 Φ̄ε9 & unde dicta Ve- sta? 21	In Liene, pulmonibus & pene va- sorum sanguineorum commu- nicationes. 214
K̄ode9 vs quid? 254	Lienis textura. 459
L abyrinthi auris structura. 468	Lineæ primi, secundi, tertii, quarti & c. ordinis quænam di- cantur? 31
Lapides figurati Helvetici. 479	Lithographia Helvetica. 479
Lapidis Philosophici materia. 408	Loescheri (Val. Ern.) de Causis Linguae Hebraicæ promissum opus. 303
usus. 408	Longævitatatis cause. 41
Lares & Theraphim iidem. 13	Loti historia concumbentis cum filiabus, ab Homero descripta. 81 sq.
Laudemiorum nomine quid in renovatione Feudorum in Hollandia præstandum? 499	Lowerus notatus. 546
Laurentius (Josephus) notatus. 87	Ludolphi (Jobi) elogium. 67
Legati ad exteras gentes missi quatenus durante absentia testari possint? 497. 498	Lumen successive propagatur. 540
Ex Lege Diffamari quomodo a- gendum? 438	

- Luminis *Theoria Newtoniana.* 540
crescunt. 483
atmosphæras habent. 484
- Luna Tellure densior. 541
- Lunæ theoriam novam Isaacus Newton invenit. 540
in plures dissolvuntur. 484. 485
densitas quomodo se habeat ad densitatem Terræ? 54
divise rursus coalescunt. 484
moventur. 485
- Lutherani & Reformati num in fundamento fidei consentiant? 139 sq
- Lutheranismi Historie Seckendorfianæ supplementum. 256
- Lutheranos inter & Reformatos num speranda unio? 365
qualis in Fide consensus? 391
- Lutheranus num salva conscientia ad sacram cum Reformatis Cœnam accedere possit? 368
- Lux intra viscera Terræ quomodo producat? 542
- Luzonis Philippinarum Insularum præcipuæ stirpium Historia. 183
- Lygii & Quadi, Silesiorum majores, num a Slavis Polonis plane fuerint oppressi? 259
- Lymphatica vasa Vieussenii. 454
- M** Abillonii (Joannis) de Scriptoribus Benedictinis opus promissum. 420
- Maculæ Solares. 483
magnitudine differunt. 483
- Maculæ Solaris motus quantitas. 686
- Macularum in Sole loca sine instrumentis observandi methodus. 486
- Magistratui Politico jus in Episcopos negatum. 132
- Magneticæ acus inventio. 152
- Magnia Urbica num Maxentio Augusto fuerit nupta? 400
Caro, Carini & Numeriani Patri, vindicata. 402
- Mammarum structura. 457
- Manium evocatio & consultatio quomodo invaluerit? 14
- Marcelli Sidetæ de Medicina ex Piscibus Carmen Græce & Latine cum notis editum. 326
- Marfupialis Americani maris partes genitales. 110
- Martis operandi ratio. 180
- Matrimonia quenam prohibita? 315 sq.
- In Matrimonialibus causis cautio pro reconventionem & expensis non est præstanda. 380
- Matrimonialis Processus Electa. 439
- Matri-

Matrimonium quatenus Luthe- rano cum Reformata, & vi- cissim, permissum? 369	pro diversa hujus super Tellu- ris superficie elevatione quo- modo variet? 542
cum puella annis vi- ginti minore, aut adolescente viginti quinque annis minore. sine parentum consensu ini- tium, cui pœna sit obnoxium in Hollandia? 496	in eadem elevatione va- riat. 543
Medicinæ defectus unde? 42	ascensus & descensus causa in Barometro. 543
Mediolanensis Ecclesiæ Juris Me- tropolitani antiquitas in du- bium vocata. 334	Metallifodinæ Regalibus vindic- cata. 342
Medulla ossium an sentiat? 346	Inter Metallifodinam conceden- tem & fodinarum cultores contractus velut emphyteuti- cus. 343
Melchisedecus in Homero depre- hensus. 83. sq.	Methodus observandi loca ma- cularum in Sole sine instru- mentis. 486
Menagius notatus. 329	Metropoles Ecclesiasticæ quomo- do primitus instituta? 331. 333
Mendæorum libri. 219	Politice quæ olim Romanis fuerint? 332
Menses per mammas erumpen- tes. 287	Metropolium Italicarum præ- ter Romanam, antiquitas in dubium vocata. 334
Mensium suppressionis causa. 176	Milles (Thomæ) de Operibus S. Cyrilli Hierosolymitani meri- ta. 1. sq.
cura. 177	Minos Homeri, Abrahamus. 89
Menstrui fluxus causa & pletho- ra. 175	Mvæ quid? 254
periodorum causa. 175	Monachorum in Anglia artes, quibus aliorum jura invase- runt. 196. sq.
terminus ultimus. 176	Monasteriorum Benedictinorum Historia. 417
phenomena. 174	Monsonis (Wilhelmi) Disserta- tiones ad rem navalem spe- ctantes. 155
Menstruus sanguis ut profluat? 455	
In Mente est sensorium commu- ne. 60	
Mercatorii libri num vim habe- ant documenti garentigiati? 380	
Mercurii vis emmenagoga. 180	
altitudo in barometro	

- Morbus Phæniceus Hippocratis
est Elephantiasis Arabum. 252
- Moscovia literarum hodie studio
dedita. 240
- Moscoviæ Imperatoris cura stu-
diorum promovendorum. 383
- Moses sub Typhonis nomine no-
tatus. 23
- & S. Stephanus circa nu-
merum familiæ Jacobi con-
ciliati. 103 sq.
- Mosis de origine Universi Histo-
ria vindicata. 102. 441
- Motus obreptionis. 351
- subreptionis. 351
- quinam non cadat in mu-
sculos? 546
- Mulier sine curatore quatenus
possit obligari? 436
- in causa matrimoniali
 quatenus personam standi in
 judicio habeat? 439
- Muratorii (Ludovici Antonii) Li-
bri duo de consummata Ita-
lorum Poesi prodituri. 379
- Musculus nullus admittit mo-
tum restitutionis. 546
- N**atura universalis Ægyptio-
rum Isis. 20
- variis nominibus cele-
 brata. 21. 22
- Navarette (Ferdinandi) Relatio
de Regno China. 153
- Necromantiæ varia genera. 15. 16
- Nervi arterias subeuntes. 458
- Nicæni Concilii canon sextus il-
lustratus. 334
- Nigrinianus certiori etati asser-
tus. 403
- Nomina animalibus cunctis num
ab Adamo imposita? 248
- Novilunii medii numerandi ra-
tio. 306.
- De Nourry (Nicolaus) nota-
tus. 329
- De Numeris aureis Patrum sen-
tentia. 321
- Numi argentei Runis insigniti
spurii. 36
- Samaritani illustrati.
 279
- Novi Testamenti. 253
- Numismata Scotorum. 165
- Saxonica illustrata.
 289. sq. 506. sq.
- Numus Runis insignis. 38
- aureus Constantini Au-
 gusti explicatus. 284
- Nutritionis animalculi fons 546
- O**bligacionis natura & varia
genera. 208
- Occasionalium causarum systema
improbatum. 553
- Odyssæa ab Homero num ante
Iliadem scripta, aut contra? 76
- Olsnæ Principatus in Silesia
num feudum proprium, an im-
proprium? 344
- Opii vis topica. 178
- Cum Optica Acustica convenit. 540

Oraculorum origo.	14	jam confirmatum, dissolvendi.	
Orationes Panegyricæ & fune-			496
bres Augusti Buchneri.	449	Pascha anni 1700 per Epactas le-	
Literaria A. Buchne-		gitime non definitum.	320
ri.	450	1707 qua die cele-	
Orcadum Historia; Jacobi Wal-		brandum?	309
Lace.	159	Paschalis decime quarta nume-	
Origenis Philosophumenov frag-		randa ratio.	309
mentum.	88	decima quarta ex Pa-	
Osiris & Isis qualia apud Ægy-		trum sententia.	320
ptios Numina?	19 sq.	canon antiquissimus.	
Ossa hyoidea Marsupialis.	110		320
Ossium nutritio.	346	cycli notitia.	321
De Ovalle (Alphonfi) Relatio de		Paschatis celebratio quando hoc	
Regno Cili.	155	seculo controversa?	309
Oviparorum & Viviparorum dif-		Pastores cur odiosi Ægyptiis?	488
ferentia.	545	S. Pauli Epistolarum Expositio.	
Ovulum cum utero quando &			476
quomodo connectatur?	546	Peccata tria quatuorve quo sen-	
P ædobaptismi origo ex mente		su memorentur Amoso?	489
Antonii van Dale.	525	Peccatum ad mortem quale di-	
Palatinatus Saxonie cum Electo-		catur 1. Job V, 16?	271
ratu connexus.	342	Penates Dii qui & quam varii	
Palatinos Comites inter & Do-		Gentilibus?	11
ctores lis de precedentia.	493	Penis structura singularis in Mar-	
Pallacopæ, alvei, descriptio.	298	supiali.	113
Pallavicinus (-Sfortia) a censu-		Pequinum urbs in China eadem	
ris Bouhoursii vindicatus.	377	cum Cambalu.	154
Parabolarum divergentium ge-		Pertinax Imperator cur Janum	
nera.	33	in nummo exprimi curarit?	406
Partus post matris mortem.	287	Petiveri (Jacobi) Botanici elo-	
Parentum jus in Hollandia libe-		gium.	182. 183
rorum conjugium sine suo con-		S. Petrus cur tres claves mani-	
sensu initum, etsi concubitu		bus gestans in veteribus pi-	
		cluris representetur?	419
		Eee e 3	Pha-

Pharyngis musculi.	467	Possessio contra singulos acq- sita num noceat universitati?	438
Philo illustratus.	87		
Philosophandi methodus certa.	544	Possessorii processus in foro Ele- sta.	437
Philosophicarum Meditationum opus magnum Bernardi Tar- visini.	550. 552	Possessorium summarium qua- tenus contra Principem va- leat?	438
Philosophorum Gentilium vitia notata.	54	Potteri (Joannis) Archeologia Graeca commendata.	126
A Phœniciis Graecorum Theogo- nia derivata.	12. 13	Potus averfatio in hydrophobi- cis unde?	118
Photii Historia Manicheorum edenda.	9	via ad renes.	456
Φωτιζόμενος qui S. Cyrillo?	7	De Præcedentia controversia va- ria.	492
Pighius (Stephanus) notatus.	87	Precum primariarum Jus in Ger- mania quodnam?	428
Planetæ habitantur.	541	Presbyteriani num in Anglia re- cte se separarint ab Ecclesia Anglicana?	236. 238
Plantarum Historiæ Joannis Razi Tomus III.	180	Presbyterianorum Ministri num legitime sint ordinati?	239
ingens incrementum.	181	Presbyterorum Cardinalium Ba- silice.	528
Plato & Philosophi Greci alii num quæ ex Scriptura S. hau- serint?	517. 524. 527	De Processu Executivo monita. Cambiali monita.	436 437
Plethora est menstrui fluxus cau- sa.	175	Possessorio notabi- lia.	439
Plutarchi Alexandrini Proverbia Graeca publicata.	89	Matrimoniali nota- bilia.	437
Plutarchus Chæronensis illustra- tus.	329	Processus Saxonici Ordinatio il- lustrata.	379
Poemata Baronis Abschazii.	73	in foro alius ordinarius, alius summarius, & hic vel re- gularis, vel irregularis.	436
Pœnitentiarii Presbyteri in Eccle- sia institutio & abrogatio.	167		
Poloni num unquam Imperato- ribus Germaniæ fuerint tri- butarii?	259		
Pontificis Romani decreta num censuræ possint subjici?	106		

Prophetia prima de Messia Physice explicata. 545	querela adversus adversarios & defensio. 426
Protestationis Evangelicorum Imperii Statuum Historia. 536	R Abbini haud optimi de Antiquitatibus Hebraeorum testes. 102
Psalterium Davidis Aethiopice. 64	Rationis & Fidei consensus. 440
Ptolomæi, Lagus & Philadelphus, num auctoritatem suam interposuerint, ad S. Bibliorum Græcam seu septuaginta viralem versionem conficiendam? 510	442. 444
Ad Pufendorfiæ Philosophiæ Moralis exemplar componenda Theologia Moralis. 562	Ravennatensis Ecclesiæ jus Metropoliticum discussum. 331. 334
In Pulmonibus, liene & pene sanguineorum vasorum communicationes. 214	Rawleigh (Waltheri) artes, quibus in aula Elisabethæ aditum sibi ad altiora paravit. 432
Pulmonum ulcus ex variolis curatum. 211	In Reconvalescentia non attenditur privilegium fori de non avocando. 380
Ex Pulvere pyrio tabaco admixto oculi jactura & mors. 287	Reformati & Lutherani num in fundamento fidei consentiant? 139 sq.
Punctum lucidum in macula Solaris micans. 486	Reformatos inter & Lutheranos num speranda unio? 365
Purgantium operatio inconstans unde? 177	qualis in Fide consensus? 391
Pyrrhonismus destructus. 442	Reinesius notatus. 324
Pythonis spiritus nil aliud, quam spiritus divinationis. 15	Religionis Christianæ propagatæ tres periodi. 332
Q uasi contractuum quot species? 208	Remonstrantium in Belgio Historia. 56
Quesnelli (Paschasi) fata & ob Jansenismum propugnatum condemnatio. 421 sq.	Renum structura. 460
accusationis capita scripta. 425	Resistentiæ medi in motu projectorum mensura. 540
	Respiratio influit in motum cordis. 546
	Respublicæ cur factionibus obnoxia? 39
	Judaica status qualis

- lis & olim & tempore Apostolorum fuerit?* 332 | *Salii Sacerdotes quinam olim?* 534
Restitutio in integrum ob revertentiam denegata. 454 | *Salivæ natura.* 546
Rittershusianæ tabulæ Genealogicæ emendatæ. 257 | *Salmasius notatus.* 514
Rituale Ecclesiarum Evangelicarum. 166 | *De Salute æterna num quis Reformatus certus esse possit?* 143
Ritus in Ecclesia, præter eos, qui præcepti sunt a Deo, constituendi libertas & necessitas. 234 sq. | *Samaritani nummi illustrati.* 279 sq.
ab Apostolis constituti quales? 235 | *Samaritanorum reliquiæ.* 218. 220
Roberti II Scotiæ Regis uxor an concubina fuerit Elisabetha? 162 | *Samothraces Dii, qui fuerint Gentilibus?* 11
Romæ veteris & Novæ elegantissima descriptio. 478 | *Sanchoniathonis Historia ex Mose derivata.* 12
Romana Ecclesia ut a Petro & Paulo fuerit fundata? 313 | *num quæ cum Scriptura S. concordia?* 526 sq.
Ad Romani Imperii normam num primitus Ecclesiæ fuerint instituta? 331 | *Sancti Benedictini.* 417
Runæ in nummis vetustis inventæ. 36 | *Sanguineorum vasorum communicationes in pulmonibus, liene & pene.* 214
De Rustica Re fragmenta Grecorum. 183 | *Sanguinis pressio diversa morborum est author.* 57
SAbæorum secta. 220 | *transitus per cor embryonis.* 121
libri. 222 | *Sanguis ut in tant. copia per pulmones corruptos & obstructos transire possit?* 213
Sacerdotes Salii quinam Gentilibus? 534 | *Sanfonius (Nicolaus) laudatus & notatus.* 557
Saliares Cæne unde dictæ? 536 | *Saturnus & Isis idem.* 23
De Salignac (Franciscus) Archiepiscopus Cameracensis notatus. 77 | *Satyrarum novarum liber.* 312
Saxoniæ Palatinatus cum Electoratu junctus. 342
Electo num ut Marchio utriusque Lusatia Nobilitatem conferre possit? 533
Ele-

<i>Electoris Jus gladium</i>	Exod. XXXII. 6.	24
<i>vagina nudatum Imperatori</i>	Judic. XVII.	15
<i>in solemnibus processionibus</i>	1. Sam. XXVIII. 7. sqq.	16
<i>preferendi.</i> 531	Pfalma. XXVIII. (XXIX.) 6. 67.	
<i>officium gestandi vexil-</i>	Esa. XII. 3.	282
<i>lum Imperii majus.</i> 532	Hoseæ XIII. 2.	24
<i>jurisdictio in buccina-</i>	Amos. I. 3.	489 sq.
<i>tores & tympanistas.</i> 532	V. 26.	22
<i>in Comitibus Imperii di-</i>	Matth. XXIV. 30.	216
<i>rectorium in causis Evangelicis</i>	Joh. VII. 37.	282
533	Act. VII. 74.	103
<i>dignitas supremi Ve-</i>	XVI. 16.	15
<i>natoris Imperii.</i> 533	Gal. V. 1.	236
<i>Saxonice Domus Numismata</i>	1. Joh. V. 16	270
<i>illustrata.</i> 289. sq. 500 sq.	Jacob. II. 14. sqq.	273 sqq.
<i>Jus Advocatie in Ab-</i>	Hebr. I. 1.	393
<i>batiam Walckenredensem.</i> 411	IX. 4.	280
<i>Saxonici Processus Ordinatio il-</i>	XI. 35. 36.	393
<i>lustrata.</i> 379	<i>A Seckendorf (Viti Ludovici)</i>	
<i>Saxovivensis Archicænobii in Ita-</i>	<i>vita.</i>	232
<i>lia claritudo.</i> 268	<i>Seckendorfianæ Historiæ Luthe-</i>	
<i>Schisma novum in Anglia re-</i>	<i>ranismi supplementum.</i>	256
<i>gnante Wilhelmo exortum.</i> 132	<i>Secundinarum retentorum cura.</i>	
<i>Schismatis num rei sint, qui ab Ec-</i>		178
<i>clesia Anglicana discesserunt?</i>	<i>Semen animalium innumera</i>	
237	<i>animalcula continet.</i>	545
<i>In Scholiis Grecis veterum allega-</i>	<i>Semina se habent instar ovorum.</i>	
<i>torum scriptorum indices.</i> 325		276
<i>Scotiæ Regum Majestas in con-</i>	<i>Sensorium commune in mente est.</i>	
<i>troversiam vocata.</i> 159		60
<i>Genealogia.</i> 162	<i>Sententia adversus universitatem</i>	
<i>Scotica Bibliotheca Historica.</i> 156	<i>Syndicum non habentem lata</i>	
<i>Scotorum cum aliis gentibus fœ-</i>	<i>transeat ne in rem judicatam?</i>	
<i>dera.</i> 159		380
<i>Scripturæ S. loca illustrata</i>	<i>Septuagintaviralis versionis Biblio-</i>	
<i>Gen. II. 18. 19. 20.</i> 247	<i>rum Dialectus Alexandrina.</i> 510	
	<i>Fff f</i>	<i>Ser-</i>

- Historia integra.* 512
- Serpentum cultus apud Fidenses. 256
- Sherardi (Guilielmi) Botanici
elogium. 182
- De Sybillinis oraculis iudicium. 376
- Silesii Imperatoribus Germania
olim tributarii ac subiecti. 259
- Silesiorum nomen unde natum?
258
- Majores. 258
- Historia. 259
- Simulacrorum cultus origo. 17
- Sixti V editio versionis Bibliorum
vulgata fueritne revocata? 516
- Slavi Poloni num Lygios & Qua-
dos Silesiorum majores plane
oppresserint? 259
- Slezer (Johannis) Theatrum Sco-
vie. 158
- Sloane (Hans) Historia Stirpium
Jamaicensium. 182
- Sociniani refutati. 394
- Socrates cum Sosicrate confusus.
324
- Sodomiae excidium ab Homero
descriptum. 81
- Soporosorum affectuum nota
characteristica. 58
- Spasmodorum differentia. 60
- Spasmus quid? 59
- Specierum immutatio an possibi-
lis? 407
- Sponsalia num semper conditione
non impleta irrita fiant? 495
- de presenti & de futu-
 ro apud Belgas non sunt di-
 versa. 495
- Spotswoodi (Johannis) scripto-
ris Historiae Ecclesiasticae Sco-
torum elogium. 163
- Stanlejus (Thomas) notatus. 89
- Statuarum origo & cultus. 17. 18
- Steatomatis origo. 469. 470.
- Stegeri (Adriani) vita. 232
- S. Stephani Act. VII. 14 capita
75 Familiae Jacobi numeran-
tis sententia cum Mose con-
ciliata. 103 sq.
- Stephanus (Henricus) notatus.
124.
- Strada (Famianus) a Boubour-
sii vellicationibus vindicatus.
377
- Struvii (Georgii Adami) Vita
& scripta. 127
- adversarii. 131
- Stryckianum Juris Feudalis Exa-
men illustratum. 341
- Strypius, Scriptor vitae Cranmeri,
laudatus. 157
- Successio hereditariorum feudo-
rum qualis in Hollandia? 499
- Suidas notatus. 325
- Summatorii calculi origo. 34
- Summatorius & differentialis
calculus quomodo differant?
35
- Sutherlandi (Jacobi) Hortus
Medicus Edinburgensis. 158
- Synodus Seleucia in Isauria A. 359
congregata. 4

Systoles cordis instrumentum. 547	vata. 230
Systole quomodo fiat? 547	Theophili cyclus notatus. 321
T abula Hermetis Smaragdina Chimie sublimioris & La- pidis Philosophici theoriam continet. 253	Theraphim qui? 13 sq. & Cherubim num iidem? 14
Tacitus illustratus. 282	Thesaurus (Emanuel) notatus & excusatus. 379
Τάλαντον quid? 254	Ticinensis Gymnasii Historia & Vindicie. 394 sq.
Tarvisinæ Gentis Nobilissimæ ori- go & Viri docti. 550 sq	antiquitas. 396
Tassus (Torquatus) contra Bou- hoursium vindicatus. 372	Tituli Cardinalium explicati. 528
Templorum origo. 14. 17	Tormentorum usus ab iniquitate vindicatus. 500
Terra est Planeta. 541	Tournefort (Josephi Pittoni) Plantæ novæ in Orientalibus regionibus observatæ. 183
Terræ interior structura. 541. 542 diameter quanta sit? 541 semidiameter quanta? 542	Tragicorum Poetarum Græcorum deperditorum notitia. 324
Testamenta eorum, qui in In- dias navigant. 498	Tridentinum Concilium epistolis quorundam Hispaniæ Episco- porum illustratum. 246
Testamenti Veteris Librorum A- pocryphorum recensio. 338 sq	quantas turbas inter ipso Pontificios dederit? 247
Testamentum Novum cum ver- sione & annotationibus Erasmi accuratius in nova Erasmi ope- rum editione proditurum. 482	S. Trinitatis mysterium rationi conciliatum. 445
Testes fœminæ ovaria. 546	Tristanus notatus. 403
Theocratia in Republica Hebræo- rum. 100	Tutores ob quam culpam remo- veri jure Civili potuerint? 497
Theologiæ Moralis nova syste- mata. 558. 559. 560. Scriptores 561	Tympani aurium structura. 465
Theologicæ veritates num omnes fundamentum fidei concer- nant? 140	Typho idem qui Moses. 23
Theologorum nostra ætate Clarissimorum Memoria reno- vata.	V Aillantius notatus. 37 Ex Variolis ulcus pulmonum curatum. 211
	Vasa secretoria & excretoria quæ? 454
	Vasorum corporis humani syste- ma

196 INDEX RERUM NOTABILIORUM.

<i>ma novum.</i>	453	<i>quot alat homines?</i>	543
<i>Venæ cave perforatio ab arteriis spermaticis Marsupialis.</i>	III	<i>Uratravienſium quot arma gerere valeant?</i>	543
<i>Venarum tunica.</i>	459	<i>Uteri prolapsus verus.</i>	287
<i>Ventriculi vulnus tranſverſim inflictum curatum.</i>	287	<i>vaſa veſiculoſo - lymphatica.</i>	455
<i>fermenti origo.</i>	457	<i>humani textura.</i>	455
<i>Verſiones Græcæ Veteris Teſtamenti veræ aliæ, aliæ confictæ.</i>	516 ſq.	<i>membrana.</i>	455
<i>Veſta cur νεττροφός nuncupata?</i>	21. 22	<i>ovilli membrana.</i>	455
<i>Veterum eruditio vindicata.</i>	42	<i>Vulgatæ Bibliorum verſiones quantum inter ſe diſcrepent?</i>	516
<i>Victorii cyclus notatus.</i>	321	<i>Uvula ad auditum facit.</i>	470
<i>Viſus cum auditu convenit.</i>	540	<i>Uvulæ muſculi.</i>	467
<i>Vituli aurei in deſerto figura.</i>	18	W <i>Alckenredenſis Abbatie Hiſtorica Deſcriptio.</i>	400
<i>cultus Iſraelitarum quorum ſpectarit?</i>	24	<i>Advocatia penes quos fuerit?</i>	410
<i>Ulcus pulmonum ex variolis curatum.</i>	211	<i>Walckenredenſium Scriptores.</i>	410
<i>Ulyſſes apud Homerum non unus.</i>	75. 79. 80.	<i>Wallace (Jacobi) Hiſtoria Orcadum.</i>	159
<i>Voſſius (Iſaacus) notatus.</i>	298	<i>Waltonus notatus.</i>	523
<i>refutatus. 508. ſq. 519. ſq.</i>		<i>Wittenii (Henningii) Memoria Theologorum continuata.</i>	230
<i>(Gerh. Job.) notatus.</i>	329	<i>Wittenius (Henningius) notatus.</i>	435
<i>Urachi in fœtu humano perforatio.</i>	122	<i>Xenophontea chronologia.</i>	310. 311
<i>Uratravavia Sileſiorum metropolis centum Anagrammatibus celebrata.</i>	300	<i>Zeni (Apoſtoli) ſcripta edita & edenda.</i>	550 ſq.
		<i>Ziegleri (Caſparis) vita.</i>	232

* * * * *



